BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
110
L
28
NAPOLI

R. 38-39

110
L
28-29

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Dulcedine Cantus
Trahitur
AUSONII
BURDIGALENSIS
OPERA
Mathey fecit
NAPOLI

Digitized by Google

D. MAGNI
AUSONII
BURDIGALENSIS
OPERA.

INTERPRETATIONE ET NOTIS

ILLUSTRAVIT

JULIANUS FLORIDUS, CAN. CARNOT.

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

Recenſuit, ſupplevit, emendavit, Diſſertationem de Vita & Scriptis Auſonii ſuaſque Animadverſiones adjunxit JOANNES-BAPTISTA SOUCHAY, *Regiæ Inſcript. & Human. Litter. Academiæ Socius.*

BIBLIOTECA NAZIONALE DI ...

PARISIIS,

Typis JACOBI GUERIN, ad Ripam Auguſtinianorum.

M. DCC. XXX.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO EDITORIS.

ECce tandem Auſonius Burdigalenſis Poëta, interpretatione ac notis juſſu Regis Christianissimi olim illuſtratus, publicam adſpicit lucem. Quo autem fato Opus multis ab hinc annis inchoatum tamdiu intermiſſum fuerit paucis expediam.

Ubi primum agi cœptum eſt de Serenissimi Delphini nuptiis, cujus in uſum prodierunt veteres plerique Scriptores commentariis, juxta rationem à Montauſerio Duce inventam explanati; *Conticuerunt litteræ illæ aulicæ*, ſummuſque vir Petrus Daniel Huetius, qui eas in ſe partes receperat, ut operis procurator eſſet, deſtitit, ut ipſe teſtatur: Huet. Comment. de rebus ad eum pertin. p. 189.

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Itaque, cum in ea tempora incidiſſet Julianus Floridus, cui poſt navatam Apuleio operam Auſonii quoque interpretandi cura demandata fuerat, prælo

Digitized by Google

ſubductum eſt opus ad centeſimam & ſexageſimam uſque paginam excuſum. Ac Librarii quos Regis munificentia prius adjuverat, jam ſumtus impenſaſque veriti, incepto deſtiterunt. Donec elapſo fere triennio à Juliani Floridi morte, qui die Septembris decimâ-tertiâ anni 1725. Pariſiis obiit, ejuſdem labor Typographo occurreret aut minùs meticuloſo, aut lucro minùs inhianti. Igitur quum veniſſet in manus Jacobi Guerin, viri artis Typographicæ promovendæ ſtudioſi, is rogare me cœpit, ut, ſi quid aliis intento mihi ſupereſſet temporis, illud impenderem in curanda editione quam parabat.

Etſi animo proſpiciebam quanti me labores manerent; audieram enim & Floridi tum interpretationem tum commentarios non ſatis limata eſſe, & eorum intercidiſſe nonnulla quæ ſupplenda eſſent: eam tamen provinciam ultro ſuſcepi. Quod ut facerem, impulerunt me præſertim rationes duæ. Primo quia non ſine magno doloris ſenſu videbam litteras Latinas jacere propemodum extinctas, ac futurum ſperabam, ut eas excitaret nova editio Poëtæ qui Gallias olim ingenio ſuo illuſtraverat. Deinde ut, quantum in me eſſet, revocarem turbam ab eorum libellorum guſtu, quos identidem nobis obtrudunt Græculi eſurientes, & in quibus, præter lemma quo tanquam hamo decipitur, feſtivum nihil, omnia ineptiarum plena.

Quamobrem quæ jam excuſa dixi, cum denuò Typis mandarentur, ſedulus incubui in emendando

Auſonii textu, collatis inter ſe editis quos undique conquiſitos parare potui, aut mecum amantiſſime communicavit vir clariſſimus Cl. Sallier Regiæ Bibliothecæ Cuſtos; defuerunt enim codices manuſcripti, niſi quod in eadem Bibliotheca reperi Ludum Septem Sapientum, Periochas in Homerum, Verſus Paſchales, Catalogum Urbium, aliaque ſeptem Opuſcula. N°. 4740. N°. 4901.

Plurimus vero labor exhauſtus in ſupplendis quæ interciderant è Floridi Commentariis, atque iis etiam, prælo ſudante, corrigendis. Et quum animadverterem pleraque non ſatis ab illo explicata fuiſſe, quæ tenebricoſa eſſent, & explicatus haberent difficiles, ſed neque ab ullo tractata quæ ad hiſtoriam ævi potiſſimum Auſoniani pertinent, ſtatui illius operi adjungere quæ ego aut obſervaveram, aut ille ab aliis obſervata omiſerat.

Quod ut accuratius exſequerer, verboſam Franciſci Sylvii Ambianatis in quædam Edyllia Expoſitionem, Mariangeli Accurſii Diatribas in totum Poëtam, Joſephi Scaligeri Auſonianarum Lectionum libros duos, prolixos Eliæ Vineti Commentarios,& quidquid Turnebus, Barthiuſque in Adverſariis, Lipſius in Electis, Gronovius in Obſervationibus, Canterus, Junius, Tollius, aliique annotarunt, qua potui diligentia pervolvi; & ex iis, quæ bona videbantur, laudatis auctoribus, in meas Animadverſiones tranſtuli. Quæ mala, & errori anſam præbere poterant, coargui. Sed præſertim exſcripſi è perexiguo Martini Deſpoſii Burdigalenſis

Codicem illum reperi ad calcem unius editi è Bibliot. Reg.

codice manuſcripto in quem forte fortuna incidi, quæ magis ad rem pertinebant. Perlegi temporum illorum quibus Poëta vixit hiſtoriam, cujus ope lux illi interdum acceſſit, ſive reperto anno quo pleraque Carmina ſcripta fuerunt, ſive cognitis ut plurimum iis quorum nomini inſcribuntur. Denique ſi qua fuerunt quæ Auſonius ex aliis, aliique, ac noſtrates maxime, ex illo expreſſerint, ea aut indicavi, aut retuli, ac relata inter ſe comparavi.

Nec tamen fallit me futurum aliquem qui laborem hunc noſtrum quantulumcunque caperata fronte condemnet, objiciatque aut mea non eſſe quæcunque ſine auctoris nomine protuli, aut neget me omnia quæ ad illuſtrandum Auſonium pertineant attigiſſe. At vero ſciat me, ſi ab aliis cuncta mutuatus eſſem, Afranii exemplo uſurum fuiſſe, qui, ut malevolorum quorumdam maledictis reſponderet, aïebat in Compitalibus:

Fateor ſumpſi non à Menandro modo,
Sed ut quiſque habuit, quod conveniret mihi,
Quod me non poſſe melius facere credidi.

Alterum quod ſpectat, etſi verum non diffiteor, merito objectum nego. Quippe ſi bonus eſt, quæ omiſi, non oblita mihi, ſed præterita exiſtimet; norit quoque me non omnibus erutis uſum, atque hæc veriſſime ab Auſonio dicta cogitet: ALIUS ALIO PLURA INVENIRE POTEST, NEMO OMNIA.

Præfat. Griph.

Cæterum operam Auſonio commodatam, tempuſque in eo illuſtrando conſumptum mihi gratula-

rer, ſi quod Auguſti Proavi cauſa ſuſceptum fuerat, cederet aliquando in uſum SERENISSIMI DELPHINI ejus Pronepotis. Certe ubi primum doceri cœperit ac diſcere, Patris & Avi exemplo excitatus Litteras amabit, iiſque, matura quum adoleverit ætas, favebit. Et vero quum exſiſtat ille certiſſimum pacis duraturæ pignus, quo melius pacto negotiorum intervalla diſpungeret, interea dum Gallia tota Principibus otii ſui auctoribus fauſta omnia precabitur, laudeſque Sapientiſſimi Adminiſtri eorum laudibus admiſcebit.

Non abs re futurum duxi, ſi hîc appareret ſeries Auctorum in uſum SERENISSIMI DELPHINI editorum ordine Chronologico diſpoſita.

CATALOGUS

AUCTORUM VARIORUM

Interpretatione & Notis illuſtratorum, juſſu CHRISTIANISSIMI REGIS, *in uſum* SERENISSIMI DELPHINI.

PAnegyrici Veteres: Interp. ac Notis illuſtravit Jacob. de la Beaune, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1671.

Florus: Inter. & Not. illuſtr. Anna Tanaquilli Fabri filia. *Pariſ.* 1674.

Salluſtius: Interp. ac Notis illuſtravit Dan. Criſpinus, Helvetius. *Pariſ.* 1674.

Cornelius Nepos: Interp. & Notis illuſtr. Nic. Courtin. *Pariſ.* 1675.

Phædrus: Interpr. ac Notis illuſtravit Petrus Danetius. *Pariſ.* 1675.

Terentius: Interpr. ac Notis illuſtr. Nic. le Camus. *Pariſ.* 1675.

Velleius Paterculus: Interp. & Notis illuſtr. Robertus Riguez, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1675.

Claudianus: Interpr. ac Notis illuſtr. Guill. Pyrrho. *Pariſ.* 1677.

Digitized by Google

Juſtinus: Interp. ac Not. ill. Pet. Joſ. Cantel, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1677.

Jul. Cæſaris Commentaria: Interp. ac Notis illuſt. Petrus Goduinus, Profeſſor Pariſienſis. *Pariſ.* 1678.

Quintus Curtius: Interpr. ac Notis ill. Mich. le Tellier. Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1678.

Manilius: Interp. ac Notis illuſt. Mich. Fayus; acceſſerunt Petri Danielis Huetii Animadverſiones in Manilium, & Scaligeri Notas. *Pariſ.* 1679.

M. Accii Plauti Comœdiæ: Interpr. ac Notis illuſt. Petrus Danetius Conſtantienſis Presbyter. *Pariſ.* 1679. 2. *vol.*

Titus Livius: Intepr. ac Notis illuſtr. Joan. Doujatius. *Pariſ.* 1679. 6. *vol.*

Valerius Maximus: Int. ac Not. ill. Pet. Joſ. Cantel, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1679.

Bohetius: Interpr. ac Not. illuſt. Petr. Callyus, Profeſſ. Cadom. *Pariſ.* 1680.

Dictys Cretenſis & Dares Phrygius: Interp. ac Not. ill. Anna Tanaquilli Fabri filia. *Pariſ.* 1680.

Lucretius: Interp. ac Notis illuſtravit Michaël Fayus *Pariſ.* 1680.

Martialis: Interpr. ac Notis illuſtravit Vincentius Coleſſus, Juris utr. Profeſſor. *Pariſ.* 1680.

Aulus Gellius: Interpr. ac Notis illuſ. Jacob. Prouſt, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1681.

Aurelius Victor: Int. ac Not. ill. Anna Tanaquilli Fabri filia. *Pariſ.* 1681.

Sextus Pompeius Feſtus, & M. Verrius Flaccus: Interpr. ac Notis illuſtravit Andræas Dacierius. *Pariſ.* 1681.

M. T. Ciceronis Libri qui ad artem Oratoriam pertinent: Interp. ac Notis illuſtr. Jac. Prouſt, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1682. 2. *vol.*

Tacitus: Interpr. ac Notis ill. Julianus Pichon. *Pariſ.* 1682. 4. *vol.*

Virgilius: Interpr. ac Notis ill. Car. Ruæus, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1682.

Eutropius: Interp. ac Notis ill. Anna Tanaquilli Fabri filia. *Pariſ.* 1683.

M. Tullii Ciceronis Orationes: Int. ac Notis illuſt. Carolus de Merouville, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1684. 3. *vol.*

Juvenalis & Perſius: Int. ac Not. ill. Ludovicus Pratæus. *Pariſ.* 1684.

Suetonius: Interpr. ac Not. illuſtravit Auguſtinus Babelonius. *Pariſ.* 1684.

Catullus, Tibullus, Propertius: Int. ac Notis illuſ. Philippus Sylvius, Academicus. *Pariſ.* 1685. 2. *vol.*

M. Tullii Ciceronis Epiſtolæ ad Familiares: Interp. & Notis ill. Philippus Quartier, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1685.

C. Plinii Secundi Hiſt. Naturalis Lib. XXXVII. Interpr. ac Notis illuſ. Joan. Harduinus, Soc. Jeſ. *Pariſ.* 1685. 5. *vol.*

Statius: Interpret. ac Notis illuſ. Claud. Beroaldus. *Pariſ.* 1685. 2 *vol.*

Prudentius: Interpret. ac Notis illuſ. Steph. Chamillard, Soc. Jeſu. *Pariſ.* 1687.

Apuleius: Interpret. & Notis illuſ. Jul. Floridus, Canon. Carnotenſis. *Pariſ.* 1688. 2. *vol.*

M. Tullii Ciceronis Opera Philoſophica: Interpret. ac Notis illuſ. Franc. l'Honoré, é Soc. Jeſu. *Pariſ.* 1689.

P. Ovidii Naſonis Opera: Interpr. ac Notis illuſ. Dan. Criſp. Helvetius. *Lugd.* 1689.

Horatius: Interpr. ac Notis illuſ. Lud. Pratæus. *Pariſ.* 1691. 2. *vol.*

C. Plinii Secundi, Hiſt. Naturalis Lib. XXXVII. Interpret. ac Notis illuſ. Joan. Harduinus, Soc. Jeſu. *Pariſ.* 1723. *in fol.* 3. *vol.*

D. Magni Auſonii Opera: cum Int. ac Notis Jul. Floridi, & ex recenſione, & emendat. Joan. Bapt. Souchay, qui Diſſertat. de Vita & Script. Auſonii & Animadverſiones adjunxit. *Pariſ.* 1730.

SUMMA

S U M M A

EORUM QUÆ HAC EDITIONE

CONTINENTUR.

I. *DIſſertatio Editoris de Vita & Scriptis Auſonii.* pag. xj.
II. *Diverſorum Epiſtolæ ad Auſonium:*
Theodoſii Imperatoris una. . . . . xxxix.
Symmachi ſelectæ ſeptem. . . . . xl.
Pontii Paulini duæ. . . . . xlv.
III. *Teſtimonia & Judicia Diverſorum de Auſonio.* . . . . . . lvij.
IV. *Auſonii Burdigalenſis Opera:*
Epigrammata. . . . . 1.
Ephemeris. . . . . 87.
Parentalia. . . . . 101.
Commemoratio Profeſſorum Burdigalenſium. . . . . 133.
Epitaphia Heroum qui Bello Trojano interfuerunt, & aliorum. . . . . 169.
De Cæſaribus. . . . . 193.
Ordo Nobilium Urbium. . . . . 209.
Ludus ſeptem Sapientum & eorum Sententiæ. . . . . . . 227.
Edyllia in quibus hæc continentur:
Verſus Paſchales. . . . . 253.
Epicedium in Patrem. . . . . 256.
Villula. . . . . 261.
Protrepticon ad Nepotem. . . . . 265.
Genethliacon. . . . . 273.
Cupido cruci affixus. . . . . 276.
Biſſula. . . . . 285.
Precatio Conſulis deſignati. . . . . 290.
Precatio Calendis Januariis. . . . . 294.
Moſella. . . . . 295.
Griphus Ternarii Numeri. . . . . 337.
Technopægnion. . . . . 350.
Cento Nuptialis. . . . . 377.
Roſæ. . . . . 384.
Vita humana. . . . . 387.

§ B

Digitized by Google

Vir bonus. . . . . 391.
Ναὶ καὶ Οὐ Πυθαγορικὸν. . . . . 393.
Ætates Animalium. . . . . 395.
Herculis Labores. . . . . 398.
Muſarum inventa. . . . . 400.
Eclogarium, ſub quo continentur hæc:
De ratione libræ. . . . . 401.
De ratione puerperii maturi. . . . . 404.
Signa cæleſtia. . . . . 408.
Ratio dierum anni vertentis: de diebus, menſibus, anni temporibus. . . . . 411.
De Feriis Romanis. . . . . 426.
De Agonibus, & alia. . . . . 430.
Epiſtolæ: Ad Patrem. . . . . 433.
Filium. . . . . 436.
Heſperium. . . . . 438.
Theonem. 4. . . . . 439.
Axium Paulum Rhetorem. 7. . . . . 458.
Tetradium. . . . . 474.
Probum. . . . . 477.
Symmachum. . . . . 485.
Urſulum Grammaticum. . . . . 488.
Pontium Paulinum. 7. . . . . 491.
Gratiarum Actio pro Conſulatu. . . . . 523.
Periocha in Iliadem & Odyſſeam. . . . . 555.
Præfatiunculæ tres ad Theodoſium, Syagrium, & Pacatum. . . . . 591.
V. *Editoris Animadverſiones.* . . . . 599.
VI. *Index abſolutiſſimus omnium Vocum Latinarum.*
Index Vocum uſus rarioris, tum veterum, tum novarum.
Index abſolutiſſimus omnium vocum Græcarum.

EDITORIS
DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS
AUSONII.

I. NOMEN.

ETSI Auſonius Poëta, præter nomen *Auſonii*, nullum aliud ſibi ipſe vindicat; nec alio quoque tum Symmacho in Epiſtolis, tum cuilibet antiquo ſcriptori appellatur : eum tamen apud recentiores plura ſortitum fuiſſe video. Equidem in illo exemplari Lugdunenſi de quo poſtea, unicum apparere auctor Vinetus, tria vero in Joannis Tilii codice, eoque minus vetuſto, D. MAGNUS AUSONIUS: quibus in Jodoci Badii editis PÆONII nomen accedere. Sed & in vetuſtiſſimis hoc legitur cum, *Auſonii* nomine conjunctum atque etiam in Tornæſianorum privilegio, nam in titulo non habetur, cum iiſdem tribus quæ Aſcenſiani exhibent.

Digitized by Google

Robort. de nom. Sigonius Emend. Vinet. Bælius. Quorum primum ab iis qui Tiliano codice ac editis pleriſque decepti, expreſſis omnibus litteris ſcriptitant DECIUM, inepte proferri jam diu nec ſemel obſervatum eſt. Enim vero DECIUS gentis Romanæ, primiſque Reipublicæ temporibus celebratiſſimæ nomen fuit. DECIMUM autem inter prænomina uſurpari ſolitum docent Romanorum, Græcorumque monimenta. MAGNI vero cognomentum accepit, non, uti

Auſon. lect. cap. ult. Scaliger exiſtimat, ab avo materno, qui certe ex Parentalibus fuit CÆCILIUS ARGICIUS ARBORIUS; ſed ab avunculo cui filii loco habitus, ÆMILIO MAGNO ARBORIO.

In ſua Præfat. Pæonii appellationem quod ſpectat, Vinetus recte conjecit exinde natam, quod illiterati homines eundem eſſe filium Poëtam ac Medicum patrem rati, ut magis hunc deceret vocatum fuiſſe, ita illum à PÆONE Medico apud Homerum peritiſſimo PÆONIUM vocaverunt.

II. PATRIA.

In Burd. v. 8. Moſel. v. 449. ITAQUE Decimo Magno Auſonio *natale ſolum* fuit Burdigala. Quo autem anno, quibuſve Conſulibus nuſquam legitur, ac ne conjectura quidem aſſequi licet. Unum eſt quod in me receptum velim, eum ineunte ſæculo quarto natum. Etenim ex *Gratiarum actione* conſtat, anno ſui Conſulatus, nempe 379. jam ſenem fuiſſe, tamque *matura ætate*, ut Gratianus Imperator timere videretur, ne in eo ante deficeret vita, quam quæ deberet præſtitiſſet. Idem ex eo colligas, quod, in epiſtola ad patrem de ſuſcepto filio, diverſis continuo verbis ingerit ſe Parenti, cujus natales ad annum fere

Parent. 1. v. 9. 286. retulimus, *ſupparis ævi* eſſe.

III. PARENTES.

Grat. act. Edyll. 2. V. 3. 4. V. 1. V. 13. Parent 1. v. 9. & 10. Edyll. 2. v. 56. 61 62. Parent. 1. v. 9. 17. 18. PARENTEM habuit JULIUM AUSONIUM *non pœnitenda* quidem *familia* ortum, ſed virtutibus magis quam ſtemmatibus conſpicuum, ſuiſque laudibus quam alienis clariorem. Is patria Coſſione Vaſatum, domo Burdigala, arte in qua primas occupavit Medicus, bonorum de ſe judicium præſtare ſtuduit, Sophorum doctrinam vita, potius quam ſermone excoluit, ac nonaginta annos *cunctis officiis integer*, nullo fortunæ telo petitus, Sapientumque alter omnium ore pronuntiatus, exegit. Si fides habenda Scaligero, artis medicæ

cauſa in Palatium arceſſitus fuerat à Valentiniano I. De quo tamen apud Poëtam ipſum nihil omnino legitur. Certe Illyrico Præfectus fuit, ſed honoris cauſa duntaxat, ſoloque titulo :

Præfectus magni nuncupor Illyrici, Edyll. 2. v. 52.

qualem Præfecturam Libanio oblatam docet Eunapius, atque Cap. 4.
exercituum ducis titulum Sophiſtæ Proæreſio delatum. Julius Parent. 2. v. 1.
autem duxerat *Æmiliam Æoniam*, Aquis Tarbellicis natam Pa- Parent. 4.
tre Cæcilio Argicio Arborio, Æduo, nobiliſſimi inter Se- v. 3.
quanos generis viro. Qui temporibus tyrannicis, cum Victo- v. 9. & ſeqq.
rinus militaris induſtriæ vir, Gallieno Mediolani interfecto, ſumma rerum potiretur, & in Tetricos, Victorino quoque interempto Imperium recidiſſet, proſcriptus, omnibuſque fortunis everſus, ad Civitatem Tarbellorum Aquas in Aquita-
niam ſe receperat. Ibi ex honeſta, ſed minus opulenta mu- Parent. 5.
liere, quam uxorem habuit, *Æmilia Corinthia Maura*, ſuſcepit Parent. 6.
liberos *Æmilium Magnum Arborium*, de quo poſthac agetur; v. 8.
Æmiliam Hilariam, quæ virginum ritu Deo ſe ipſa devovit;
Æmiliam Dryadiam, quam *invida mors tædis jugalibus rapuit*; *Æ-* Parent. 25.
miliam tandem *Æoniam*, quam dixi Julio Auſonio nupſiſſe. v. 5. & 6.

Quatuor quoque ex eo matrimonio ſuſcepti liberi; Æ-
milia Melania, D. Magnus Auſonius, Avitianus, & Julia Parent. 29.
Dryadia. In his deceſſit infans *Melania.* Acerba morte *Avi-* Parent. 13.
tianus occubuit, dum ultra parentis exſpectationem in arte me-
dica proficeret. Itaque ſuperſtites fuere *Dryadia*, quæ *Pomponii* Parent. 12.
Maximi Rhetoris matrimonium diu non tenuit, ſed eo viduata cœlibem vitam exegit; *Decimuſque Auſonius*, ad quem noſtra redit oratio.

IV. EDUCATIO

Ubi primum in lucem editus eſt, Cæcilius Argicius Ar-
borius, vir mathematicis diſciplinis maxime inſtructus, ve-
rum Aſtrologiæ divinanti plus nimio deditus, preſcripto illius Parent. 4.
themate quod retexit mater ſedula, ſolito majora de puero con- v. 17. v. 19. & ſeqq.
cepit. Quod cum altius infixum ſederet curioſi ſenis animo, V. 28.
nepotulum, qua fieri poterat diligentia, educandum curavit; ne quid obſtaret futuræ ejus magnitudini. Quare ab incunabu-
lis non tam in gremio, quam in blandis auſteriſque Aviæ ſuæ Parent. 5. v. 9. & 10.

Digitized by Google

Parent. 6. ſermonibus educatur, & Hilariæ materteræ, ac Juliæ Cata-
v. 10. Parent. 26. phroniæ Amitæ monitis imbuitur. Mox Latinis litteris, Græ-
Profeſſ. 8. cis quoque, quibus fatetur in his ſtudiorum primordiis minus
v. 12. & ſeqq. ſe delectatum, informatus à Corinthio, Spercheo, Macrino,
v. 9. & 10. Profeſſ. 10. Luciolo, Minervio, aliiſque tum Grammaticis, tum Rhetori-
v. 16. bus Burdigalenſibus, in diſciplinam traditur avunculo Arborio.
Profeſſ. 3. v. 1. Docebat is Toloſæ Rhetoricam tanto auditorum concurſu &
Profeſſ. 1. applauſu, ut, cum illius fama ad Conſtantinum uſque perve-
v. 11. Parent. 3. niſſet, uni è Cæſaribus inſtituendo præficeretur.
v. 13. Explorata felici ad optima quæque pueri indole, natum
v. 11. & 12. v. 12. & ſeq. ſibi nepotem gratulari cœpit Arborius, & futura animo proſ-
piciens dixit ſæpiſſime ſuis olim extiturum decori & orna-
mento. Equidem eum nactus qui præceptoris induſtriam ac
ſedulitatem, parentis vero ſollicitudinem ac pietatem ſibi præſ-
taret, in bonis diſciplinis & utraque lingua ſic profecit, ut
eos tandem ediderit culturæ atque ingenii fructus, quos ma-
joribus noſtris in pretio habitos iniquius paulo neglеximus.

V. MUNERA. Postquam avunculi diſciplinæ ſummotus eſt, & exceſſit
Toloſa quam in Claris urbibus vocat *altricem* ſui, in forenſi
In Toloſa. Præfat. ad palæſtra aliquandiu ſe exercuit, nec tamen politioribus litte-
Syagr. v. 15. ris vale dixit. Verum ad alia, ut fere fit, naturali propenſio-
& ſeqq. ne abductus, fortaſſe etiam excitatus Arborii exemplo, qui
docendi munere ad honores iter ſibi fecerat, eandem provin-
ciam ſuſcepit Burdigalæ. Igitur orſus à Grammatica, inter
Profeſſ 24. æquales adeo inclaruit, ut mox Rhetor eligeretur, vicario
v. 6. ipſi ſuccedente Acilio Glabrione. Interea *Attuſiam Luca-*
Parent. 10. Parent. 9. *nam Sabinam* duxit, *Attuſio Lucano Talſio* patre natam, anti-
v. 1. 2. qui ac Senatorii inter Burdigalenſes generis: qui quidem Ta-
v. 21. 22. liſius eum ſibi generum optaverat, ſed fata interceſſerant ne
voti compos fieret.

Videtur autem Auſonius, cum docere cœpit, jam natus
fuiſſe annos triginta, totidemque poſuiſſe in eo munere ope-
v. 23. & 24. roſo. Quorum primum ex Epiſtola Syagrio inſcripta conſtat:

Exactiſque dehinc per trina decennia faſtis,

Aſſerui doctor municipalem operam.

Alterum colligitur ex infinitis prope locis, ubi ſe dictitat anno ſui Conſulatus maxime ſenem fuiſſe. In Grat. act. & paſſim.

Creſcente vero in dies illius fama, tandem à Valentiniano ſeniore in palatium accitus eſt, qui Gratianum erudiret. (Ad Syagr. v. 25. & ſeqq. in protreptico &c.) Nam de fratre Valentiniano, etſi recentiorum plerique Scaligeri veſtigia relegentes, ejus quoque pueritiam Auſonio creditam fuiſſe tradunt, (Mart. Hanckius de rer. Rom. Script. J. Alb. Fabr. Bibl. lat. lib. 3. cap. 10.) nihil omnino in ejuſdem ſcriptis occurrit. Immo tempora intercedunt ne res ita ſe habuerit. Diſtant enim utriuſque natales toto tredecim annorum intervallo: ſiquidem, ex Idatio & Chronico Alexandrino, Gratianus ineunte anno 359. in lucem editus eſt; (Belet. Burdig. Academ. Fabric. Bibl. lat. lib. 3. cap. 10.) Valentinianus vero anno 371. exeunte. Itaque hic diſciplinæ maturus vix fuerit ante annum 377. quo ille manum ferulæ jam diu ſubduxerat, atque Auſonium ſuffecerat Probo Africæ, Illyrici & Italiæ Præfecto.

Gratianum autem non iis modo artibus, quibus ætas puerilis informari ſolet, (Grat. act.) ſed omnibus quoque diſciplinis ita erudiit, ita ad omne virtutum genus inſtruxit, ut, ſi optimo Imperatori contigiſſet vita diuturnior, maximos principes, vel ipſo Ammiano fatente, æquaturus fuiſſet. Atque hæc fuit via qua ſe Poëta noſter inſinuavit in parentis & nati gratiam. Quorum quidem ſigna non ſemel, ſed maxime dum adverſus Suevos militarent, (Anno 368.) comitatus eſt. Qua in expeditione, cum in prædam bellicam ipſi obtigiſſet puella venuſta nomine Biſſula, permulta luſit carmina, quæ delicatiſſima fuiſſe vel iis quæ ſuperſunt indicatur.

VI. DIGNITATES.

QUAM vero in demandata ſibi provincia ſedulus, quam Imperatori acceptus fuerit, probant diverſa, *nomine Comitis* ab eodem congeſta munerum genera. Probat quoque tum Quæſtura, (Grat. act.) quam & apud Gratianum exercuit; tum etiam Conſulatus, non delatus quidem, at certe promiſſus, ut ex iis patet quæ in Grat. actione habentur: *Sive te pondere conceptæ ſponſionis exoneras; ſive fidei commiſſum patris exſolvis.* (Ibid.) Ad Præfecturam enim quod attinet, ſuo loco adverſus Scaligerum tuemur, illius non fuiſſe beneficium. Sed in fatis diſcipuli fuit, ut ea impleret quæ ab Argicio de Auſonii futura magnitudine diximus præviſa. Igitur poſtquam immatura mors Valentinia-

Digitized by Google

num patrem intercepiſſet, ille in remunerando præceptore omnium gratiſſimus, uti fuerat, licet imperator in audiendo obſequentiſſimus, eum *Probo* ſuffecit Præfecto Africæ, Illyrici, atque Italiæ; nec multo poſt *Antonio* Galliarum Præfecto.

Hæc quidem fere apud omnes recepta; ſed inter eruditos non convenit, an duplicem præfecturam ita geſſerit Auſonius, ut iterum fuerit Præfectus Prætorio. Iterum fuiſſe vult Rubenius, negat Ægidius Lacarry è Societate Jeſu. Quibus argumentis ipſe viderit. Sic igitur in hiſtoria Præfectorum : *Auſonius Valentiniano mortuo, Præfectus Prætorio factus, deinde Conſulatu cumulatus, præterea ſcribit ante deberi Præfecturam quam Conſulatum. Igitur Præfectus fuit Prætorio ante annum* 379. *quo Conſul ex Faſtis fuit.* Recte quidem hactenus. *Atque etiam duplicem tunc illam Præfecturam fuiſſe oſtendit verſus Epicedii:*

In vita Mall. Theodori.

Præfectus Gallis & Libyæ & Latio.

Verum eſto duplicem fuiſſe. Quid tum efficitur? Gallias, Libyam, Latiumque ſimul complexam? Id probandum incumberet quod minime probatur. Etſi enim conceſſero agentem pro Conſulatu gratias Poëtam tenuiſſe conjunctim cum ſuo nato *Heſperio* Præfecturam; Heſperiumque hoc eodem anno Illyrici, Italiæ, & Galliæ Prætorio Præfectum fuiſſe, non ſequitur unam eandemque noſtri Poëtæ Præfecturam extitiſſe quæ Gallias, Libyam, ac Latium ſimul complecteretur: præſertim ſi conſtet aliunde Heſperium quidem ineunte anno Italiæ, exeunte vero Galliæ Præfectum fuiſſe. Hoc autem probat Rubenius iis argumentis, quibus eo in genere validiora ne excogitari quidem poſſint. Scilicet, quinto poſt Valentiniani obitum menſe, Probo Africæ, Illyrici, atque Italiæ Præfecto Auſonium ſucceſſorem dedit Gratianus, ut patet ex lege 3. *de Hæreticis*. At qui eodem omnino tempore conſtat Antonium inſcribi Præfectum Prætorio Galliarum, declaratque lex 34. *de curſu publico*, anno inſequente, nempe 377. in eadem præfectura manſiſſe parentem & natum; dum Antonius, ut lex *de officio rectoris Provinciæ* teſtatur, Galliarum Præfecturam retineret: donec anno 379. Clypeis mutatis, Antonius Italiæ, ut docet lex 12. *de pœnis*; Heſperius vero & Auſonius Galliæ Præfecti fuerunt, ut patet ex lege *de curſu publico.* Illud ergo efficitur primo Italiæ, deinde Galliæ

Digitized by Google

Galliæ Prætorio Præfectum fuiſſe Auſonium, ſeu duplicem geſſiſſe Præfecturam eo ſenſu quo negavit Lacarry. Præterea ſi Galliam ſimul cum Italia rexiſſet Auſonius, quis arbitretur ab eo in Gratiarum actione omittendum fuiſſe titulum, quo reliquis Præfectis longe antecelleret?

Quamquam autem illius adminiſtrationi, ut Symmachi verba uſurpem, *fructus optabiles omnium amor ſponderet*, mox eum cepit *publici muneris faſtidium*: ſive quod viro litterarum amantiſſimo per negotia non liceret iis ſe tradere; ſive quod annis, ac docendi labore fractus, talia vix ſuſtineret. Quæcunque tandem faſtidii cauſa extiterit, auctor eſt Symmachus eum ut miſſus fieret impensè rogaviſſe. Miſſio quidem negata eſt, ſed adjunctus Heſperius qui in curarum partem cum patre ſuo veniret. Igitur uterque conjunctim tenebat Galliarum Præfecturam, Treviriſque agebat Auſonius, cum exeunte anno 378. Gratiani litteras accepit, quibus certior fieret ſe in ſequentem annum Conſulem eſſe deſignatum, declaratum ac priorem renunciatum, miſſa quoque palmata in qua Divus Conſtantius intextus erat.

Lib. 4. epiſt. 42. edit. Amſtel. *in* 12°.

Ibid.

Grat. act.

Itaque ineunte anno 379. ipſiſque, juxta ritum veterem, Calendis Januariis Conſulatum iniit. Neque enim audiendus Scaliger, cæterique interpretes ab eo in errorem abrepti, dum volunt Auſonium anno 382. Conſulem fuiſſe. Certe ex Faſtis aliter ſe res habet, ut cuivis promptum eſt cognoſcere:

Anno 378.	Imp. Flav. Valens VI. Imp. Flav. Valentinianus Junior.	
Anno 379.	D. Auſonius. Hermogenianus Olybrius.	*uterque Occidentis.*
Anno 380.	Imp. Flav. Theodoſius. Imp. Flav. Gratianus.	*Orientis.* *Occidentis.*
Anno 381.	Poſtumius Syagrius I. Fl. Annius Eucherius, *al.* Evagrius.	*Orientis.* *Occidentis.*
Anno 382.	Fl. Antonius. Poſtumius Syagrius II.	*uterque Occidentis.*

Ex illa Conſulum Serie cauſam erroris deprehendere licet. Nimirum interpretes decepti à Scaligero qui in *Codice Theodoſiano* pro *Antonio* vult legi *Auſonium*, hujus Conſulatum ad

§ C

Supra, dum ageremus de duplici Præfect. annum 382. retulerunt, quo anno conſtat Antonium, alium quidem ab Auſonio, ut modo probavimus, Conſulem fuiſſe.

Treviris quoque Gratiano pro Conſulatu gratias egit, non Jul. Florid. quidem ut *Florido* placet, *in ipſis dignitatis primordiis*; quoniam, Grat. act. cum Sirmii tunc temporis ageret Imperator, *per locorum inter-* Ibid. *valla intereſſe non poterat*; verum *in condendi honoris ſolemnitate*, nempe exeunte anno 379. ut conſtat ex legibus Sirmii Februario menſe, Mediolani Julio, aliiſque à Gratiano alibi datis: quo anno Treverim devenit nulla mora interpoſita, & quidem celerrime, at non ea celeritate, quæ, ut audaciùs paulò in Gratiarum actione effertur, famam auras præcedere ſolitam tardiorem faceret.

Elapſo demum Conſulatus anno, diu Galliarum Præfecturam non retinuit Auſonius; ſiquidem exſtat lex *unica Cod. Juſtin.* Mallio Theodoro Galliarum Præfecto ſcripta, & anni 380. Calendis Juliis data. Itaque veriſimile eſt eum in Palatio manſiſſe, donec Maximi tyranni fraude Gratianus è vivis tolleretur. Nec enim, uti & Rubenio, mihi perſuadet Scaligeri auctoritas, aut eum ſecuti Burdigalenſis Academici, qui novam Auſonii editionem pollicetur, duplici Præfectura atque ordinario Conſulatu defunctum Poëtam in Orientem abiiſſe, & illic Aſiæ Proconſulem, ac Diœceſeos Aſianæ Vicarium egiſſe. In vit. Mall. Theod. Nam, ut obſervat Rubenius, lex 69. Cod. Theodoſ. *de decurionibus*, Valentiniano ac Valente Conſulibus, id eſt anno 365. Ita legitur in Cod. Theod. non *Africano*, ut perperam legit Scaliger. ad *Auxonium* Diœceſeos Aſianæ Vicarium data, eum ſpectat, qui, poſtquam anno 368. duobuſque annis inſequentibus Orientis Prætorio Præfectus fuiſſet, ultimum diem obiit anno 371. lex autem tertia Cod. Theodoſ. *de fide Catholica*, Syagrio & Eucherio Conſulibus anno 381. Auxonio Aſiæ Proconſuli ſcripta, ad hujus filium pertinet, neque Auſonium ſpectare poteſt.

Igitur, ut ſuperius dixi, palatio non exceſſit, quandiu Gratianus viveret. Qui cum ſubita Maximi & exercituum defectio- Amm. Marcell. Oroſius. ne perterritus in Italiam tranſire meditaretur, Tyranni dolis circumventus Lugduni anno 383. interfectus eſt. Atque eo cæſo locum haud mutaviſſe Auſonium tradit Scaliger. Quibus momentis adductus, mihi latere fateor. Quis verò exiſtimet Poëtam noſtrum ibi manſiſſe, ubi Imperatoris alumni interfectorem

oculis intueri, ac ſolio ſedentem ſuſpicere cogeretur? Quamobrem ſuſpicor eum aut latuiſſe, aut alium tandem in locum ſeceſſiſſe, donec anno 388. Theodoſius ſuperatis Alpibus, atque Aquileiam improviſus adveniens, Maximum clauſit, cepit, ac nudatum Imperatoriis inſignibus morte mulctavit. Unde Poëta nonam inter claras urbes celebravit Aquileiam, ac ſpectatis Theodoſii triumpho & [1] *Rutupini latronis* ſupplicio felicem prædicavit.

Socr. lib. 5. cap. 14. Zozim. Pacat. Clar. Urb. VII.

Certè nulla ſuppetunt argumenta quibus probetur, eum in Palatio, aut etiam in urbe Treveri commoratum fuiſſe temporibus tyrannicis poſt annum 383. quo Heſperio ſuo Romam profecto ſcripſit epiſtolam verè paterni affectus plenam.

Epiſt. 3.

An vero, poſtquam Gratiani ultor Tyrannum inferias ei miſiſſet, in Palatio aut in urbe Auſonius habitaverit, incertum quam quod maximè; duo ſunt tamen quæ mihi extra dubium poſita videantur.

Unum, Theodoſio & cognitum & in pretio Poëtam habitum, quippe quem optimus Imperator litteris impensè rogaverit, ut ſibi mitteret varia quæ ſcripſerat. Nec deſunt qui eum ab eodem Imperatore velint Patricia dignitate auctum. Quos inter Rubenius id primùm tradidit, epiſtola nixus ab Avantio Theodoſii nomine vulgata. In qua quidem Epiſtola Auſonius *parens* appellatur. Unde Rubenius infert eum Patricium fuiſſe. Siquidem, ubi Imperatores à Conſtantino rerum ſumma potiti *parentis* titulum alicui tribuunt in *Reſcriptis*, id certum eſſe Patriciæ dignitatis indicium: Patricios enim ab Imperatoribus *patres* vocari ſolitos conſtare tum ex Claudiano in Eutropium, tum ex Sozomeno lib. 8. cap. 7. ac Philoſtorgio lib. 11. cap. 4. Ea quidem veroſimillima, ſed nihil juvant in aſſerenda Auſonio Patricii dignitate, cum dubitetur an Theodoſius verè ſcripſerit epiſtolam quâ de agitur, nec aliud ſuppetat hujuſce honoris in Auſonium collati argumentum.

Id patet ex verſibus Theodoſio inſcriptis, qui ad calcem editionis noſtræ leguntur.

Hæc inter teſtimonia fuit excuſa.

Alterum dixi certiſſimum eſſe; eum ſcilicet otii cauſa in patriam nidumque ſenectæ ſe contuliſſe ante annum 392. Quo

1. *Rutupini*, id eſt Britanni: non quod revera Britannus eſſet Maximus, at quoniam in Britannia ageret, cum tyrannidem affectare cœpit. Conſule Pacat. Zozim. lib. 4. &c.

Epiſt. 14. anno, dum Paulino in Hiſpania degenti ſcriberet, narrat prædii in quo verſabatur delicias & commoda. Prædium autem illud quod ipſe appellat *Noverum* ita deſcribit, ut vicus apud Santones exiſtimetur eſſe qui hodie dicitur *les Noulliers*. In eo aut aliis quæ prope Burdigalam tenuit, reliquam ætatem cum amicis molliter ac placide traduxit, atque annos pluſquam octoginta natus ultimum diem obiit.

VII. LIBERI.

Parent. 9. UXOREM unicam habuit *Attuſiam Lucanam Sabinam*, quam ita dilexit, ut, ea licet [1] maturo funere ſibi erepta, quantum ſuperfuit vitæ cœlebs exegerit. Parent. 10. Eamque orbitatem *poſt novem Olympiadas* dixerit, *non contrectabile fulmen*. Liberos ex ea, præter *Auſonium* cognominem, atque in ipſa infantia demortuum, ſuſtulit *Heſperium Aquilium* quem diximus cum ipſo geſſiſſe Galliarum Præfecturam, & filiam cujus meminit in *Protreptico*, quæque nupſit *Euromio* primum, ac deinde *Thalaſſio*. Equidem Vinetus, Scaliger, atque Ægidius Lacarry contendunt Euromium (Hiſt. præfect. Gall.) vocatum & Thalaſſium. Sed illi è duobus Auſonii generis unum efficiunt. Certe ejuſdem generum Thalaſſium fuiſſe conſtat ex his Symmachi (Lib. 1. epiſt. 19.): *Quæro igitur incertus animi quæ mihi nunc potiſſimum ſuper viro honorabili* Thalaſſio genero tuo *verba ſumenda ſint*. Euromium itidem Auſonii generum fuiſſe ex Parent. 14. perſpicuum eſt. Rurſus Euromium ac Thalaſſium diverſos extitiſſe his fere argumentis probat vir Cl. *Tillemont.* (Hiſt. Imp. not. 8. in Grat.) 1°. In Euromii epitaphio, præter morem Poëtæ, qui ſingulis nominibus eos ſemper appellat quibus parentat, Thalaſſii nomen ſiletur; quod tamen præ cæteris declarandum fuit: ſiquidem tum apud Symmachum, tum in legibus non aliud profertur. 2°. Ex eodem epitaphio patet Euromium *oræ Illyricæ* duntaxat *præſidem* extitiſſe; Thalaſſium autem *pro Conſule* Africam (Cod. Theod.) obtinuiſſe evincitur legibus quatuor anni 378. Treveris à Gratiano latis, & ad *Thalaſſium* Africæ Proconſulem datis: atque etiam his Epicedii in Julium:

Hujus ego & natum & generum pro Conſule vidi.

Jam vero huic ſententiæ adverſatur, quod unam Auſonio

1. Errat Vinetus dum ait eam anno ætatis duodetriceſimo occubuiſſe, quando quidem ex Parent. 9. *quater ſeptenos Decembres* nondum impleverat.

puellam reliquit moriens uxor. Sed illa nubere potuit Euromio primum, deinde Thalaſſio, cum Euromius primævo flore juventæ raptus occidiſſet.

VIII. ANIMI DOTES.

Atque non uxorem tantum dilexit Auſonius; ſed ea fuit erga parentes aut alios ſanguine conjunctos pietate, ut nullum unquam ejus officium deſideraretur. Affectum quidem in *Julium* patrem teſtatur potiſſimum epiſtola *de ſuſcepto filio*: qua in epiſtola ſignificat ſe *illius annos neſcire*, quos hæredi avidò numerandos relinquit, ſibique *grata* eſſe *ſupparis* cum eo *ævi tempora*. Et ſi pietati ſumma tribuenda laus eſt, quis non debeat moveri, cum eundem tam piè lugeri videat in *Villula*? Edyll. 3. Quod carmen legere me non poſſe fateor, quin Poëtam non modo diligam, vetum etiam amem.

Affectum in propinquos teſtantur carmina quibus commemorat ſingulos, Æmilium Arborium præſertim avunculum, quem tertium à parentibus eam ob rem celebrat, quod educatus atque inſtitutus ab eo majora ipſi quam cæteris deberet, ac debere ſe profiteretur. Quid plura? Quos ſibi amicos paravit, at paravit longe plurimos, coluit ſanctiſſimè. In his Probum conſularem virum, Drepanium Pacatum cujus exſtat oratio Theodoſio dicta, Proculum, Syagrium obſervantia retinuit. Theonem Medulenſem lepidiſſimum congerronem, Urſulum Grammaticum, Tetradium & Axium Paulum utrumque Poëtam tùm gratia, tùm facultatibus adjuvit. Paulinum, ob veterem cum illius patre neceſſitudinem aluit, inſtituit, ad ſummos honores perduxit. Paulin. epiſt. in prolog. Symmacho etſi religione diſſidenti non defuit; unde ille aſſerebat neminem eſſe omnium mortalium quem in officio amicitiæ cum Auſonio conferret. Ibid.

IX. INGENII DOTES.

Animi vero dotibus acceſſere dotes ingenii; nec vereor affirmare illum, ſi in ea tempora incidiſſet, quibus nihil probatum eſt præter ea quæ naturali pulchritudine exſurgerent, vel maximis viris parem futurum fuiſſe. Quod autem extitit ſuæ ætatis vitium, quærit interdum ab acutis, vibrantibuſque ſententiis laudem, & Schemati quod Rhetores *paronomaſian* vocant plus nimio indulget. Cujuſmodi hæc ſunt *Salo*, *Solo*, *Cæ-*

lo. Item *ſive legas, ſive tegas*, & *potitur, patitur*, &c. Unde nonnulli è Poëtarum choro eum prope excludunt, ſeverius quidem quam par eſſet judicium exercentes: cum idem Schema Græcis ac Latinis optimæ notæ ſcriptoribus fuerit quoque in deliciis, quemadmodum allatis compluribus exemplis confirmat Voſſius in Inſtit. orat. Præterea quam multa ſunt ejuſdem carmina quæ non modo non iis vitiis laborant, at ſimplicem etiam priſcæ que venuſtatis ſtylum ita redolent, ut, ſi in veteribus libris ſine auctoris nomine apparerent, non niſi veteri cuidam atque ultra Virgilii ætatem adſcribenda fuiſſent? In his Edyllia quædam, ut *Epicedion* in patrem, *Villula*, &c. atque inter epiſtolas potiſſimum duæ. In quibus Edylliis epiſtoliſve ſic affectus quos debuit expreſſit, ut natura ipſa loqui videatur. Ubi plus nativæ ſimplicitatis, plus doloris ac ſenſus quam in his Edyllii quod luſit, ubi primum in patriam redux villulam ſuam ſalutavit:

Edyll. 3. v. 1. & ſeqq.

Salve herediolum majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam ſenior, properata morte, relinquit,
Heheu nolueram tam cito poſſe frui.
Juſta quidem ſeries patri ſuccedere: verum
Eſſe ſimul dominos gratior ordo piis.
Nunc labor & curæ mea ſunt. Sola ante voluptas
Partibus in noſtris. Cætera patris erant, &c.

Quid naturæ magis accommodum quam ea Epiſtolæ patris ad filium alio profectum?

Epiſt. 2. v. 4. & ſeqq.

Jam ſuper egelidæ ſtagnantia terga Moſellæ
Protulerat te nate rates: mœſtique parentis
Oſcula & amplexus diſcreverat invidus amnis.
Solus ego, & quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram: profugæque dabam pia vota carinæ.
Solus adhuc te, nate, videns: celeriſque remulci
Culpabam properos adverſo flumine curſus.

& infra:

Verſ. 13.

Deſertus vacuis ſoliſque exerceor Aris.
Nunc ego pubentes ſalicum diverbero frondes:
Gramineos nunc frango toros: virideſque per ulvas

Lubrica ſubſtratis veſtigia libro lapillis.

Quid jucundius aut ſuavius quam ea ad Paulinum, quem ut ad ſe alliciat narratis villæ ſuæ commodis, ita proſequitur:

Totque mea in Novero ſibi proxima prædia pago, Epiſt. 24. v. 95. & ſeqq.
Diſpoſitis totum vicibus variata per annum;
Egelidæ ut tepeant hyemes, rabidoſque per æſtus
Adſpirent tenues frigus ſubtile Aquilones.
Te ſine ſed nullus grata vice provenit annus.
Ver pluvium ſine flore fugit. Canis æſtifer ardet.
Nulla autumnales variat Pomona ſapores.
Effuſaque hyemem contriſtat Aquarius unda.
Agnoſciſne tuam, Ponti dulciſſime, culpam, &c.

Denique quid magis tenerum ac blandum quam ea ejuſdem Epiſtolæ:

Et quando iſte meas impellet nuntius aures? Verſ. 122. & ſeqq.
Ecce tuus Paulinus adeſt. Jam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva.
Hebromagi jam tecta ſubit: jam prædia fratris
Vicina ingreditur; jam labitur amne ſecundo;
Jamque in conſpectu eſt; jam prora obvertitur amni,
Ingreſſuſque ſui celebrata per oſtia portus
Totum occurſantis populi prævertitur agmen:
Et ſua præteriens, jam jam tua limina pulſat.

Aut magis tenerum ac vehemens quam ea poſtremæ ad eundem epiſtolæ; quam cum ſcriberet, admodum ſenex fuit:

Imprecer ex merito quid non tibi Iberia tellus? Verſ 53. & & ſeqq.
Te populent Pœni: te perfidus Annibal urat:
Te belli ſedem repetat Sertorius exſul, &c.

Omitto *Roſas*, *Cupidinem cruciatum*, cæteraque id genus poëmatia quæ è veteribus optimum ſua fateri non puderet. Nec mirum plurima ei tam feliciter ceſſiſſe, qui exemplaria Græcorum nocturnâ manu ac diurnâ verſaverat, è quorum epigrammatis pleraque, tranſtulit, imitationem profeſſus; nonnulla verò priùs tractata, ut judicii fuit acerrimi ſummique miro artificio abſolvit, quale eſt Edyllium *de ambiguitate eligendæ vitæ* quod ex Poſidippi ſeu Cratetis epigrammate effinxit. Mariang. Accurſ. in Diatrib.

Equidem in aliis eum aliquando argutulum eſſe, nec ſibi uſque conſtare fateor. Sed plura ſunt quæ cum luſerit in caſtris itineribuſve, non ita ſeveros judices poſtulant: qualis *Griphus de ternario*, quem *in expeditione, inter prandendum cœptum, ante cœnæ* tempus abſolvit, ex quo tamen ut pote variâ ac multiplici eruditione referto plus ceperis fructus quam ex aliorum quorumdam numeroſiſſimis paginis.

Epiſt. Gripho præfixa.

Verum, etiamſi nullo in pretio haberentur quæ dixi, tricisque viliora cenſerentur *Griphus* ille, *Technopægnion*, & quædam ludicra, (ut epiſtolæ *de Strenis* ad Urſulum, *de Oſtreis* ad Theonem) quæ non tam luſit ut ingenium oſtentaret, quam ut animi recreandi causâ cum amicis jocaretur: carmen de *Moſella* adeò excultum eſt, adeò numeris omnibus abſolutum, ut eo ſolo magni Poëtæ nomen ſibi comparare potuerit.

Scalig. in Poetic.

Neque aliter de Auſonio ſenſerunt olim Hieronymus Aleander vir de re litteraria optimè meritus, quem, ineunte ſæculo decimo ſexto non pigebat in publico auditorio Auſonium explicare; aliique non infimæ notæ viri, qui poſtea eandem in Pariſienſi univerſitate provinciam ſuſceperunt.

Vide Præfat. edit. Aſcenſ. ann.

X. RELIGIO.

HACTENUS de Auſonii vita. Modo ſupereſt inquirendum an Chriſtianus extiterit. Quod ego omitterem profecto, niſi viderem ſerio negari, eamque opinionem doctiſſimos habere auctores: Olaum Borrichium, Guilielmum Caveum, Chriſtophorum Hendreichium, Philippum Brietium, quin & virum inſignis doctrinæ Ludovicum Antonium Muratorium, qui quidem viri à Voſſio fortaſſe decepti, Auſonium Ethnicum fuiſſe uno ore pronuntiant. His verò potiſſimum argumentis ſententiam ſuam defendunt.

Diſſert. de Poet. Hiſtor. Litt. p. 2. Pandectarum Brandeb. tom. 1. p. 360. Syntag. de Poët. Anecd. Bibl. Ambroſ. tom. 1.

1°. In quibuſdam ejus Epigrammatis, ac præſertim in Centone petulantior fuit ac laſcivior.

2°. Nonnulla in ejuſdem ſcriptis occurrunt quæ redoleant profanas religiones.

3°. Ipſi fuerunt cum Symmacho, nomini Chriſtiano homine infenſiſſimo, omnes amicitiæ neceſſitudines.

4°. Denique, cum tanquam à fide Chriſtiana alienum ſubinde

Voſſius Brietius.

Digitized by Google

binde increpavit Paulinus: ipſe ob piam ſolitudinem ab eo dementia notatus inſtar Bellerophontis.

Hæc autem adeò infirma atque imbecilla ſunt, ut nullo negotio dilui queant. Et ſanè, quamvis conceſſero nonnulla Auſonii eſſe quæ flammis expiari debeant; Centoneſque Virgilianos, *quibus caſtiſſimos verſus libidinoſæ affixit materiæ, plus dæmonem, quam hominem ſapere, adoleſcentium pudicitiæ inſidiantem*: an tum efficietur eorum auctorem non fuiſſe Chriſtianum? Quod ſi efficeretur, Poëtarum quam pauci eandem notam effugerent! Enimverò ſua pleriſque Juvenilia fuerunt, ut videantur eo perſuaſi, quod illorum quiſpiam dixit: Jul. Scal. in Poet. Briet. Syntag. de Poet.

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam.
Ipſos verſiculos nihil neceſſe eſt.

Ad Centonem quod attinet, Poëtam ipſum piguit *Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehoneſtaſſe* materia. Sed rogabat qui jubere poterat Imperator Valentinianus, qui & nuptias quondam *ejuſmodi ludo deſcripſerat*, nec tamen religionis nomine ſuſpectus venit. Auſonium certè in hoc non defendo, immo non excuſo. Sed quàm multi laſciviora fortaſſe ſcripſerunt, quamvis Chriſtiani, & injuſſi!

Idem eſto judicium de quibuſdam ſententiis quæ minus deceant Chriſtianum. Præter quam quod enim Auſonii ævo profanorum ritu ſæpiſſime loquebantur: non ſolent Poëtæ eandem in verbis religionem adhibere, quam Theologi. Et in Noſtratibus, quos honoris cauſa appellatos nolim, occurrunt iis quæ Auſonio objiciuntur, longe graviora.

Nec magis Ethnicum arguit tum illius cum Symmacho conſenſio, quæ in rebus humanis duntaxat eſſe potuit; tum etiam objurgatio qua Paulinum ab inſtituto revocare conatus eſt. Nam acerbiore nos etiamnum utimur, & ea quidem injuſta, ſi quis cognatione aut amicitiâ nobis conjunctus idem ingreditur vitæ iter, quod Auſonius familiarem ſuum ingreſſum nolebat. Sed neque tam acerba fuit illius objurgatio, ut Paulinum, quemadmodum volunt, cum Bellerophonte conferret. Immo precatur, ut qui Paulino *tam longa ſilentia ſuaſit*, Alpina pererret juga, ceu Bellerophon dicitur loca avia olim perluſtraſſe. Epiſt. 25.

Jam verò ſi Paulinus objurgaſſet Auſonium tanquam à fide

Chriſtiana alienum, Voſſio ejuſque aſſeclis victus cederem. Sed non modo non eum increpavit hoc titulo; verum etiam Chriſti cultorem fuiſſe teſtatur his conceptis verbis:

Paulini epiſt. 2. verſ. 18. 19. inter proleg.

Inque tuo tantus nobis conſenſus amore eſt,
Quantus & in Chriſto connexa mente colendo.

Quo quidem teſtimonio, etiamſi nulla ſuppeterent in Auſonii ſcriptis, abundè probatur hunc extitiſſe Chriſtianum. Plurima autem ſuppetunt; in his *Verſus Paſchales*, quæ nonnulli perperam illi abjudicant, cum ex Præfatione Epicedii conſtet ejuſdem auctoris eſſe ac ipſum *Epicedion*, quod nemo inficiatur Auſonii eſſe: *Sequitur hanc ſummi Dei venerationem Epicedion patris mei.* Omitto *Precationem matutinam* quæ Paulino, ſed ſine auctoritate tribuitur, quippe quæ inter Auſonii carmina occurrat in pervetuſto codice Lugdunenſi. Sileo *Griphum* in quo Deum ter unum agnoſcit. Epiſtolam denique in qua Eccleſiæ viciniam inter villæ ſuæ delicias & commoda recenſet, prætereo; atque alia id genus ſexcenta. Quæ ſi deficerent, non idcirco ſequeretur eum profanas religiones exercuiſſe.

Et ſane, quis arbitretur eum à feminis, quæ virginum ritu Deo ſe devoverant, altum & inſtitutum, Deorum cultum hauſiſſe? Præterea ſi Gratianus Imperator Chriſtianus extitit, Chriſtianum & Auſonium dici neceſſe eſt. Siquidem ex ea Epiſtola quæ in Gratiarum actione habetur, Gratianus Deum coluit quem ipſum Auſonius colere docuerat: *Cum de Conſulibus in annum creandis ſolus mecum volutarem*, UT ME NOSTI, UT FACERE DEBUI, UT VELLE TE SCIVI, CONSILIUM MEUM AD DEUM RETULI.

Atque his ita perculſi fuere nonnulli, quos inter Trithemius ut non modo Chriſtianum extitiſſe velint Auſonium, ſed etiam Burdigalæ Epiſcopum fuiſſe: unde in editorum apud Tornæſium limine exibetur illius imago, circa quam leguntur hæc verba: D. AUSONIUS EPISCOPUS BURDEGAL. Verum ea tam incerta ſunt, quam falſa quæ Victor Griſelinus affert eum aliquando à Chriſtiana fide deſciviſſe. Quod ut confirmet, D. Auguſtinum teſtem appellat, qui tamen in allegato *de Civitate Dei* opere, ubi *Claudianum* quidem *gentiliſſimum* dicit, ſilet omnino de *Auſonio*.

An. 1558. in 8°.

In Schol. ad 2. lib Prudent. C. Symmach.

Quæ cum alia confutatione non indigeant, veniendum ad alteram partem quæ de ſcriptis Auſonii erit.

PRIMO quidem extat *Epigrammatum* liber, quibus præmitti ſolitas Præfatiunculas tres, ad Theodoſium unam, ad Syagrium alteram, ac tertiam ad Latinum Pacatum Depranium, Julianus Floridus Scriverianam editionem ſecutus, ad calcem operum Auſonii rejecit. Epigrammata verò pleraque, ut memini me monere, è Græcis tranſtulit. Undè miror à Franciſco Vavaſſore dictum quod Martialem renovare videatur ac referre. Certe Auſonii Epigrammata pene omnia non tam frigida vel inculta ſunt, quam in Poëtica Scaliger voluit. Nonnulla ejuſmodi eſſe fateor, atque in Animadverſionibus probavi. Sed multa quoque delicatiſſima, & quæ Catullum ſpirent, inter ea reperiri, pauci erunt qui negent. Variis autem temporibus ea ſcripſit, quæ uno aut altero excepto nequaquam aſſignari poſſunt; cujuſmodi tertium & quartum, quæ ad annum 368. pertinere in Animadverſionibus noſtris diximus. Sunt quoque Epigrammata quatuor quibus meminit Faſtorum à ſe digeſtorum ab urbe condita ad annum 382. aut 383. in gratiam Heſperii filii. Quod opus, ſive carmen id eſſet, ſeu ſoluta oratio, ad nos non pervenit.

XI. SCRIPTA.

De Epigr. cap. 15.

Ephemeris, ſeu totius diei negotium, vario carminis genere. Quod quidem Diarium Poëtæ noſtro abjudicant quicumque eum negant Chriſtianum fuiſſe; nec enim aliter ſuam defendere ſententiam poſſent. At verò jam obſervavimus nulla eos auctoritate niti, ac libellum quo de agitur, apparere in pervetuſto codice Lugdunenſi.

Ephemeridem excipiunt *Parentalia*, ſive Carmina quibus Propinquorum laudes celebravit. Quæ ab eo ſcripta fuiſſe ſtatim ab unius cujuſque obitu veriſimile eſt.

Sequitur *Profeſſorum Commemoratio* qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenſes peregrè docuerunt; eamque, uti Ephemeridem ac Parentalia, vario carminum genere exſequitur.

Quibus ſubnectit *Heroum Epitaphia* qui bello Troïco interfuerunt; quæ cum apud Philologum quendam reperiſſet, La-

tino ſermone convertit, additis quoque aliquot aliorum Epitaphiis; inter quæ celebratiſſimum Didonis, totieſque linguis vernaculis expreſſum.

De duodecim Cæſaribus quorum Vitas Suetonius deſcripſit, monoſticha, eaque triplicia in Heſperii filii gratiam condidit; quibus eorundem Cæſarum ordinem, imperii tempus, & mortem complectitur. Primus eorum Julius qui anno urbis 705. imperium ſuſcepit, poſtremus autem Domitianus qui anno urbis 847. interfectus eſt.

De iiſdem aliiſque Cæſaribus Tetraſticha conſignaverat, quorum ultima temporum injuria interciderunt. Horum itidem primus quoque Julius; poſtremuſque Heliogabalus qui anno urbis 974. in latrina vitam finire coactus eſt. Hæc autem de Cæſaribus Tetraſticha, non uſque concinna ſunt, ſed juvandæ memoriæ aptiſſima; continentque præter Cæſarum nomina & ſeriem, illorum adumbratam effigiem.

Claras quoque *Urbes* ordine ſuo celebravit, præter Aquileiam cui nonum idcirco locum aſſignavit, quod Maximus eam legerit, cui *exacto luſtro piacula ſolveret*; undè illud de Aquileia carmen cæteris ab Auſonio inſertum, aut ſingula de urbibus poſt Maximi fata, ſcripta fuiſſe conſtat.

Septem Sapientum ſententias Iambis expreſſit poſt Conſulatum ſuum, & huic Latino Drepanio Pacato dedicavit, cujus extat Panegyricus Theodoſio Auguſto Romæ tum dictus, quum ille Maximo Aquileiæ interfecto Romam triumphans rediiſſet. Eaſdem quoque ſententias ſeptenis verſibus, iiſque Elegiacis explicavit.

Superſunt Edyllia, Eclogarium, & Gratiarum actio de quibus quoque ſeorſim agemus. Inter Edyllia ſtatim occurrunt *verſus Paſchales* de quibus jam egimus, & quos in animadverſionibus ſuſpicamur ad annum 367. referendos, cum recens in aulam accitus eſſet Poëta.

Deinde *Epicedion* in patrem *Julium*, ac *Villula*: in quibus Joſepho Scaligero videtur omnium quicunque idem tentaturi ſunt conatus poſſe deterrere. De induſtria enim veterem illam ſimplicitatem affectat, & quantum poteſt, ad ejus characterem ſtilum ſuum convertit.

Sequuntur *Protrepticon* poſt Conſulatum quoque ſcriptum ad nepotem ex nata filium Auſonium *de ſtudio puerili*; quo ſignificat Muſas, quamquam ſeveras, habere liberales animi remiſſiones; & eo quaſi allicio admoto nititur adimere metum, quo angi ſolent tenelli puerulorum animi. Quod ubi ſe putat exſolviſſe, docet qua patris ac ſuo exemplo ad honores obtinendos via inſiſtere debeat: qui libri ad informandum ſtudium legendi. Mox quædam interſerit de ſuis ſtudiis, variiſque honoribus quos geſſit, ac præcipue Conſulatum quem nulla non arrepta occaſione recantat.

Genethliacon eidem nepoti inſcribitur, annum decimum & octavum ingreſſo.

Cupido cruci affixus Gregorio dedicatur, quem eodem pacto filium vocat, quo Paulinum ac Symmachum amoris & benevolentiæ cauſa, ut pote minus ætate provectos. Eundem ego ſuſpicor eſſe de quo Sulp. Severus Hiſtor. lib. 2. tanquam Galliarum 383. Præfecto, & Symmachus lib. 7. Epiſt. 87. &c. Elegantiſſimum profectò eſt Poëmation illud, quod ſæpe ſæpius cum diverſorum commentariis prodiit; habetque etiamnum plura explicatu difficilia, ſed ea maximè quæ Semelen ſpectant.

Poëmatia quæ in alumnam ſuam luſerat, ejuſdem nomen ferunt. Periiſſe eorum maximam partem rectè ſuſpicatur Tollius ex duplici præfatione qua muniuntur paucula quæ ſuperſunt. Accedit quod in iiſdem nihil inverecundi; nonnulla tamen in hoc libello fœda, ſeu liberiora paulò fuiſſe colligit Bælius ex his: *admoneo ante bibas*: perperam quidem. Etenim in Præfatione Griphi Symmachum pariter hortatur, ut ipſum hilarior & dilutior legat; etſi hoc Edyllium nihil omnino habet inverecundi.

Precatio Conſulis deſignati ad anni 378. diem ultimum pertinet, quo, faſcibus ſumtis, Janum votis ardentibus vocat. Quod non mirabitur qui noverit Conſulatum olim adeo expetitum fuiſſe, ut Claud. in Conſulat. Probi & Olybr. felicem dixerit *uterum qui nomina parturiret annis*, & Libanius in Juliani Panegyrico iis ignoſcat *qui expetunt hunc locum, & ante alia poſtulant à Diis ut ſella* Conſulari *geſtentur.*

Precatio Calendis Januariis annum ſpectat 379. quo Treveris conſulatum auſpicatus eſt.

Moſellæ, quo Edyllio maximam laudem ſibi vindicavit, annum 368. aſſignavimus, quo fuſis prope Solicinium Alemannis, dimiſſoque in hiberna exercitu, Valentinianus & Gratianus Treverim ſe receperunt, ibique more Triumphantum recepti. Eſt autem poëma de laudibus Moſellæ, ex aquæ limpitudine, ex navigandi facilitate, ex piſcibus, ex villis & atriis quibus ripæ exornantur, ex pratis & aliis quæ flumini minùs rectè quam Poëtæ ingenio retuleris.

Griphum de Ternario luſit dum Imperatorum ſigna comitaretur, fortaſſe in expeditione de qua mox egimus. Ludicri Poëmatis genus, in quo ex jocis captat ſeria, ſeſeque prodit quam maximè eruditum.

Technopægnion, aliud ludicri poëmatis genus, quod vocat ipſe inertis otii ſui inutile opuſculum. Verſiculi ſunt quorum alii monoſyllabis cœpti, monoſyllabis deſinunt; alii monoſyllaba tantum habent in fine poſita. Monoſyllaba de litteris Græcis ac latinis inter Auſoniana reperit Mariang. Accurſius, extantque in Inſulenſi exemplari.

Centonem nuptialem nemo eſt qui neſciat è Virgilii verſibus confectum. Cujus Edyllii pars ultima tam laſciva tamque improba eſt, ut Poëtam religionis nomine ſuſpectum fecerit. Quo anno concinnatum ſit, incertum; certè fuit ante Valentiniani ſenioris fata, qui nuptiis ejuſmodi ludo deſcriptis juſſerat Auſonium idem exſequi.

Roſas, & quæ ſequuntur Edyllia *vir bonus*, Ναὶ καὶ ȣ, *Ætates animalium*, *Muſarum inventa*, *& Herculis Labores*, diu credita Virgilii eſſe, Auſonio tandem, quem referunt auctorem potius quam Virgilium aſſeruere, Hieronymus Aleander, & Mariangelus Accurſius.

Eclogarium varia continet, *de ratione libræ*, *de ratione puerperii maturi*, *de Signis cœleſtibus*, *de nominibus ſeptem dierum*, *de menſibus*, &c. Quæ quidem vulgò creduntur excerpta ex juſtis Auſonii operibus: quamquam carmen *de ſignis cœleſtibus*, è cujus præfatione verſum ab Hieron. in commentariis in Ezechielem citari deprehendit vir Cl. Jacobus Cujacius, Auſonii eſſe

ſunt qui negent. Illud tamen in editis Tollii apparet : undè admiror eum expunxiſſe *Tetraſticha de menſibus* quæ Vinetus inter Edyllia non ſemel recenſuit, & Julianum Floridum extrà contextus ſeriem excudi curaviſſe. Equidem in Scaligeri ac Pithœi Catalectis leguntur ſine auctoris nomine. Sed Grævius aliique viri ſummi, dum incertum putant an ſint Auſonii, ea judicant ipſo non indigna. Cenſet vero Bucherius cap. 15. de doctr. temp. ea Poëtam noſtrum luſiſſe in duodecim menſium Icones quas exhibet Calendarium vetus cuidam Valentino dicatum ſub Imperatore Conſtantio Illyrici Duci. Itaque in animadverſionibus noſtris illa iterum damus, explicatis quoque Iconibus, (quæ habentur tum in Lambec. Bibl. Append. lib. 4. p. 276. & ſeqq. tum in Græv. Theſ. tom. 8. atque etiam in antiq. explan. ſuppl. tom. 1.) quia vix ſine illis verſiculi poſſunt intelligi.

Non multa antè *Epiſtolam de ſuſcepto filio* carmina ſcripſit Auſonius. Filius enim de quo hic agitur matri ſuperſtes non fuit, quæ ex Parental. 9. nondum impleverat *ſeptenos Decembres*, ubi juvenis juveni marito erepta eſt. Fortaſſe tunc annum vigeſimum quintum agebat. Alioqui inſulſa forent quæ toties inculcat ſe *parentis ævo ſupparem eſſe.*

Ex Epiſtolæ 2. titulo, ubi agitur de temporibus tyrannicis colligunt Vinetus & Floridus eam Treveri ſcriptam. Quibus temporibus occupata tyrannide Maximus Gratianum interfici juſſit. Qua occaſione, quo anno ſcriptum ſilent. Suſpicor ad annum 384. referendam, quo Heſperius Treveri Romam à Valentiniano 2. miſſus fuit, qui crimina Symmacho tum Romæ agenti objecta cognoſceret. Certè Symmachus l. 10. ep. 43. ſibi gratulatur, quod Heſperium habet adminiſtrationis ſuæ teſtem.

Epiſtolam ad Theonem quæ *quarta* habetur, ſcripſit nondum exactis diſciplinæ imperatoriæ temporibus, ut patet ex verſibus 93. & 94.

Nec fas eſt mihi regio magiſtro
Plebeïam numeros docere pulpam.

Iambos ad Probum miſit Conſuli jam renuntiato. Unde colligitur ſcriptos fuiſſe anno 371. quo Probus Conſulatum iniit; & verſu 21.

Digitized by Google

Nam Conſul æternum cluet,

confirmatur.

Epiſtolam ad Urſulum Grammaticum quæ decima octava occurrit, ante Valentiniani obitum ſcriptam docet verſus ejuſdem epiſtolæ tertius, ubi *quæſtorem* ſe Poëta dicit: ſiquidem Valentiniano ſimul & Gratiano quæſtorem fuiſſe conſtat tum ex Protreptico, tum ex Gratiarum actione.

Epiſtola 19. Qua Pontio Paulino reſpondet, ante annum 389. ſcriptam neceſſe eſt, quo exeunte Paulinus in Hiſpaniam ſeceſſit, ut ſe paulatim à terrenarum rerum contemptu ad cœleſtium amorem erigeret. Etenim ex Paulini carmine 10. v. 19. perſpicuum eſt jam tum Muſis Poëticiſque fabulis omnino eum valedixiſſe.

Idem eſto judicium de epiſtolis 20. 21. & 22. Neque enim Paulinus Hebromagum è dominio ſuo oppidum incoluit, niſi quum vitam communem ageret.

Reliquæ ad Paulinum ſcriptæ ab anno 390. quo Paulinum dixi in Hiſpaniam religionis ergò ſeceſſiſſe, ad annum 393. quo tres Auſonii epiſtolæ Paulino una redditæ, ut ex ejuſdem Paulini carmine 10. colligitur.

Epiſtolæ autem juxtà Tollianam, noſtramque editionem apparent omnino viginti quinque, vario carminis genere, ac ſubinde nonnullis præmiſſa epiſtola ſoluto ſermone ſcripta.

De Gratiarum actione pro Conſulatu anno 379. exeunte habita, mentio jam injecta eſt,

Periochas denique in Homeri Iliadem & Odyſſeam, fortaſſe dum Rhetoricam doceret, ſcripſit. In iis ea quæ fuſiùs in libris ſuis Homerus differit, ſummatim exponit, atque Homeri inſtar, leviter perſtrictis quæ belli Trojani originem ſpectant, auſpicatur ab anno iſtius belli nono, nec ultra pugnam Ulyxis cum Ithacenſibus progreditur.

Omitto prudens *verſus Rophalicos* quorum initium:

Spes Deus æternæ ſtationis conciliator.

Jamdudum enim receptum eſt eos non magis adſcribendos Auſonio, quam Catonis diſticha, quæ ſub ejus nomine prodierunt aliquando. Diſticha enim illa ab Ethnico ſcripta legenti

genti patet; Auſonium verò Chriſtianum fuiſſe abundè probavimus.

AUSONIUM autem quis prior ediderit, non is ſum qui affirmare audeam; Venetiis quidem Aldi operâ primùm prodiiſſe auctor Geſnerus. Verum, etiamſi non obſtarent Beughemio memoratæ editiones duæ, *Mediolanenſis* anni 1490. & *Veneta* anni 1496. aliunde conſtat *Auſonii Peonii Poëtæ diſertiſſimi Epigrammata* cum aliorum Poëmatiis fol. Venetiis anno 1472. fuiſſe impreſſa, ſine Typographi nomine, annoque ſic in fine deſignato: *à nativitate Chriſti ducenteſimæ nonageſimæ quintæ Olympiadis anno II. VII. Idus Decembris.* Itaque neutra editio primaria eſt, neque Mediolanenſis Ulderichi Scinzenzeler typis vulgata, curante Julio Æmylio Ferrario Novarienſi, qui tamen *competitorum certaminibus vexatum, curiſque ingentibus obrutum negat ſe impreſſoribus aſſidere aut præeſſe potuiſſe*, neque Veneta per Joannem Tacuinum de Tridino, qui jam anno 1494. eadem Epigrammata typis mandaverat, excuſa, & Georgii Merulæ Præfatione aucta.

XII. EDITIONES. In Typogr. Incunabulis Maittaire Anal. Typogr. tom. I.

Non alia vetuſtior exſtat in Bibliotheca Regia, quam Parmenſis anno 1499. vulgata, edente Thadæo Ugoleto, cui, uti & Mathæo Boſſo, Angeloque Politiano Auſonium deberi tradidit Laurentius Pignorius. Verum ex ipſa Ugoleti Præfatione res aliter ſe habet. Narrat enim ſe verſus antea confuſos in priſtinam formam reſtituiſſe, verba præpoſtera mutaviſſe, nonnulla jam pridem exoleta renovaſſe, verſus interdum, atque integra quæ nuſquam exſtare credebantur epigrammata ſuppleviſſe: in corrigendis autem *Ludo Septem Sapientum*, ac *Nobilium Urbium Catalogo* uſum & adjutum fuiſſe *Triſtani Chalci* codice: denique *Periochen Homericam* ex Berneriano exemplari, & *Moſellam*, ut pote qui unico exſcriptus, depravatum (certe ultimo verſu qui nunc habetur mancum) in lucem dare. Multa præter epigrammata publici juris fecit Tetraſticha de Imperatoribus; Ludum Septem Sapientum; Ordinem nobilium Urbium; Moſellam; carmen de nominibus ſtellarum; quartamque ad Paulinum epiſtolam.

Epiſt. 16.

Nec inutilem operam Auſonio navavit Hieronymus Avan-

tius, qui, cum repetiſſet nonnulla ejuſdem carmina ſitu occupata, ac locis pleriſque corrupta, ne omnino interciderent, emendata, cum reliquis Auſonii ſcriptis, per Joannem Tacuinum, de quo ſuperius dictum eſt, Venetiis, anno 1507. excudi curavit. Hæc ferè ſunt quæ non aliàs edita in lucem protulit: Theodoſii ad Auſonium Epiſtola; Auſonii diſticha quibus Theodoſio reſpondetur; priores quatuor ad Paulinum Epiſtolæ; atque ad Symmachum una, cujus initium: *Intelligo quam mellea res ſit oratio.*

Editio Aſcentiana anni 1517. *in* 4°. nil habet maxime notandum, niſi quod ultimum *Moſellæ* verſum, qui nunc in vulgatis apparet, exhibeat, omniaque Auſonii opera in quinque tomos tributa repræſentet. In quotum primo Epigrammata. In ſecundo Edyllia. In tertio Epiſtolæ. In quarto Gratiarum actio; Ludus Septem Sapientum; Catalogus urbium; Labores Herculis; Cæſarum duodecim deſcriptiones. In quinto Periochæ.

Plurimas, de quibus in Bibliotheca ſua Fabricius, prudens omitto, eas præſertim relaturus quas omiſit, ſi quid habent quo à cæteris meritò ſeparentur. Quas inter editio Tornæſiana anni 1558. tertia parte auctior ea ſeparatim exhibet quæ Stephanus Charpinus Lugdunenſis Eccleſiæ Presbyter è perantiqui Inſulæ Barbaræ Cœnobii Bibliotheca eruit, ejuſdemque Eccleſiæ Comes Guilielmus de la Barge, in lucem edidit. Quod utrumque verſibus eorum nomini dedicatis indicatur. Charpini quidem, canente G. Paradino:

Omnibus excultus numeris emergit in auras
Auſonius partu poſteriore nitens.
Alterutram ipſe ſui queritur dum vivere partem,
Dimidium vates ſenſit abeſſe ſui.

& infra:

Non tulit hanc vati maculam Charpinus inuri,
Dividuum ut monſtrum ſemi ferumque foret.
Nam vigil æterni de faucibus eruit ævi
Auſonii, extinctum pene cadaver, opus, &c.

Bargei vero, canente San-Marcello Comite:

Hactenus Auſonii melior pars clauſa tenebris,
Eruta nunc primum cernere cuique datur.

Digitized by Google

Conquiſita diu tanti monumenta Poëtæ
Præbuit optantum Muſa terenda manu.
Sed decus hoc meruit comprimis Bargeus heros,
Quo ſine Caſtalidum deperiiſſet opus, &c.

Præter Ephemeriden; Parentalia; Commemorationem Profeſſorum Burdigalenſium; Heroum Epitaphia; nonnullaque Epigrammata, acceſſere huic editioni Epiſtolæ ad patrem de filio; ad Heſperium; patris ad filium; ad Theonem ſecunda, tertia & quarta; ad Paulum de Oſtreis. Totum denique Eclogarium, dempto carmine de ſignis cœleſtibus.

Reliquum eſt ut eos commemorem qui totum Auſonium, vel ejuſdem operum partem ſuis Commentariis illuſtraverunt. Agmen ducet Mariangelus Accurſius, Aquilanus, qui *Diatribas* in Auſonium, Ovidium, ac Solinum, eruditas profectò atque elegantes Romæ vulgavit. Plagii ille poſtulatus, quaſi lucubrationes Fabricio Varano Epiſcopo Camerino ſurreptas ſibi vindicaſſet, id criminis hoc jurejurando dilutum voluit, variè quidem à variis excepto: *Quod dii hominéſque, fas, fideſque audiat, Sacramenti religione, ac ſi quid jurejurando ſanctius, affirmo, idque rite pariter ac ſine dolo malo dici, cæteriſque accipi volo, me nec ullius unquam ſcripta perlegiſſe ac ne conſpexiſſe quidem, unde vel tantillum lucubrationes noſtræ redimiri, juvarique datum fuerit. Quin immo laboraſſe quoad ejus fieri licuerit, ut ſi quippiam alterius; poſt obſervationem quoque meam, editum occurrerit, è noſtris protinus aboleverimus. Quod ſi pejerem, tum Pontifex perjurio, malus autem genius Diatribis contingat, uſque adeò ut ſi qua bona aut ſaltem mediocria in ipſis fuerint, imperitorum turbæ peſſima, bonis leviuſcula triciſque viliora cenſeantur, famæ ſi qua manent munera vento evolent, proque vulgi levitate ferantur.* Ad calcem diatrib.

Commentat. — Anno 1524. fol.

Longo poſt intervallo Joſephus Scaliger Vineto miſit ſuos Auſonianarum lectionum libellos duos: in quibus Solomo Pantherus maximum illum virum animadvertit pleraque, quod lectionem ſpectat, intacta neque concinnata reliquiſſe; unde teſtatur ſe in quibuſdam locis non *violentam* quidem, at *mollem* adhibuiſſe *medicinam*.

Anno 1573. — Epiſt. ad Joan. Poſthium.

At verò Elias Vinetus, in vico qui etiamnum pagus *Vine-*

§ E ij

torum appellatur, apud Santones natus, dum humaniores litteras, Matheſinque doceret Burdigalæ, editis Codicibus jam ante Tornæſianam editionem inter ſe collatis, novam adornaverat, quæ anno 1551. Lutetiæ prodiit, curante amico ſuo Jacobo Gupylo Pictone. Nec multo poſt, ubi codicem illum à Charpino repertum accepit, rogatus emendatiorem Auſonium dare, Pictavos, ut amicis aliqua ex parte faceret ſatis, miſit ad Marneſium quæ in Libellum de Claris Urbibus ſcripſerat: donec inſtituta Burdigalæ typographia ſtatuit Auſonium Commentariis ſuis illuſtratum edere. Cœpit itaque excudi Burdigalenſis Poëta anno 1575. (quo etiam anno Lugduni apud Ant. Gryphium, ejuſdem opera à Joſepho Scaligero recognita cum Auſonianis lectionibus prodierunt) eodemque anno abſolutus præter Vineti Commentaria quæ Simon Millangius, quia ipſum defecit charta, nec ob latrociniorum frequentiam ſtatim nanciſceretur, non niſi quatuor poſt annis prælo ſubdere potuit. Eadem poſt Vineti fata Burdigalæ cum Joſephi Scaligeri lectionibus, & excerptis ex Turnebi adverſariis, ſcriptiſque Adriani Junii, Guil. Canteri, ac Juſti Lipſii Philologicis recuſa tum anno 1590. ut monet Fabricius; tum etiam anno 1604. quod ipſum videtur fugiſſe.

Epiſt. ad Nicol. Micaelium. Cæterum, Judice Scaligero, bonus Vinetus non ſolum ſibi, ſed & eruditioribus, etiam in iis quæ plana ſunt, diffidit. Et quamvis in Commentario ſecundo multa de lectionibus Auſonianis in ſuas diatribas tranſcripſerit, nihil tamen quo doctioribus Auſonius familiarior fieret, expromſit. Severum quidem ac paulo iniquius judicium. Etſi enim verboſus eſt Vinetus ut qui maxime, atque habet longe plurima quæ nihil ad rem faciant, in eo tamen laudandus venit, quod multum operæ ac laboris in emendando Poëta noſtro conſumpſerit.

Ibidem. Prope factum eſt ut ſilerem Franciſcum Sylvium Ambianatem, qui, licet Scaligero *nugator* merito appelletur, nihilque niſi *triviali moneta percuſſiſſe* dicatur, laude ſua non eſt fraudandus. Etenim prior aggreſſus eſt Auſonii quædam explicare, puta *Griphum* qui anno 1516. *in* 4. ex ædibus Aſcenſianis prodiit *Enodationis* titulo, quem reſpexiſſe debuit Joannes Vaceus, cum ſub *Griphi* perſona diceret:

Digitized by Google

Aſper eram, nodos mihi Sylvius abſtulit omnes;
Sic ego ſum Scirpus qui modo Griphus eram.

Precationem matutinam ad omnipotentem Deum anno 1517. verſuſque Paſchales anno 1518. ibidem & eadem forma editos.

Præter Sylvium, Gyraldus, ut monet ipſe, Griphum puer interpretatus eſt. Expoſuit quoque Claudius Minos, Divionenſis, in Marchiano Profeſſor. Cujus Commentarios non ita ſpernendos excudit Pariſiis Joannes Richerius anno 1583. *in* 8. cum Appendice apologetica, & quotidianis prælectionibus ex docentis ore exceptis in Edyllia duo, nimirum *de ſtudio puerili*, ac *de ambiguitate vitæ eligendæ*. De Poët. Hiſt. Dial. 10.

Naudæus in ſyntagmate de ſtudio liberali auctor eſt Hugolinum quendam Martellium, qui quidem Bælio teſte Glandatenſis Epiſcopus fuit, operæ pretium duxiſſe mentem Epigrammatis 141. integro volumine declarare, ſed ſatius illi futurum fuiſſe *micare digitis, aut cucurbitas pingere*, cum huic tam ſpiſſum infuderit atramentum, ut vix eluere poſſit quidquid aquarum eſt in Hippocrene.

Non Moſellam tantum, uti vult Fabricius, ſed & plurima cum ſelectis veterum ac recentiorum, petito ex optimis quibuſque Commentario, illuſtravit anno 1615. epigrammatum elector Muſſipontinus. Qui an ſit Paulus Duizius, ut Fabricio placet, indagare non potui, cum in exemplari, quod unum habere licuit, quamvis eo anno quem ille memorat, non eadem tamen forma edito, nuſquam Electoris nomen appareret.

Prodiit quoque Moſella ſeparatim cum erudito Marquardi Freheri Commentario Heidelbergæ typis Gothardi Voëgelini anno 1619. *in fol.*

Pleraque tandem eorum quæ à ſingulis notata dixi, partim integra, partim ſelecta collegit Jacobus Tollius, annoque 1671. *in* 8. Amſt. Auſonio ſuis animadverſionibus aucto adtexuit: plura tamen, quemadmodum ipſe in præfatione ſua teſtatur, collecturus, *ſi affuiſſet bibliotheca tam locuples, ut in hos uſus ſufficeret*. Verum etſi moneat ſe librorum cum ſcriptorum, tum editorum copia defraudatum fuiſſe, nullam ſane habet in eo excuſationem, quod, cum integras Mariangeli Accurſii animad-

Digitized by Google

verſiones in titulo polliceretur, ſelectas duntaxat ediderit. Sed neque ea omnia protulit quæ in Auſonianis Scaligeri lectionibus habentur, quamvis omnia promiſerit.

Quæ res duæ, fides minime liberata, & complura quæ Poëtæ lucem attuliſſent, propter librorum penuriam, omiſſa, efficere mihi videntur, ne Tolliana editio ſit omnibus numeris abſoluta.

Itaque non miror curioſam, ſed hactenus exſpectatam, ut docet Olaus Borrichius diſſert. de Poëtis, ſpopondiſſe Joannem Blaſium Juriſconſultum Amſtelodamenſem; ac etiamnum ſpondere [1] unum è Burdigalenſis Academiæ Sociis, eamque ita curioſam, ut quo anno, qua occaſione unumquodque carmen ſcriptum fuerit, & quis demum ille ſit cujus nomini inſcribitur, edoceat. Quæ publicam lucem donec adſpiciat, futurum confidimus, ut Floridi curis fruantur viri Muſarum amantes, ac noſtro quantulocunque labore utantur.

Atque hæc ſunt quæ dicenda habui de iis qui Auſonium aut illuſtraverunt, aut illuſtratum ire ſe promiſerunt. Nondum enim, quod alterum eſt interpretandi genus, elegantiſſimo Poëtæ contigit, ut vernaculo ſermone converteretur, præter Edyllia duo, ſcilicet Roſas & Cupidinem cruciatum, Centonem, atque è Cæſaribus ac Sapientum Ludo nonnulla. Quæ Gallicis verſibus, quorum ſpecimen exhibemus in notis, vertit Marollius, & Martialis, ſeu ut lepidule dictum eſt, adverſus Martialem epigrammatis ſubtexuit.

Pariſ. anno 1671. *in* 8°.

1. M. Belet. Il fixe le temps auquel ils ont été compoſés (les ouvrages d'Auſone) il rappelle les occaſions qui les ont fait naître; les perſonnes qui y ont donné lieu. Et tout cela eſt rempli de traits de critique, & de perſonalités litteraires fort intereſſantes. *Bibliothèque Françoiſe, Mai & Juin* 1726. p. 52.

DIVERSORUM EPISTOLÆ AD AUSONIUM.

Theodosius Augustus Ausonio Parenti Salutem.

AMOR meus qui in te eſt, & admiratio ingenii, atque eruditionis tuæ, quæ multo maxima ſunt, fecit, Parens jucundiſſime, ut morem principibus aliis ſolitum ſequeſtrarem; familiaremque ſermonem autographum ad te tranſmitterem: poſtulans pro jure non quidem regio, ſed illius privatæ inter nos caritatis, ne fraudari me ſcriptorum tuorum lectione patiaris: quæ olim mihi cognita, & jam per tempus oblita, rurſum deſidero, non ſolum ut quæ ſunt nota recolam; ſed ut ea quæ fama celebri adjecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario ſcriniorum tuorum, qui me amas, libens impertiare, ſecutus exempla auctorum optimorum, quibus par eſſe meruiſti: qui Octaviano Auguſto rerum potienti, certatim opera ſua tradebant, nullo fine in ejus honorem multa condentes. Qui illos, haud ſciam an æqualiter ac ego te, admiratus ſit; certe non amplius diligebat. VALE PARENS.

Hanc epiſtolam Theodoſio abjudicant Mariangelus Accurſius, & Caſpar Barthius.

Digitized by Google

Selectæ Symmachi ad Auſonium Epiſtolæ.

Ex editione Lugd. Batav. ann. 1653.

SYMMACHUS AUSONIO. Epiſt. I.

P*ETIS à me litteras longiores. Eſt hoc in nos veri amoris indicium. Sed ego qui ſum paupertini mei ingenii conſcius, Laconicæ malo ſtudere brevitati, quam multijugis paginis infantiæ maciem publicare. Nec mirum ſi eloquii noſtri vena tenuata eſt; quam dudum neque ullius poëmatis tui, neque pedeſtrium voluminum lectione juviſti. Unde igitur ſermonis mei longam poſcis uſuram, qui nihil litterati fœnoris crediſti? Volitat tuus* Moſella *per manus ſinuſque multorum, divinis à te verſibus conſecratus: ſed tantum noſtra ora prælabitur. Cur me iſtius libelli, quæſo, exſortem eſſe voluiſti? Aut* amuſos *tibi videbar, qui dijudicare non poſſem; aut certè malignus qui laudare neſcirem. Itaque vel ingenio meo plurimum, vel moribus, derogaſti. Ego tamen contra interdictum tuum mox ad illius operis arcana perveni: velim reticere quid ſentiam: velim de te juſto ſilentio vindicari: ſed admiratio ſcriptorum, ſenſum frangit injuria. Novi enim iſtum fluvium, cum* ÆTERNORUM PRINCIPUM *jampridem ſigna comitarer, parem multis, imparem maximis. Nunc improviſo clarorum verſuum dignitate Ægyptio Melone majorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque hoc noſtro populari Fucino reddidiſti. Nequaquam tibi crederem, de Moſellæ ortu ac meatu magna narranti; niſi certo ſcirem, quod nec in poëmate mentiaris. Unde illa amnicorum piſcium examina reperiſti? Quam nominibus varia, tam coloribus; ut magnitudine diſtantia, ſic ſapore; quæ pigmentis iſtius carminis ſupra naturæ dona fucaſti. Atqui in tuis menſis ſæpe verſatus, cum pleraque alia, quæ tunc in Prætorio erant, eſui objecta mirarer; nunquam hoc genus piſcium deprehendi. Quando hi piſces in libro tibi nati ſunt, qui in ferculis non fuerunt? Jocari me putas, atque agere nugas?* [1] *Ita me Diis probabilem præſtem! ut ego tuum carmen libris Maronis adjungo. Sed jam deſinam mei oblitus doloris,*

NOTÆ.

1. *Ita me Diis probabilem præſtem.*] Quidam editi habent: *Ita me Dii Dominus probabilem præſtent.* Quam lectionem genuinam eſſe cenſeo, probatque vox ÆTERNORUM quam ſuperius uſurpavit Symmachus, de Principibus ſuis mentione injecta.

inhærere

inherere laudibus tuis, ne hoc quoque ad gloriam tuam accedat, quod te miramur offenſi. Spargas licet volumina, & me ſemper excipias: fruemur tamen tuo opere, ſed aliorum benignitate. VALE.

SYMMACHUS AUSONIO. Epiſt. II.

SÆPE *unanimitatis tuæ ſermone convenior, ut de acceptis litteris, quas ad me cura propenſiore miſiſti, vel ſcribam; quibus ego, ut quæque reddita ſunt, actutum pari religione reſpondi: quia neque reſcriptorum ratio, neque amoris viciſſitudo ſinebat diutius deſidere. Nunc quoque agere me atque habere gratias proteſtor, quod proſpera nunciorum clam me eſſe non pateris. Hæc & alia prioribus quoque litteris tecum fueram collocutus. Sed ſi te tabellarii ſermonis mei compotem reddiderunt, congeſta non onerant. Malo quippe aures tuas* [1] *iterando obtundere, quam fraudare reticendo.* [2] *Fratris mei Heſperii honore exſulto, taciturnitate convulneror. Nam ſi me ſui amantem uſu rerum probavit, ſcriptis famam decuit prævenire, quæ diu incerta fluxam fidem gaudiis exhibebat. Ipſe igitur nuntius communis boni eſſe debuerat, ut epiſtolæ aſſertio nihil relinqueret opinionis ambiguo. Sed dicis, eum pudore perſtrictum, ſucceſſuum ſuorum vitaſſe jactantiam. Quiſquamne, cum de ſe apud ipſum loquitur erubeſcit? Quid quod eam rem mihi ſuperſedit ingerere, quam juſte ad utrumque noverat pertinere? Verum ego, ut religioſe iſta conqueror, ita libenter omitto: quia nec amori in vos meo convenit ſilere, quod doleam; nec amicitiæ incuſſi doloris tranſire menſuram.* VALE.

NOTÆ.

1. *Iterando obtundere, quam fraudare reticendo*, &c.] Argute omnia Symmachus dicit, quem admirari è noſtratibus debent qui tam belle imitantur. Admirentur autem, inquit Eraſmus in Ciceroniano p. 65. quibus ſtudio eſt moleſte potius, quam bene dicere.

2. *Fratris mei Heſperii.*] Ut Auſonium *Patrem* appellare ſolet, ſic Heſperium ejus filium appellare *fratrem* debuit.

SYMMACHUS AUSONIO. Epiſt. III.

EGO *etſi continuis litteris honorem tuum celebrare poſſem; non ſatis mihi viderer, proquam res poſtulat, fungi debitum meum: tantum abeſt ut operam aſſiduitatis exprobrem. Sed ut hoc meæ verecundiæ competit; ita tuæ humanitatis eſt, ſtudium noſtrum pari gratia ſuſtinere. Animadverte quo tendat ſumma verborum. Jamdudum nihil tribuis quod legamus. Totum me, inquies, emancipavit ſibi cura Prætorii.*

Digitized by Google

Verum eſt : [1] *potiris merito ſumma judicia. Sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat. Proinde his etiam rebus intende, quæ ita occupatis nihil moleſtiæ afferunt, ut ipſas moleſtias plerumque ſolentur.* VALE.

NOTÆ.

1. *Potiris ſumma judicia.*] Rectius mea ſententia Juretus qui legit *ſumma judicii*, atque ad dignitatem Præfecti Prætorio, qua claruit Auſonius, refert. Hinc in cod. Theod. lib. de Epiſc Judic. ad Ablavium Præfectum Prætorio ſcribens, *qui judiciorum*, ait, *ſummam teneris.*

SYMMACHUS AUSONIO. Epiſt. IV.

BENE *ac ſapienter majores noſtri, ut ſunt alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti gemella facie junctim locarunt ; commenti, quod in te videmus, ibi eſſe præmia honoris, ubi ſunt merita virtutis. Sed enim propter eas Camœnarum religio ſacro fonti advertitur ; quia iter ad capeſſendos magiſtratus ſæpe litteris promovetur. Hæc parentum inſtituta Conſulatus tui argumenta ſunt : cui morum gravitas, &* [1] *diſciplinarum vetuſtas, curulis ſellæ inſigne pepererunt. Multi poſthac adnitentur artes bonas, & laudes germanas, & meras litteras. Sin ignoramus Magnum illum, cujus ſupra votum fortuna fluxit, Stagiritæ ſuo nihilum commodaſſe, niſi Quinto Ennio ex Ætolicis manubiis captiva chlamys tantum muneri data Fulvium decolorat. Enim vero neque Panætio Africanorum ſecundus, neque Opillo Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro ſuo Mithridates Ponticus liberalium diſciplinarum pretia ſolverunt. At nunc eruditiſſimus Imperator, & opum largus & honorum quaſi pro uſura tibi præmia detulerit, ita ſuper ſortem fœnoris reddit. In hac tanta lætitia mea, quibus verbis diluam, quod* [2] *adeſſe non poſſum ? Nimis vereor, ne male interpretatus excuſationem meam, quantum tibi gratulor parum credas. Optavi ad oculos tuos raptim venire : ſed feſſus virium, quas diu morbus exhauſit, itiones longas, & manſiones aſperas, tum acceſſiones frigorum, & deceſſiones dierum, quæque alia ſunt noxæ opportuna vitavi. Si ſum tibi ſpectatus ex animo, quæſo ut æquus ſis mihi, atque has allegationes boni conſulas. Fors fuat, an obtineamus apud te veterem gratiam : nunc quod ſatis eſt, eluctemur offenſam.*

NOTÆ.

1. *Diſciplinarum vetuſtas.*] Legendum puto *venuſtas*, ut morum gravitati opponatur venuſtas diſciplinarum. Omnia enim effert per Antitheſim, ut jam notavi.

2. *Adeſſe non poſſum.*] Treveri, in qua urbe Auſonium ſæpe diximus conſulatum iniviſſe.

Digitized by Google

Symmachus Ausonio. Epiſt. v.

P*OST longum ſilentium tuum non minus deſiderabam, quam ſperabam, literas longiores. Namque his vicibus humana variantur, ut defectui ſuccedat ubertas. Ea me opinio fruſtra habuit : ſiquidem brevis in manus meas pagina recens à te profecta pervenit. Erat quidem illa Atticis ſalibus aſperſa & thymo odora ; ſed parcior quæ magis faſtidium detergeret, quam famem frangeret. Quid ? ſi ego*[1] *cœnas dapſiles, &*[2] *Saliare convivium, tum*[3] *viſcerationes, atque epulum poſtulaſſem : tu mihi menſas ſecundas, & ſcitamenta exigua lancis apponeres ? Fac veniat in mentem, quid Græca ſuper hoc dicat oratio.* Parvis nutrimentis, *inquit*, quamquam à morte defendimur, nihil tamen ad robuſtam valetudinem promovemur. *Putas-ne me de occupationibus tuis eſſe taciturum ? Quæſtor es, memini : conſilii regalis particeps, ſcio : adde huc alia mille rerum. Nunquam evenit, ut ingenium tuum labor deterat, benignitatem cura flectat, facundiam uſus exhauriat. Si diurna negotia nunquam diſtingues quiete ; certe antelucano ſomno nullus indulſeris, ut detur aliquod tempus officiis. An tibi parum exempli videtur in Comico, cum ait !*

[4] Quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari !

Sed cur ego ſermonis pauper diutius obgannio ? Imitanda eſt mihi epiſtola recens, ut cætera morum tuorum : forte occupatus recuſat litteras longiores. Id ita eſſe recte conjecto. Video enim, quam nolis multa legere, cui vix eſt otium pauca dictare. Vale.

Notæ.

1\. *Cœnas dapſiles.*] Legunt alii *dapales.* Lautas, opiparas. *Dapes* Regum eſſe : epulas privatorum auctor Servius ad v. 710. Æneidos 1.

2\. *Saliare convivium*] Vetuſto proverbio *Saliares* dictæ lautiſſimæ cœnæ, à *Saliis* Martis Dei Romæ ſacerdotibus.

3\. *Viſcerationes.*] Dictæ, quum ſolemni ſacro, aut Magnatis funere, multorum animalium caro plebi diſtribuitur. *Populo viſceratio data à Marco Flavio in funere matris.* Livius Hiſt. 3.

4\. *Quam vellem*, &c.] Ex Terentii Adelphis, initio actus. 4.

Symmachus Ausonio. Epiſt. vi.

E*TSI plerumque vera eſt apud parentes prædicatio filiorum, neſcio quo tamen pacto detrimentum meriti ſui patitur, dum perſonarum ſpectare gratiam judicatur. Quæro igitur incertus animi, quæ mihi nunc potiſſimum ſuper viro honorabili*[1] THALASSIO *genero tuo*

Notæ.

1\. De Thalaſſio vide quæ annotavimus ad Parentalia, & ad Epicedion.

verba ſumenda ſint. Si parce morum ejus decora attingam, liventi ſimilis æſtimabor: ſi juſte proſequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Salluſtiani teſtimonii caſtigationem. [1] *Habes virum dignum te, & per te familia Conſulari; quem fortuna honori patris majorem beneficiis ſuis reperit, emendatio animi & ſanctitas honoribus æquiparavit.* VALE.

NOTÆ.

1. *Habes*, &c.] Scipio Æmilianus de Jugurtha in litteris ad Micipſam, apud Salluſt. *En habes virum dignum te, atque avo ſuo Maſiniſſa.*

SYMMACHUS AUSONIO. Epiſt. VII.

MERUM gaudium eruditionis tuæ ſcripta tribuerunt, quæ Capuæ locatus accepi. Erat quippe in his oblita Tulliano melle feſtivitas, & ſermonis mei non tam vera, quam blanda laudatio. Quid igitur magis mirer, ſententiæ incertus addubito, ornamenta oris, an pectoris tui. Quippe ita facundia antiſtas cæteris, ut ſit formido reſcribere: ita benigne noſtra comprobas, ut libeat non tacere. Si plura de te prædicem, videbor mutuum ſcabere, & magis imitator tui alloquii quam probator. Simul quod ipſe nihil oſtentandi gratia facis, verendum eſt, genuina in te bona, tanquam affectata laudare. Unum hoc tamen à nobis indubitata veritate cognoſce, neminem eſſe mortalium, quem præ te diligam: ſic vadatum me honorabili amore tenuiſti. Sed in eo mihi verecundus plus nimio videris, quod libelli tui arguis proditorem. Nam facilius eſt [1] *ardentes favillas ore comprimere, quam luculenti operis ſervare ſecretum. Cum ſemel à te carmen profectum eſt, jus omne poſuiſti. Oratio publicata, res libera eſt. An vereris æmuli venena lectoris, ne libellus tuus admorſu duri dentis uratur? Tibi uni nihil ad hoc locorum gratia præſtitit, aut dempſit invidia.* [2] *Ingratis ſcævo cuique proboque laudabilis es. Proinde caſſas dehinc ſeclude formidines, & indulge ſtilo, ut ſæpe prodaris. Certe aliquod didaſcalicum, ſeu protrepticum noſtro quoque nomini carmen adjudica. Fac periculum ſilentii mei, quod etſi tibi exhibere opto, tamen ſpondere non audeo. Novi ego, quæ ſit prurigo emittendi operis, quod tu probaris. Nam quodam pacto ſocietatem laudis affectat, qui aliena bene dicta primus enuntiat. Ea propter in comœdiis ſummatem quidem gloriam ſcriptores tulerunt:*

NOTÆ.

1. *Ardentes favillas ore comprimere.*] Petronius Arbiter in Satyrico:

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam ſecreta tegant.

2. *Ingratis*, &c.] Æque laudandus improbis ac probis. Antiqua enim Gloſſaria monuit Juretus, *Scævos* interpretari ſiniſtros, malos, & crudeles,

Roſcio tamen, atque Ambivio, cæteriſque auctoribus fama non defuit. Ergo tali negotio expende otium tuum, & novis voluminibus jejunia noſtra ſuſtenta. Quod ſi jactantiæ fugax garrulum indicem pertimeſcis, præſta etiam ſilentium mihi, ut tuto ſimulem eſſe noſtra, quæ ſcripſeris. VALE.

Pontii Meropii Paulini ad Auſonium Epiſtolæ ex edit. Pariſ. 1685.

Diximus ad Auſonium Paulino, cum ageret in Hiſpania, tres ſimul Auſonii Epiſtolas redditas fuiſſe. Primæ, tertiæ quæ intercidit, & quartæ reſpondet Paulinus hoc Carmine anno 393. ſcripto, quod inter ejuſdem Poëmata decimum habetur.

AUSONIO PAULINUS. Epiſt. I.

[1] *QUARTA redit duris hæc jam meſſoribus æſtas,*
Et toties cano bruma gelu riguit;
Ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore,
Nulla tua vidi ſcripta notata manu.
Ante ſalutifero felix cum charta libello
Dona negata diu, multiplicata daret.
Trina etenim vario florebat epiſtola textu,
Sed numeroſa triplex pagina carmen erat.
Dulcia multimodis quædam ſubamara querelis
Anxia cenſura miſcuerat pietas.
Sed mihi mite patris pluſquam cenſoris acerbum
Sedit, & è blandis aſpera penſo animo.
Iſta ſuo referenda loco tamen, & graviore
Vindicis heroi ſunt agitanda ſono.

NOTÆ.

1. Hoc initium verſibus Elegiacis ſcriptum, veluti quædam eſt præfatio, quam ſequuntur Iambici trimetri & dimetri, quibus Auſonio Paulinus rationem reddit, cur Muſis valedixerit, bonaque abdicarit. Iambicos ſequuntur Hexametri quibus aſpera Auſonii dicta confutat, & reſpondet vigeſimæ quintæ ejuſdem epiſtolæ, ac tertiæ quæ intercidit, nec non vigeſimæ quartæ, in qua Theraſiam Paulini uxorem, *Tanaquilem* vocabat. Hæc autem Paulini Epiſtola, quam vulgati codices trifariam antea dividebant, una debet numerari, complectiturque Elegiacum, Iambicum, & Heroicum carmen. Quod ſatis in ſua præfatione declarat ipſe Paulinus.

Interea levior paucis præcurrit iambus,
Diſcreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi ſalvere jubent, dictaque ſalute,
Ut fecere aliis orſa gradumque, ſilent.

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Muſas præcipis?
Negant camœnis, nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari
Tecum mihi concordia,
Ciere ſurdum Delphica Phœbum ſpecu,
Vocare Muſas numina;
Fandique munus munere indultum Dei,
Petere è nemoribus aut jugis.
Nunc alia mentem vis agit, major Deus;
Alioſque mores poſtulat,
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum,
Vivamus ut vitæ Patri.
Vacare vanis otio aut negotio,
Et fabuloſis litteris
Vetat, ſuis ut pareamus legibus,
Lucemque cernamus ſuam:
Quam vis Sophorum callida, arſque Rhetorum, &
Figmenta vatum nubilant,
Qui corda falſis atque vanis imbuunt,
Tantumque linguas inſtruunt:
Nihil adferentes ut ſalutem conferant,
Quod veritatem detegat.
Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
Qui non tenent ſumma caput,
Veri bonique fomitem & fontem Deum!
Quem nemo niſi in Chriſto videt.
Hic veritatis lumen eſt, vita via,
Vis, mens, manus, virtus Patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei.
Natus Deo, mundi ſator,
Mortalitatis vita noſtra, & mors necis.
Magiſter hic [1] virtutium,

NOTÆ.

1. *Virtutium.*] Ita vetus codex; quod & metri ratio poſtulat: quamvis Priſcianus lib. 7. tradat ab virtute *virtutum* duntaxat effici. *Vinetus.*

Deuſque nobis, atque pro nobis homo
Nos induendo ſe exuit,
Æterna jungens homines inter & Deum,
In utrumque ſe commercia.
Hic ergo noſtris ut ſuum præcordiis
Vibraverit cælo jubar,
Abſtergit ægrum corporis pigri ſitum,
Habitumque mentis innovat,
Exhaurit omne quod juvabat antea
Caſtæ voluptatis vice;
Totuſque noſtra jure Domini vendicat
Et corda, & ora, & tempora.
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri & diligi.
Æſtus inanes quos movet vitæ labor
Præſentis ævi tramite,
Abolet futuræ cum Deo vitæ fides.
Quæ, quas videmur ſpernere,
Non ut profanas abjicit, aut viles opes;
Sed ut magis caras, monet
Cælis reponi creditas Chriſto Deo,
Qui plura promiſit datis;
Contemta præſens vel mage depoſita ſibi
Multo ut rependat fœnore.
Sine fraude cuſtos aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor;
Multaque ſpretam largior pecuniam
Reſtituet uſura Deus.
Huic vacantem, vel ſtudentem, & deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne quæſo ſegnem, neve perverſum putes,
Nec crimineris impium.
Pietas abeſſe Chriſtiano quî poteſt!
Namque argumentum mutuum eſt
Pietatis, eſſe Chriſtianum: & impii,
Non eſſe Chriſto ſubditum.
Hanc cum tenere diſcimus, poſſum tibi
Non exhibere, id eſt patri,
Cui cuncta ſancta jura, cara nomina
Debere me voluit Deus?
Tibi diſciplinas, dignitatem, litteras,
Linguæ, togæ, famæ decus,

Digitized by Google

Provectus, altus, inſtitutus debeo,
Patrone, præceptor, pater.
Sed cur remotus tamdiu degam, arguis,
Pioque motu iraſceris.
Conducit iſtud, aut neceſſe èſt, aut placet:
[1] *Veniale, quidquid horum erit.*
Ignoſce amanti, ſi geram quod expedit:
Gratare, ſi vivam ut libet.

Deſore me patriis tota trieteride terris,
Atque alium legiſſe vagis erroribus orbem,
Culta prius veſtra oblitum conſortia vitæ
Increpitas ſanctis mota pietate querelis.
Amplector patrio venerandos pectore motus,
Et mihi gratandas ſalvis affectibus iras.
Sed reditum inde meum genitor te poſcere mallem
Unde dari poſſit. Revocandum me tibi credam,
Cum ſteriles fundas non ad divina precatus,
Caſtalidis ſupplex averſo numine Muſis!
Non his numinibus tibi me patriæque reduces.
Quod datur, in nihilum (ſine numine nomina Muſas .
Surda vocas, & nulla rogas) levis auferet aura.
Irrita ventoſæ rapiunt hæc vota procellæ,
Quæ non miſſa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant Superi ſtellantem Regis in aulam.
Si tibi cura mei reditus, illum aſpice, & ora,
Qui tonitru ſummi quatit ignea culmina cæli,
Qui triſido igne micat, nec inania murmura miſcet,
Quique ſatis cælo ſoles largitur, & imbres,
Qui ſuper omne quod eſt, vel in omnia totus ubique
Omnibus infuſus rebus regit omnia Chriſtus:
Qui mentes tenet atque movet, qui tempora noſtra
Et loca diſponit; quod ſi contraria votis
Conſtituat noſtris, prece deflectendus in illa eſt
Quæ volumus. Quid me accuſas? Si diſplicet actus
Quem gero agente Deo, prius eſt (ſi fas) [2] *reus auctor*

NOTÆ.

1. *Veniale.*] Vox ea quanto ſit Paulino antiquior, ignoratur. *Veniale quidquid horum erit.* Venia dignum eſt, ac mihi debes ignoſcere, quod tam diu in Hiſpania, procul à te & patria, degam, quæcunque harum trium cauſa ſit mihi, ut id faciam, ſive quia id expedit, ſive quia neceſſe eſt, ſive quia mihi ſic libet. *Vinetus.*

2. *Reus auctor.*] Ut Deus accuſetur, qui me, quæ facio, facere compellit. *Vinetus.*

Cui

Cui placet aut formare meos, aut vertere ſenſus.
Nam mea ſi repuſes quæ priſtina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor eum modo me non eſſe ſub illo
Tempore qui fuerim, quo non perverſus habebar,
Et perverſus eram, falſi caligine cernens,
Stulta Dei ſapiens, & mortis pabula vivens.
Quo magis ignoſci mihi fas, quia promtius ex hoc
Agnoſci datur, à ſummo Genitore novari,
Quod non more meo geritur; non arbitror, iſtis
Confeſſus dicar mutata in prava notandum
Errorem mentis, quoniam ſim ſponte profeſſus,
Me non mente mea vitam mutaſſe priorem.
Mens nova me fateor cepit, mens non mea quondam,
Sed mea nunc auctore Deo, qui ſi quid in actu
Ingeniove meo ſua dignum ad munia vidit,
Gratia prima tibi, tibi gloria debita cedis,
Cujus præceptis partum eſt, quod Chriſtus amaret.
  Quare gratandum magis eſt tibi quam queritandum,
Quod tuus ille, suis ſtudiis & moribus ortus,
Paulinus, cui te non inficiare parentem
Nec modo, cum credis perverſum, ſic mea verti
Conſilia, ut ſim promeritus Chriſti fore, dum ſum
Auſonii; feret ille tua ſua præmia laudi,
Deque tua primum tibi deferes arbore fructum.
  Unde precor meliora putes, nec maxima perdas
Præmia, deteſtando tuis bona fontibus orta.
Non etenim mihi mens vaga, ſed neque participantum
Viſa fugax hominum, Lycia quæ ſcribis in antris
Pegaſeum vixiſſe equitem, licet avia multi
Numine agente colant, clari velut ante Sophorum
Pro ſtudiis Muſiſque ſuis: ut nunc quoque caſtis
Qui Chriſtum ſumſere animis agitare frequentant,
Non inopes animi, neque de feritate legentes
Deſertis habitare locis, ſed in ardua verſi
Sidera, ſpectanteſque Deum, verique profunda
Perſpicere intenti, de vanis libera curis
Otia amant, ſtrepituſque fori, rerumque tumultus,
Cunctaque divinis inimica negocia donis,
Et Chriſti imperiis, & amore ſalutis, abhorrent.
Speque fideque Deum ſponſa mercede ſequuntur,
Quam referet certus non deſperantibus auctor,
Si modo non vincant vacuis præſentia rebus;

Digitized by Google

Quæque videt ſpernat, quæ non videt ut mereatur,
Secreta ignitus penetrans cæleſtia ſenſus.
Namque caduca patent noſtris, æterna negantur
Viſibus, & nunc ſpe ſequimur quod mente videmus,
Spernentes varias rerum ſpectacula formas,
Et male corporeos bona ſollicitantia viſus.
Attamen hæc ſediſſe illis ſententia viſa eſt,
Tota quibus jam lux patuit, verique bonique,
Venturi æternum ſecli, & præſentis inane.
At mihi non eadem cui gloria, [1] cur eadem ſit
Fama? [2] Fides voti par eſt, ſed amœna colenti,
Nunc etiam & blanda poſito locupletis in acta
Littoris, unde hæc jam tam feſtinata locorum,
Invidia eſt? Utinam juſtus me carpere livor
Incipiat, Chriſti ſub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens Numine firma pudorem,
Et laus hic contemta redit mihi judice Chriſto.
Ne me igitur, Venerande Parens, his ut male verſum
Increpites ſtudiis, neque me vel conjuge carpas,
Vel mentis vitio: non anxia Bellerophontis
Mens eſt, nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia conjux.
Nec mihi nunc patrii eſt (ut vis) oblivio cæli,
Qui ſummum ſuſpecto Patrem, quem qui colit unum,
Hic vere memor eſt cœli. Crede ergo, Pater, nos
Nec cœli immemores, nec vivere mentis egentes,
Humaniſque agitare locis; ſtudia ipſa piorum
Teſtantur mores hominum: nec enim impia ſummum
Gens poterit noviſſe Deum; ſint multa locorum,
Multa hominum ſtudiis inculta, expertia legum,
Quæ regio agreſti ritu caret? Aut quid honeſtis
Improbitas aliena nocet? Quid tu mihi vaſtos
Vaſconiæ ſaltus, & ninguida Pirenæi
Objicis hoſpitia, in primo quaſi limine fixus
Hiſpanæ regionis agam, nec ſit locus uſquam

NOTÆ.

1. *Cur eadem ſit fama.*] Non ſum Paulus ille Ægyptius, nec Antonius, nec Hilarion, nec Macharius, nec quiſquam ex ſanctis illis Monachis, & tamen vos in iis me ponitis. Unde iſti de me diſſipati rumores? *Vinetus.*

2. *Fides voti par eſt.*] Hoc fortaſſe vult Paulinus: quæ de illo ex falſo rumore crederentur, ea voto ejus convenire; qui ſolitariam illam vitam in primis probaret, & optaret: quamvis adhuc amœna Hiſpaniæ loca incoleret, non vaſtas aliquas ſolitudines, ut in quibus Paulum illum mortuum ferunt, & ab Antonio ſepultum. *Idem.*

Rure vel urbe mihi, [1]ſummum qua dives in orbem
Uſque patet merſos ſpectans Hiſpania Soles?
Sed fuerit fortuna, jugis habitaſſe latronum:
Non lare barbarico rigui, mutatus in ipſos,
Inter quos habui ſocia feritate colonos.
Non recipit mens pura malum, neque levibus hærent
Inſperſa fibris macula: ſic Vaſcone ſaltu
Quiſquis agit purus ſceleris vitam inter iniquos,
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hoſpite. Sed mihi cur ſit ab illo nomine crimen,
Qui diverſa colo, ut colui, loca juncta ſuperbis
Urbibus, & lætis hominum celeberrima cultis?
Ac ſi Vaſconicis mihi vita fuiſſet in oris:
Cur non more meo potius formata, ferinos
Poneret, in noſtros migrans gens barbara, ritus?
Num quod in averſis habitacula ponis Hiberis
Urbibus, & deſerta tuo legis oppida verſu,
Montanamque mihi Calagurrim, & Bilbilim acutis
Pendentem ſcopulis, collemque jacentis Ilerdæ
Exprobras, velut his habitem laris exſul & urbis
Extra hominum tecta atque vias: an credis Hiberæ
Has telluris opes, Hiſpani neſcius orbis,
Quo gravis ille poli ſub pondere conſtitit Atlas,
Ultima nunc ejus mons portio metaque terræ
Diſcludit bimarem celſo qui vertice Calpen?
Bilbilis huic tantum, Calagurris, Ilerda notatur,
Cæſarea eſt Auguſta cui, cui Barcino amœna,
Et capite inſigni deſpectans Tarraco pontum.
Quid numerem egregias terris & mœnibus urbes,
Quæ geminum felix Hiſpania tendit in æquor,
Qua Betis Oceanum, Tyrrhenumque auget Hiberus,
Lataque diſtantis pelagi divortia complet
Orbe ſuo finem ponens in limite mundi?
An tibi, mi Domine illuſtris, ſi ſcribere ſit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malis deſcribere Boios?
Cumque Marojalicis tua prodigis otia thermis,
Inter & umbroſos donas tibi vivere lucos,

NOTÆ.

1. *Summum.*] Extremum, occiduum, qua parte Solem in Oceanum, magnum mare, ſe mergere, cum occidit, fabulati ſunt Veteres. *Vinetus.*

Læta locis, & mira colens habitacula tectis:
Nigranteſne caſas & texta mapalia culmo,
Dignaque [1] pellitis habitas deſerta Bigerris?
Quique ſuperba tuæ contemnis mœnia Romæ
Conſul, arenoſos num dedignare Vaſatas?
Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,
[2] Rauranum Auſonias huc devexiſſe curules
Conquerar; & trabeam veteri ſordeſcere panno?
Quæ tamen auguſta Latiaris in urbe Quirini
Cæſareas inter parili titulo palmatas
Fulget in attrito longum venerabilis auro,
Florentem retinens meriti vivacis honorem.
Aut cum Lucani retineris culmine fundi
Æmula Romuleis habitans faſtigia tectis,
Materiam præbente loco, qui proxima ſignat,
In Condatino diceris degere vico?
Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, & male dulces
Fermentare jocos Satyræ mordacis aceto,
Sæpe Poëtarum, nunquam decet eſſe parentum.
Namque fides pietaſque petunt, ut quod mala nectens
Inſinuat caſtis fama auribus, hoc bona voti
Mens patris affigi, fixumque hæreſcere cordi
Non ſinat, ut vulgus ſcævo rumore malignum.
Ante habitos mores, non ſemper flectere vitam
Crimen habet: namque eſt laudi bene vertere. Cum me
Immutatum audis, ſtudium officiumque require.
Si pravo rectum, ſi relligioſa profanis,
Luxuriæ parcum, turpi mutatur honeſtum;
Segnis, iners, obſcurus ago: miſerere ſodalis
In mala perverſi: blandum licet ira parentem.
Excitet, ut lapſum rectis inſtauret amicum
Moribus, & monitu reparet meliora ſevero.
At ſi forte itidem, quod legi, & quod ſequor, audis,
Corda pio voviſſe Deo, venerabile Chriſti

Notæ.

1. *Pellitis Bigerris.*] Bigorræ incolas *pellitos* vocat, quia cum ninguidæ Pyreni adjaceant, frigidiorem ventum arcent villoſis veſtibus, quas teſte Savarone ad Sidonium *marlotas* appellant quaſi *μαλλωτάς*.

2. *Rauranum.*] Legitur in Antonini itinerario locus *Rauranum* dictus, inter Mediolanum Santonum, & Biturigum Cuborum Argantomagum.

Imperium docili pro credulitate ſequentem,
Perſuaſumque Dei monitis, æterna parari
Præmia mortali, damnis præſentibus emta,
Non reor id ſano ſic diſplicuiſſe Parenti,
Mentis ut errorem credat, ſic vivere Chriſto,
Ut Chriſtus ſanxit. Juvat hoc, nec pœnitet hujus
Erroris. Stultus diverſa ſequentibus eſſe
Nil moror, æterno mea dum ſententia Regi
Sit ſapiens. Breve, quidquid homo eſt, ut corporis ægri,
Temporis occidui, & ſine Chriſto pulvis & umbra:
Quod probat aut damnat, tanti eſt, quanti arbiter ipſe.
Ipſe obit, atque illi ſuus eſt [1] *comitabilis error,*
Cumque ſuo moriens ſententia judice tranſit.
At niſi, dum præſens tempus datur, anxia nobis
Cura ſit ad Domini præceptum vivere Chriſti,
Sera erit exutis homini querimonia membris,
Dum levia humanæ metuit convitia linguæ,
Non timuiſſe graves divini judicis iras.
Quem Patris æterni ſolio dextraque ſedentem
Omnibus impoſitum Regem, & labentibus annis
Venturum, ut cunctas æquato examine gentes
Judicet, & variis referat ſua præmia geſtis,
Credo equidem, & metuens ſtudio properante laboro,
Si qua datur, ne morte prius quam crimine ſolvar.
Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt, geſtitque anima, id jam cauta futuri,
Præmetuens ne vincta ægris pro corpore curis,
Ponderibuſque gravis rerum, ſi forte recuſo
[2] *Increpitet tuba vaſta polo, non poſſit in auras*
Regis ad occurſum levibus ſe tollere pennis,
Inter honora volans Sanctorum millia cœlo,
Qui per inane leves, neque mundi compede vinctos
Ardua in aſtra pedes facili molimine tollent.
Et teneris vecti per ſidera nubibus ibunt,
Cæleſtem ut medio venerentur in agmine Regem,
Claraque adorato conjungant agmina Chriſto.
Hic metus eſt, labor iſte, dies ne me ultimus atris

NOTÆ.

1. *Comitabilis error.*] Hominem obeuntem ſuus comitatur error. Verbum autem novum *comitabilis* à *comitor*. Vinetus.

2. *Increpitet tuba.*] Ex Mathæi Evangelio.

Sopitum tenebris ſterili deprendat in actu,
Tempora ſub vacuis ducentem perdita curis.
Nam quid agam? Lentis ſi dum conniveo votis,
Chriſtus ab ætheria mihi proditus arce coruſcet,
Et ſubitis Domini cælo venientis aperto
Præſtrictus radiis, obſcura & triſtia noctis
Subfugia illato confuſus lumine quæram?
Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
Vel præſentis amor vitæ, rerumque voluptas,
Curarumve labor, placuit prævertere caſus
Propoſito, & curas finire ſuperſtite vita;
[1]*Commiſſiſque Deo ventura in ſæcula rebus,*
Exſpectare trucem ſecuro pectore mortem.
Si placet hoc, gratare tui ſpe divite amici:
Si contra eſt, Chriſto tantum me linque probari.

NOTÆ.

1. *Commiſſis.*] Legebat Vinetus *commaſſi*. Unde non miror hæc ab eo non intellecta: ſiquidem ea lectio nullum efficit ſenſum.

Ea, quâ ſecundæ Auſonii Epiſtolæ reſpondet Paulinus, inter ejuſdem Poëmata occurrit undecima.

AUSONIO PAULINUS. Epiſt. II.

[1]*CONTINUATA mea durare ſilentia lingua,*
Te nunquam tacito memoras; placitamque latebris
Deſidiam exprobras; neglectæque inſuper addis
Crimen amicitiæ; formidatamque jugalem
Objicis, & durum jacis in mea viſcera verſum.
Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis
Admiſcere velis, ceu melli abſinthia, verbis.
Cura mihi ſemper fuit, & manet, officiis te
Omnibus excolere, affectu obſervare fideli.
Non unquam tenui ſaltem tua gratia nævo
Commaculata mihi eſt; ipſo te lædere vultu,
Semper & incauta timui violare figura.
Cumque tua acceſſi venerans, mea cautius ora

NOTÆ.

1. Scripta hæc Epiſtola exeunte anno 393. Siquidem Paulinus anni ſequentis verno tempore Nolam ſe recepit. Conſule illius vitam à noviſſimo Editore conſcriptam.

Digitized by Google

Compoſui, & læto formavi lumine frontem;
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in ſanctum ſuſpicio falſa parentem.
Hoc mea te domus exemplo coluitque colitque,
Inque tuo tantus nobis conſenſus amore eſt,
[1] *Quantus & in Chriſto connexa mente colendo.*
Quis tua, quæſo, tuis obduxit pectora livor?
Quo rumore pias facilis tibi fama per aures
Irrupit, pepulitque animum, contraque vetuſtam
Experta pietate fidem nova vulnera movit,
Læderet ut natis placidum maleſuada parentem?
Sed mihi non ficta mens conſcia ſimplicitatis,
Nec patris inculti pietas rea, reſpuit omne
Immeritum, & falſo perſtringi crimine non fert;
Immunis verò, gravius violatus iniquo
Vulnere, tam tenera offenſa, quam libera culpa.
Diſcuſſiſſe jugum quereris me, quo tibi doctis
Junctus eram ſtudiis. Hoc nec geſtaſſe quidem me
Aſſero: namque pares ſubeunt juga: nemo valentes
Copulat infirmis: neque ſunt concordia frena,
Si ſit compulſis menſura jugalibur impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers [2] *fulicas cygnis, & aëdona* [3] *parræ;*
Caſtaneis corylos; æquas viburna cupreſſis,
Me compone tibi: vix Tullius & Maro tecum
Suſtineant æquale jugum: ſi jungar amore,
Hoc tantum tibi me jactare audebo jugalem;
Quo modicum ſociis magno contendit habenis
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum,
Et paribus ſemper redamandi legibus æqua.
Hoc noſtra cervice jugum non ſcæva reſolvit
Fabula, non terris abſentia longa diremit.
Nec perimet, toto licet abſtrahar orbe, vel ævo.
Nunquam animo diviſus agam; prius ipſa recedet

NOTÆ.

1. Editi quinque cum MS. Codice Lugd.
—— *In Chriſtum connexa mente colendum.*

2. *Fulicas.*] Aves nigras columbis haud majores, ita dictas à fuligineo colore. Vide Charlet. de avibus.

3. *Parræ.*] Hujuſce avis meminit Plinius Hiſt. lib. 11. ubi docet illi apicem eſſe in capite: unde Galeritam olim dictam, *quæ poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat Alauda.* Hodie, *Aloëtte*, illuſtri priſci nominis Gallici veſtigio. *Vinetus.*

Corpore vita meo, quam veſter pectore vultus.

[1] Ego te per omne quod datum mortalibus
Et deſtinatum ſeculum eſt,
Claudente donec continebor corpore,
Diſcernar orbe quolibet,
Nec orbe longe, nec remotum lumine,
Tenebo fibris inſitum,
Videbo corde, mente complectar pia
Ubique præſentem mihi.
Et cum ſolutus corporali carcere,
Terraque provolavero,
Quo me locarit axe communis Pater,
Illic quoque te animo geram.
Neque finis idem, qui meo me corpore,
Et amore laxabit tui.
Mens quippe, lapſis quæ ſuperſtes artubus
De ſtirpe durat cœliti,
Senſus neceſſe eſt ſimul & affectus ſuos
Teneat æque ut vitam ſuam,
Et ut mori, ſic oblivíſci non capit,
Perenne vivax & memor.

NOTÆ.

1. *Ego te per omne.*] Priora ſua Iambica reſumit Paulinus.

2. *Non capit.*] Id eſt non poteſt. Similiter nono carmine dixit:

Sed Domini carmen tellus aliena mereri
Non capit, &c.

TESTIMONIA
ET
JUDICIA
DIVERSORUM
DE
AUSONIO.

Incertus Auctor.

MORIGERÆ uxoris virtus cui contigit omnis: *Epitaph. Æmil.*
  Fama pudicitiæ, lanificæque manus.
Conjugiique fides, & natos cura regendi,
  Et gravitas comis, lætaque ſerietas.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore comis, *Epit. Attuſii.*
  Facundo civis major ab ingenio.
Noſci inter primos cupiens, prior eſſe recuſans,
  Ipſe tuo vivens ſegregus arbitrio.
Nullo felle tibi mens livida, tum ſale multo *Epit. Tiberii.*
  Lingua dicax, blandis & ſine lite jocis.
Menſa nitens, quam non cenſoria regula culpet.
  Nec nolit Frugi Piſo vocare ſuam. *Epit. Lucioli.*
Comis convivis; nunquam inclamare clientes;
  Ad famulos nunquam triſtia verba loqui.
Grammatice ad Scaurum, atque probum, promptiſſime Rhetor, *Epit. Staphylii.*
  Hiſtoriam callens Livii & Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita, quantum
  Condit ſexcentis Varro voluminibus.
Aurea mens, vox ſuada tibi, tum ſermo quietus,
  Nec cunctator erat, nec properator erat.
Pulchra ſenecta, nitens habitus, procul ira doluſque.
  Et placidæ finis congrua meta tibi.

§ H

Digitized by Google

Epit. Attili. Commode, læte, benigne, abſtemie, tam bone dandis,
Semper conſiliis, quam taciturne datis.

Ex Parent. Coronide. Ergo qui noſtræ legis otia triſtia chartæ,
Eloquium ne tu quære, ſed officium,
Quod claris doctiſque viris pia cura parentat,
Dum decus egregiæ commeminit patriæ.

Vide quæ annotata ſunt ad præfatiunculas pag. 505. not. 8.

Symmachus, lib. I. Epiſt. 2. ad Auſonium.

NEc mirum ſi eloquii noſtri vena tenuata eſt; quam dudum neque ullius poëmatis tui, neque pedeſtrium voluminum lectione juviſti . . . . volitat tuus Moſella per manus ſinuſque multorum, divinis à te verſibus conſecratus . . . . Velim de te juſto ſilentio vindicari, ſed admiratio ſcriptorum ſenſum frangit injuriæ . . . . . Ita me Diis probabilem præſtem, ut ego tuum carmen libris Maronis adjungo.

Idem, lib. I. Epiſt. 6. ad Auſonium.

JAMDUDUM nihil tribuis quod legamus. Totum me, inquies, emancipavit ſibi cura Prætorii. Verum eſt. Potiris merito ſumma judicia. Sed maximas ingenii tui vires fortuna magna non onerat.

Idem, lib. I. Epiſt. 12. ad Auſonium.

SI te amor habet naturalis hiſtoriæ, quam Plinius elaboravit: en tibi libellos quorum præſentanea copia fuit: in quîs, ut arbitror, opulentæ eruditioni tuæ negligens veritatis librarius diſplicebit.

Idem, lib. I. Epiſt. 19. ad Auſonium.

MERUM gaudium mihi eruditionis tuæ ſcripta tribuerunt, quæ Capuæ locatus accepi. Erat quippe in his oblita melle Tulliano feſtivitas . . . . Quid igitur magis mirer, ſententiæ incertus addubito, ornamenta oris an pectoris tui. Quippe ita facundia antiſtas cæteris, ut ſit formido reſcribere . . . indulge ſtilo, ut ſæpe prodaris.

Idem, lib. I. Epiſt. 25. ad Auſonium.

FALSO creditur judicii neſciam eſſe fortunam. Illa vero & prætéritorum memor, & præſentium diligens, & prudens futuri tibi re-

Digitized by Google

pendit quidquid cæteris præſtitit. Non ergo vana, neque erratica eſt: à qua ſcimus alios domum cœpiſſe, te præmium.

Paulinus, Carm. 10.

—— Vix Tullius & Maro tecum
Suſtineant æquale jugum.

Sidonius Apollinaris, lib. 4. Epiſt. 14. ad Polemium.

NAM tuorum pueritiæ comparatus, non ſolum Cornelios oratores, ſed Auſonios quoque Poëtas vincere potes.

Joannes Ludovicus Vives, de Trad. Diſcipl. lib. 3.

LONGE eſt his poſterior Auſonius Gallus, ubique argutus & excitans, nec Lectorem ſinit dormitare.

Lilius Gyraldus, de Poët. Dial. 10.

IN Gripho quidem eruditio multa, varietas, & curioſitas; judicii verò & nitoris, ut mihi quidem nunc videtur, parum. Sunt ejus quædam quæ è Græco in Latinum tranſtulit; in quibus argutiæ, ſalis, & leporis ſatis, quæ legiſſe aliquod eſt operæ pretium.

Idem, Dialog. 21.

POEMATION compoſuit lepidiſſimus Poëta Auſonius ad Nepotulum ejuſdem nominis Auſonii ex filia, quod Προτρεπτικὸν inſcripſit, elegans ſanè & doctrinæ multijugæ.

Petrus Crinitus, de Poët. Lat.

IN *Moſella* maximam laudem, ut eſt auctor Symmachus, jure optimo ſibi vindicavit. Si quidem incredibili elegantia utitur in eo deſcribendo. Faſtorum præterea libros abſolvit, opus magni laboris, ac multarum vigiliarum.

Eraſmus, in Ciceroniano.

INGENIUM ac doctrinam tribuo (*Auſonio.*) Stilus aulæ delicias licentiamque reſipit, quemadmodum & vita: Ciceronianus adeo

Digitized by Google

non eſt, ut ſtudio habuiſſe videatur aliter dicere, quam dixit Cicero. Proinde qui Ciceroniani nomen illi velit adſcribere, pro honore contumeliam irrogarit homini: non aliter ac ſi quis Germanum appellaret, qui ſtuderet haberi Gallus, etiamſi Germanus eſſet.

Jul. Cæſar Scaliger, lib. 6. Poëtices, cap. 5.

AUSONIUS ingenium magnum, acutum: ſtilus duriuſculus. Multa ſcripſit non ſolum varia, ſed etiam variè. Quare quid facere potuerit, non quid fecerit, potius judicandum. Utinam Epigrammata ne ſcripſiſſet. Nam & inculta ſunt pene omnia, & omnia dura: quædam etiam inepta, aut frigida, aut frivola, ut è Græcis ſatis habuit quæ exprimeret. Nonnulla verò adeo fœda atque deteſtanda, ut neque ſcriptore, neque auditore digna, non in ſpongiam incumbere merita ſint, ſed ſolis flammis expiari poſſe videantur. Sanè ſibi multum placuiſſe conſtat ex incuria ſcriptionum futurorum ſæculorum ſecurum, cum ſibi videretur ſui eſſe princeps. Eum verò piguiſſe caſtigationis videmus in ipſis *Iambis*; quos cum puriores inchoaſſet, fluere lutulentos permiſit.

Et mox.

Inter cætera verò Poëmatia ſunt, quæ ipſe partim Εἰδύλλια, ut *Griphum de numero ternario*, partim vocat *Eclogas*; ſic enim inſcribitur ea, quæ vitæ noſtræ miſerias deſcribit; valde ſanè bona, & quovis magno Poëta digna. Sed longè illuſtrior illa in qua *Cupido cruciatur*. Eſt enim docta, candida, neque carens numeris. Moſellam verò adeo excoluit, ut ea ſola magni Poëtæ nomen ſibi comparare potuerit: Eſt enim in ea multa ars tum diſpoſitionis, tum elocutionis. Multa lumina figurarum, multum ingenii deprehendas.

Joannes Brodæus, lib. I. Miſcellan. cap. 6.

AUSONIUS non tam inelegans, meo judicio, Poëta, quam volunt hi, qui eum ferreum contumelioſe nominant.

Joannes-Baptiſta Pius, Annot. poſter. cap. 43.

QUIS apud Græcos dicendi jocandique artifices, quis apud Latinos ſupercilio gravitatis excellentes argutior, dulcior, mollior Auſonio?

Caſpar Barthius, lib. 3. Adverſar. cap. 7.

CUI Poëtæ (*Auſonio*) infra hoc teſtimonium dabo, quicquid apud eum legitur, pro vere Latino habendum eſſe. Nihil enim quicquam ſine antiquitatis exemplo poſuit, ut fuit eruditior, quam pro eo ævo, & ſcriptorum eorum amator, qui nobis adempti ſunt, nec ſperantur unquam è tenebris emerſuri oblivionis.

Idem, cap. 18.

ILLUD Carmen divinum Poëtæ ingenium indicat vel ſolum, ea ætate tam ſuaviter, tam piè, tam ex re ipſa, tam denique doctè ſcriptum, ut longè abeſſe omnes illius ævi Vates à tam abſolutæ divinitatis numeris exiſtimem; ſint licet & illi quæ nævos temporis redoleant, quos ſanè nemo per omnia evaſit.

Idem, lib. 40. cap. 9.

TAM eruditus eſt ſcriptor Auſonius, ut vix poſſit alterum, tertiumve verſum abſolvere, quin egregiam aliquam rem geſtam alludat.

Joſephus Scaliger, in Notis ad Catalecta.

AUSONIUS noſtras, Poëta poſt tempora Domitiani omnium eruditiſſimus, & in cujus lectione nemo operam ſuam luſerit.

Idem, Epiſt. ad Nicol. Micaelium.

SCIS quam non vulgaris eruditio ſit in Poëmatis Auſonii. In quibus Griphus ternarii melioribus ævi noſtri Grammaticis crucem fixit: quanquam conatus omnium eluſit recondita, & velo ænigmatum ſummota doctrina.

Iſaacus Caſaubonus, in Notis ad Æl. Spartianum.

SED etiam apud caſtigatiſſimum Poëtam Auſonium.

Elias Vinetus, in Præfatione.

NULLAM Auſonius diſciplinam ignoravit. Omnes Latinos Græcoſque ſcriptores, quorum major pars intercidit, ad unguem

novit. Hinc in ejus ſcriptis multa ſe oſtendit & varia eruditio, ut cuivis legenti non ſtatim queant intelligi.

G. Paradinus, in edit. Tornæſ. ann. 1558.

OMNIBUS excultus numeris emergit in auras
Auſonius.

Idem.

NE virides lauros, & vinctas faſce ſecures,
Quodque tulit Muſis Roma curule decus,
Ne Latii trabeas, ſummi geſtamen honoris
Ætatis caries obruat una ſemel:
Denique neu memores capiant oblivia faſtos
Conſulis Auſonii, conſulit ipſe ſibi;
Ingenii dum ſculpta ſacri monimenta per ævum,
Et dignum æterna luce relinquit opus.

Andræas Schottus, Obſerv. human. lib. 2. cap. 33.

ELEGANS & acutum Auſonii Poëmation *Gryphus* eſt; in quo propter reconditam doctrinam, & occultos quoſdam reſpectus, ingenium Poëta declaravit ſuum.

Baronius, ad annum D. 394.

NEGARI non poteſt Auſonium tum de Diis, tum de amatoriis rebus quam plurima ceciniſſe, ob eamque cauſam viſum eſſe nonnullis potius Gentilem quam Chriſtianum hominem.

Bellarminus, de Script. Eccleſiaſt. ad annum 390.

AUSONIUS Poëta magiſter fuit Gratiani Imperatoris, à quo & Conſul creatus eſt anno D. 379. Scripſit multa profana. Scripſit etiam epiſtolas aliquas carmine ad S. Paulinum Nolanum; & exſtat ſub ejus nomine apud Paulinum *Precatio matutina ad Deum:* & inter opera Auſonii egregium carmen *de Reſurrectione Dominica.* Ex quo Chriſtianus fuiſſe intelligitur, quamvis de Diis Gentium nonnulla ſcripſerit more Poëtarum.

Digitized by Google

Gabriel de la Lurbe, dans ſa Chronique Bourdeloiſe.

AUSONE fils de Bordeaux, Conſul Romain, la gloire & l'honneur de ſa Ville, & des Poëtes de ſon temps, comme les œuvres qui reſtent en rendent bon témoignage.

Thomas Dempſterus, in elencho Scriptorum ad Roſini antiquitat. auctario præmiſſo.

D. Auſonius Burdigalenſis, Poëta eruditiſſimus, licet durioris ſtili.

G. J. Voſſius, de Poët. Lat.

AUSONIUS Burdigalenſis vixit Valentiniano, Gratiano & Theodoſio Imperatoribus, ac à Gratiano diſcipulo ad Conſulatum etiam evectus fuit, poſt quem & varia jam ſenem ſcripſiſſe ipſe indicat. Poëta fuit Gentilis, quemadmodum ex Paulino liquet, ut, quæ Chriſtum celebrant, perperam illi ſint tributa.

Auguſtus Buchnerus, in aucto Baſil. Fabri theſauro.

SCRIPSIT eleganter, ingenioſe, & acute, ſtilo vero duriuſculo multa & varia, partim probanda, partim vero improbanda.

Petrus Poſſinus, in Lexico ſuo Pachymeriano in voce Φυλακή.

ΦΥλακὴν hoc loco verti *triborium*, quam vocem memini me legere apud auctorem ſatis antiquum nec indiligentem latinitatis Auſonium, in *Moſella*.

Cunr. Rittershuſius, in Epiſt. ad Solom. Pantherum.

MULTA in illo viro (Auſonio) vere Magno, tecum una miror, multa ſuſpicio ac veneror. Ut pauca de multis: illud in primis apud me monſtri inſtar habet, hominem Chriſtianum, &, ut apparet, non nomine tantum; ſed & pectore & moribus, adeo ſæpe laſciva atque improba ſcribere potuiſſe, ut niſi nomen Auſonii eſſet adſ-

criptum, Bilbilitanum Poëtam te legere putes: ubi illud! *Nullus ſermo putris ex ore veſtro egreditur.* Ubi illud! *De omni verbo otioſo rationem eſſe reddendam.* Quid adverſus graviſſima hæc interdicta virium babet illa excuſatio, quæ eſt in Centone nuptiali!

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba.

Hoc unum. Miror & illud, potuiſſe virum Chriſtianum, cum infeſtiſſimo hujus nominis hoſte Symmacho (talem enim illum fuiſſe conſtat ex ipſius Relatione ad Augg. & Prudentii, atque Ambroſii ad eam reſponſione) amicitiam colere, nec eam vulgarem, ſed intimam; adeò ut alter alterum patrem indigitaret. Mirum hoc, inquam mihi. Nam quæ cæteris de rebus conſenſio eſſe poteſt, ubi in fundamento ipſo, quod eſt vera Religio, aliqui diſſentiunt! In amicitiâ autem rerum divinarum atque humanarum conſenſio ſumma requiritur. Porro ſuſpicio in hoc viro acumen, leporem, ac rotunditatem, in primis Epigrammatum, quibus

Expleri mentem nequeo, ardeſco que legendo.

Veneror & eruditionem multiplicem de Veterum fontibus hauſtam. Quid enim apud illos, ſive Græcos, ſive Latinos memorabile, quà verborum, quà rerum, quod non Auſonius delibarit. Ut de ſententiis nunc dicam nihil: verba quam ſcitè ab optimis Scriptoribus, Lucillio, Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone, Cicerone, Virgilio, Horatio, Martiale, & plurimis aliis mutuatur!

Solomo Pantherus, in Epiſt. ad Joan. Poſthium.

AUSONIUM Burdegalenſem, Poëtam imprimis bonum, cum mihi ſuperiore autumno bona ſors obtuliſſet, primum ſuſpicere & mirari, exinde propius inſpicere, & diligentius contemplari perrexi.

Guilielmus Cave, in Hiſt. Litteraria p. 220.

D. Magnus Auſonius . . . . vir Græce Latineque peritiſſimus; in poëſi ſummus, cui non deerat ingenium lepidum, acutum, eruditio varia ex Veterum fontibus hauſta. Haud bene conveniunt eruditi Chriſtianis, an Gentilibus ſit annumerandus, &c.

Thevet, dans ſes Hommes Illuſtres.

AUSONE Poëte fort renommé, non point principalement pour la grandeur, nobleſſe, & renommée de ſes parens, mais à cauſe de ſes geſtes & écrits priſés par gens de rare ſçavoir. Valentinien le choiſit pour Précepteur de Gratien, & ne pouvoit reconnoître plus

Digitized by Google

Pertinent Précepteur qui avoit élevé de grands perſonnages, Ponce Paulin auſſi Bourdelois . . . . . Au reſte il étoit fort bon Chrétien, & verſé aux Lettres ſacrées, autant qu'homme de ſon temps, ce que ſes œuvres démontrent aſſés ouvertement . . . . Quant au ſtile . . . . on le taxe ſeulement d'un peu de licence : en quoi il ſeroit moins excuſable, ſi aujourd'hui la plupart de nos Poëtes ne faiſoient brouter leurs chévres dans les parcs laſcifs de Venus. L'envie d'imiter les Poëtes Grecs l'aura pû mener là. S'il falloit pour cela le rejetter, que garderions-nous! *Nihil eſt ab omni parte beatum.*

Theophilus Raynaudus, Hyploth. contra ictum Calumniæ. Sect. 2. p. 56.

VERUM eſt Auſonium licentius, quam Chriſtianum probum deceret, ſcripſiſſe nonnulla quibus aures caſtæ offenduntur. In dehortationibus item S. Paulini à ſtatu contemptionis rerum caducarum, exhibuit ſe hominem à verâ pietate alienum, & ſæculi affectibus merſum, ut Baronius quoque notavit ad annum Chriſti 379. non tamen idololatra, vel fidei deſertor unquam fuit.

Philippus Brietius, in Syntagmate de Poëtis.

DECIUS Auſonius Burdigalenſis vixit ſub Valentiniano, Gratiano, & Theodoſio Imperatoribus; factus etiam Gratiani Præceptor, quem vendibilem Rhetorem effecerat, & à quo viciſſim creatus eſt Conſul. Obiit circa annum 394. Ex Paulino certum eſt eum Ethnicum fuiſſe; quare opera Chriſtiana huic adjudicari ſolita ſine dubio alterius ſunt. Quæ Catoni vulgo diſticha tribuuntur, vere Auſonii ſunt, ut obſervavit Canterus, nec improbat Voſſius : quibus jam communiter ſubſcribitur. Centones ejus Virgiliani non tantum impuriſſimi ſunt, ſed & impudentiſſimi, quibus caſtiſſimos verſus libidinoſæ affixit materiæ, opere, quod plus dæmonem, quam hominem ſaperet adoleſcentium pudicitiæ inſidiantem.

Mart. Hanckius, de Roman. rerum Scriptoribus. p. 2. cap. 33.

DE Moſella flumine, quod per Lotharingiam, Metenſem Epiſcopatum, Lutzenburgenſem Ducatum, & Trevirenſem Archiepiſcopatum Rheno illabitur, Idyllium ſcripſit (Auſonius.) In eo res varias circa Moſellam notabiles commemorat.

Digitized by Google

Le P. René Rapin, dans ſes Reflexions ſur la Poëtique en particulier.

IL regne dans tous les Panegyriques de Claudien un air de jeuneſſe qui n'a rien de ſolide. Je ne parle point d'*Auſone* & de *Prudence*, parce qu'ils ont écrit de cette maniere-là ; & encore plus foiblement.

Le P. François Vavaſſeur, Remarques contre le P. Rapin.

S'IL y a du défaut dans Auſone & dans Prudence, c'eſt un défaut du temps qui ne demandoit pas davantage, & non pas un défaut des perſonnes, qui même ſe ſont beaucoup élevées au-deſſus de leur ſiécle.

Bayle, dans ſon Dictionaire.

AUSONE, en Latin *Decius*, ou pluſtot *Decimus Magnus Auſonius*, l'un des plus excellens Poëtes du IV. Siecle, étoit de Bordeaux, & fils d'un célébre Medecin. Il fut élevé avec des ſoins tout particuliers : toute la famille s'y intereſſa ; ſoit à cauſe que ſon eſprit promettoit beaucoup ; ſoit à cauſe que ſon horoſcope faiſoit croire qu'il parviendroit à de grands honneurs. Il fit des progrès admirables dans les belles Lettres . . . .

Il y a une extreme inegalité entre ſes ouvrages, ſoit que ſes Muſes fuſſent un peu trop journalieres ; ſoit que l'on ait inſeré dans ſes Poëſies quelques pieces qu'il n'avoit fait qu'ébaucher ; ſoit que des raiſons particulieres l'ayent obligé à laiſſer courir des Vers qu'il n'avoit pas eu le temps de polir. Generalement parlant, il y a des duretez dans ſes manieres, & dans ſon ſtile ; mais c'étoit plûtôt le défaut du ſiécle que celui de ſon eſprit. Les fins connoiſſeurs devinent ſans peine, que s'il avoit vécu au temps d'Auguſte, ſes Vers euſſent égalé les plus achevés de ce temps-là : tant il paroit de delicateſſe & de genie dans pluſieurs de ſes écrits.

Digitized by Google

Adrien Baillet, dans ſes Jugemens des Sçavans.

Les Critiques ſemblent s'être copiés les uns les autres, pour mieux convenir enſemble de deux choſes touchant le jugement qu'ils ont cru devoir faire des Poëſies d'Auſone. La premiere eſt, que c'étoit un bel eſprit, un genie aiſé, ſubtil, & un Poëte également agréable & ſçavant. La ſeconde eſt, que ſon ſtile eſt un peu trop dur, quoiqu'il ſemble avoir quelquefois aſſés d'élegance.

M. le Nain de Tillemont, Hiſtoire des Empereurs, tom. 5. p. 186.

D'Autres ont remarqué les differens jugemens qu'on a fait de ſes ouvrages (d'Auſone) pour le ſtile, & pour la maniere dont ils ſont écrits. Nous nous contenterons de dire que ceux qui peuvent être de quelque utilité pour l'hiſtoire, ſont les Epitaphes des Profeſſeurs de Bordeaux, les Eloges des principales Villes de l'Empire, & ſon remerciment à Gratien ſur ſon Conſulat. Il avoit fait des Vers ſur tous les Empereurs, & des Faſtes Conſulaires juſqu'en l'an 382. ou 383. Mais ce dernier ouvrage eſt entierement perdu ; & nous n'avons l'autre que juſqu'à Heliogabale. Sa Moſelle, c'eſt-à-dire le Poëme qu'il a fait ſur cette Riviere, a été loüée par Symmaque ; & elle a encore été fort eſtimée depuis par les perſonnes les plus habiles dans les Lettres, comme le chef-d'œuvre de ſon Auteur. Quelques-uns lui attribuent les Diſtiques qui portent le nom de Caton ; mais ils le ſont ſans preuve. L'Empereur Theodoſe lui écrivit de ſa main pour lui demander ſes écrits, témoignant eſtimer beaucoup ſon érudition & ſon genie.

Joan. Alb. Fabricius, Biblioth. Lat. lib. 3. cap. 10.

Decimus Magnus Auſonius, Burdegalenſis, Grammaticus & Rhetor Doctiſſimus, Poëta vero ſuavis atque ingenioſus, Chriſti etiam Sacris addictus, etſi ejus rei rara, certa tamen, in ſcriptis ſuis reliquit veſtigia. Ab Imperatore Gratiano, quem non minus ac Valentinianum ejus fratrem in litteris inſtituerat, promotus ad Quæſturam, Præfecturam Prætorii, & anno Chriſti 379. ad Conſulatum, obiit imperante Honorio poſt annum C. 392.

EMENDANDA.

IN TEXTU.

PAg. 149. verſ. 10. ſurgeret *lege* ſuggeret. p. 256. v. 2. noſces *lege* noſſes. p. 469. v. 3. *μετίχοι lege μετίχων*. p. 470. v. 1. duplicat *lege* duplicant. p. 471. v. 34. *οὐ lege οὐθ*. p. 539. l. 4. ut ipſe *lege* tu ipſe.

IN INTERPRETATIONE.

PAg. 66. lin. 1. deterget *lege* detergit. p. 83. l. 5. Conſuli *lege* Conſulis. p. 90 l. 10. ſine quod *lege* ſine quo. p. 130. l. ult. illius quæ *lege* illius qui. p. 157. l. 4. exponderes *lege* expenderes. p. 173. l. 4. quem *lege* quam. p. 256. l. 4. aera *lege* vera. p. 257. l. 7. additus *ege* addictus. p. 267. l 2. ſemper é *dele* é. p. 344 l. 5. medios *lege* modios. p. 352. l. 2. tamen invenitur *lege* tamen unitur. p. 468 l. 4. inſultus *lege* inſulſus. p. 500. l. penult. mori *lege* mora. p. 508 l. 4. quæſtus *lege* queſtus. p. 579. l. 8. ut narrat *lege* ut narret.

IN NOTIS.

PAg. 25. not. 1. Seraphin *lege* Serapin. & not. 4. relatum *lege* relato. p. 41. n. 1. *φεριοκίπτω lege περιοκιπτω*. p. 42. n. 4. *π πτε δὲ μοκάς lege πάντε δὲ μυκᾶ*. p. 49. n. 5. victuri ne, *lege* victuri, ni. p. 63. n. 3. *τὕτεκεν lege τὕνεκεν*. p 91. n. 7. dicti *lege* dicit. p. 177. n. 1. facta *lege* fata. p. 182. n. 3. Auguri *lege* Augur. p. 186. n. 1. demortuo *lege* de mortuo. p. 206. n. 2. Autuchtunas *lege* Autochtonas. p. 233. n. 1. firmum *lege* firmat. p. 246. n. 8. preces *lege* pecces. p. 279. n. 2. candida *lege* candidæ. p. 286 n. 2. nodi *lege* nodis. p. 323. n. 9. ferrii *lege* ferri. p. 324. n. 4. Colophanii *lege* Colophonii. p. 360. n. 5. *πῆ lege τῆ*. p. 365. n. 4. fluminâ *lege* fluminea. p. 408. n. 5. editione *lege* editioni. p 430. lin. penult. ducere *lege* inducere. p. 461. n. 6. *lege* Scaliger mavult *pilis* quam *palis*. p. 488. n. 2. ſtatiis *lege* ſtatis p. 510. lin. 6. leni *lege* levi. p. 519. n. 2. *κι lege καὶ*. p. 546. n. 3. vinaria *lege* vivaria.

IN ANIMADVERSIONIBUS.

PAg. 612. col. 1. lin. 1. quærelis *lege* querelis. p. 614. c. 1. ſub. finem agere *lege* egere. p. 620. c. 1. l. 37. Arborii *lege* Arbori. p. 621. c. 2. l. 26. Poëtæ. *lege* Poeta. & l. 32. regna *lege* regno. p. 629. c. 2. l. 10. de Poëta *lege* de quo Poëta. p. 633 c. 1. l. 13. Andrianopolim *lege* Adrianopolim. p. 636. c. 1. l. 29. contentus *lege* contentos. p. 646. c. 1. l. 5. fæce *lege* face. p. 654. c. 1. l. 15. conjunc- *lege* conjunctioni. p. 660. c. 1. ſub finem intereiderant *lege* intereiderunt. p. 661. c. 2. l. 18. Alii alteram *dele* alii. p. 663. c. 1. l. 38. tum antiquo *lege* tam antiquo p. 678. c. 2. l. 17. Americani *lege* Armoricani. p. 681. c. 1. l. penult. Eum *lege* Eam. p. 683. c. 2. ſub finem. intextus *lege* intextas. p. 684 c. 2. l. penult. ſloes *lege* Soles.

IN DISSERTATIONE.

PAg. 13. ſub fin. preſcripto *lege* perſcripto. p. 24. ſub finem. in quibuſdam ejus epigrammatis. *dele* ejus. p. 26 l. 8. quæ *lege* quos. & l. 33. Griſelinus *lege* Giſelinus. p. 29. l. 1. *dele* ſequuntur. p. 33. ſub fin. interpretandi *lege* illuſtrandi. ibid. *lege* Edyllia quædam, ſcilicet Roſas, Cupidinem cruciatum, & Centonem.

Si quaerunt alia, ut in Animadv. p. 667. *εγγεγαῦσαι* pro *ἐκγεγαυῖαι*, ac l. 42. *Βασιλεύσειν* pro *Βασιλεύσειν*, benignus Lector emendabit.

Google

D. MAGNI AUSONII BURDIGALENSIS OPERA.

EPIGRAMMATA.

[1] *De Auguſto. Epigramma* I.

PHOEBE potens numeris, [2] præſes Tritonia bellis,
Tu quoque [3] ab aërio præpes Victoria lapſu,
[4] Come ſerenatam duplici diademate [5] frontem;
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
[6] Bellandi fandique potens Auguſtus, honorem

INTERPRETATIO.

Apollo qui praees carminibus, Pallas quæ praees bellis, & tu Victoria velox volatu æthereo, orna frontem exhilaratam duabus coronis; gerens ſerta quæ ſint munera togæ, & merces certa-

NOTÆ.

1. *De Auguſto.*] Gratianum intellige.

2. *Præſes Tritonia bellis.*] Nec bellis tantum, verum etiam & artibus, & litteris. Tritonia dicta eſt à Tritone amne Libyæ, & palude Tritonide, in quam influit ille amnis, ubi educata fuiſſe perhibetur. Auctores Herodotus, Mela, & alii multi. Pauſanias à Tritone, non Libyco illo amne, ſed torrente prope Alalcomenas in Bœotia, Tritoniam dictam exiſtimat. Alii alia afferunt, quæ vide fuſius apud Lil. Gyrald. ſynt. 11.

3. *Ab aërio præpes Victoria lapſu.*] Quæ de cælo advolas & delaberis, utpote Dei donum. Rectè præpetem dicit Victoriam. Alæ enim huic vulgo tribuuntur. Audi Apuleïum, ſtatuas ejus, (quam Palmarem Deam vocat) graphicè depingentem l. 2. Metamorph. *Atria longè pulcherrima, columnis quadrifariam per ſingulos angulos ſtantibus, attollebant ſtatuas Palmaris Deæ. Facies quaquà pinnis explicitis, ſine greſſu pilæ volubilis, inſtabile veſtigium plantis roſcidis decitantes, nec, ut maneant, inhærent; & jam volare creduntur.* Silius Italicus lib. 5.

——— *Et niveis Victoria concolor alis.*

4. *Come ſerenatam.*] Sic in Idyllio Moſellæ:

——— *Et alternas comunt Prætoria ripas.*

5. *Frontem*] Imperatoris intellige.

6. *Bellandi fandique potens Auguſtus.*]

Digitized by Google

Bis meret : ut geminet titulos, qui prœlia Muſis
Temperat, & [1] Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter [2] Chunoſque truces, furtoque nocentes
[3] Sauromatas, quantum ceſſat de tempore belli,
Indulget [4] Clariis tantum inter caſtra Camœnis.
Vix poſuit volucres ſtridentia tela ſagittas :
[5] Muſarum ad calamos fertur manus, otia neſcit :
Et commutata meditatur arundine carmen :
Sed carmen non molle modis ; bella horrida [6] Martis

Interpretatio.

minis. Auguſtus clarus prœliis & eloquio, dignus eſt duplici laude : ut inſigniatur duobus titulis, quippe *qui miſcet Camœnis certamina, & temperat Phœbo Martem Geticum. Quantum temporis ipſi vacat a bello inter arma & Hunnos feroces, ac Sarmatas noxios rapinis, tantumdem impendit Muſis Clariis in ipſis caſtris. Statim atque depoſuit ſagittas celeres* quæ ſunt *arma ſtridentia, manus* ejus *petit arundines Muſarum, ignorat quietem ; & mutato calamo molitur verſus : at verſus non infractos numeris ; recinit horrida prœlia Martis Theſſali.*

Notæ.

Gratianus Auſonii noſtri diſcipulus, de quo Aurel. Victor. in Epitome : *Hic apud Argentarium oppidum Galliæ triginta Alamannorum millia in bello extinxit.* Et infra : *Fuit autem Gratianus litteris haud mediocriter inſtitutus : carmen facere, ornatè loqui, explicare controverſias Rhetorum more, &c.*

1. *Geticum moderatur Apolline Martem.*] Id eſt Martis ſtudia, ſtudiis Apollinis. *Geticus* ſolenne Martis epitheton, ſicut & Threicius & Odryſius. Virg. l. 3 Æneid.

Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis.

Ferociſſimi erant bellicoſiſſimique Getæ & Thraces. Hinc Mars apud eos ortus credebatur, nomenque Getici & Thracii Odryſiique inde ſumpſit.

2. *Chunoſque truces.*] Scythicos populos, qui vulgo Hunni ſive Huni, quibus ut facilius reſiſteret Gratianus, Theodoſium adſcivit in partem imperii. Sext. Aurel. Victor loco ſuprà cit. *Hic* [Gratianus] *cum animadverteret Thraciam Daciamque tanquam genitales terras poſſidentibus Gothis, Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunis, & Alanis, extremum periculum inſtare nomini Romano ; accito ab Hiſpania Theodoſio, cunctis faventibus, agenti annum à triceſimo tertium, imperium committit. Chuni* etiam dicuntur à Paulino l. 6. de vita S. Martini.

——*Cum ſubito pavefacta metu graviore*
Auxiliatores pateretur Gallia Chunos.

Cunos etiam abſque *h* & *Conos* habent quædam Auſonii exemplaria.

3. *Sauromatas.*] Qui & Sarmatæ dicuntur. Incolæ erant fluvii Tanaïs. His aſſignatam fuiſſe colendam partem illam agri, quæ Rheni inter & Moſellæ confluentem eſt, docet noſter in Idyllio Moſellæ :

——*Riguaſque perenni fonte Tabernas,*
Arvaque Sauromatum nuper metata colonis.

4. *Clariis &c. Camœnis.*] Quaſi dicas *Apollineis.* Clarius Apollo dictus eſt, ut plerique volunt, à Claro urbe, & monte propè Colophonem Ioniæ, ubi fuit Apollinis Clarii ſpecus, & in eo lacuna, cujus potu mira reddebantur oracula. Claros etiam fuit navale Colophonis. Quædam exemplaria hic non *Clariis* habent, ſed *Latiis*, hoc eſt, Latinis ſeu Romanis.

5. *Et commutata meditatur arundine carmen.*] Poſitis arundinibus ſagittarum, ſumit arundines ſeu calamos quibus ſcribitur. Ex arundinibus enim tum ſagittæ, tum calami ad ſcribendum fiebant.

6. *Martis Odryſii.*] Thracia Ὀδρυσὶς etiam dicta eſt. Undè Odryſius, Thracius, Epitheton eſt Martis, ut jam dixi.

Digitized by Google

Odryſii, [1] Threſſæque viraginis arma retractat.
Exulta [2] Æacide, celebraris [3] vate ſuperbo
Rurſum: [4] Romanuſque tibi contingit Homerus.

INTERPRETATIO.

& arma Amazonis Threïciæ. O Achilles gaude, iterum decantaris à Poëta magnifico: & nactus es Homerum Romanum.

NOTÆ.

1. *Threſſæque viraginis.*] Pentheſileæ Amazonum Reginæ, quæ pugnavit pro Trojanis adverſus Græcos. Apud Virgilium etiam Amazones Threiciæ dicuntur, l. Æneid. 11.

Quales Threiciæ cum flumina Thermodontis
Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis.

ad quem locum Servius: Tanaïs fluvius eſt, qui ſeparat Aſiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitaverunt, unde ſe poſteà ad Thermodonta fluviũ tranſtulerunt, &c. Sed obſervandũ præter Thraciam quæ in Europa eſt, alteram fuiſſe in Aſia circa Pontum, cujus meminit Xenophon Pædiæ Cyri l. 6. In Aſiatica illa Thracia Thermodon amnis fuit, & Themiſcyra Amazonum ſedes, non autem in Europæa. De Amazonibus & earum origine ac regina Pentheſilea vide Juſtinum l. 2. c. 4. an extiterint conſule Pet. diſſert. de Amaz.

2. *Æacide.*] Achilles Æaci nepos.

3. *Vate ſuperbo.*] Nimirum Imperatore Romano.

4. *Romanuſque tibi contingit Homerus.*] Imperator, qui Latino carmine tua nunc facta celebrat, quæ quondam Homerus Græco.

[1] *De fera à Cæſare interfecta.* II.

2 CEdere quæ [2] lato neſcit fera ſaucia ferro,
Armatique [3] urget tela cruenta viri;
[4] Quam grandes parvo patitur ſub vulnere mortes,
[5] Et ſolam leti vim probat eſſe manum!

INTERPRETATIO.

Beſtia quæ renuit cedere, licet ſit *cæſa ferro lato, & inſtat ſpiculis ſanguinolentis viri armati: quam immane letum ſubit ex minuta plaga, &* ſic *demonſtrat mortem deſumere tantum vim* ſuam *à manu* qua illata eſt! *Omnes admirantur novum leti modum, & repenti-*

NOTÆ.

1. *De fera à Cæſare interfecta.*] A Cæſare Gratiano, quem jaculandi peritiſſimum fuiſſe Sext. Aurel. Victor, & Paulus Diaconus iiſdem plane verbis teſtantur: *Nihil aliud diu noctuque agere* (inquiunt) *quam ſpiculis meditari; ſummæque voluptatis divinæque artis credere, deſtinata ferire.*

2. *Lato &c. ferro.*] Venabulo, cujus ferrum latum eſt.

3. *Urget.*] Mordendo, ut ſolent feræ ex vulnere in rabiem actæ.

4. *Quam grandes, &c. mortes.*] Durior locutio. Codex Joannis Tilii habebat *quam grandis.* Quod ſi retineas, legendum erit *mortem* pro *mortes*, ut ſit ſenſus: *quam ingens bellua quam parvo ex vulnere moritur, &c.*

5. *Et ſolam leti vim probat eſſe manum.*]

Digitized by Google

Mirantur caſuſque novos, ſubitaſque ruinas :
Quæritur, & [1] fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictos letaliter ire per artus,
[2] Conjungit mortes una ſagitta duas.
Plurima communi [3] pereunt ſi fulminis ictu :
Hæc quoque de cælo vulnera miſſa putes.

INTERPRETATIO.

num lapſum belluæ. *Vulnus recens perquiritur, & fugit oculos. Et telum*, licet *unicum, non ſatis habens tranſadigere mortifere membra percuſſa, conſociat duas neces. Quandoquidem permulta intereunt eodem percuſſu fulminis*, jure *exiſtimes etiam has plagas miſſas* eſſe *è cælo.*

NOTÆ.

Simile eſt quod habet infra epig. 6.

Non vires ferri, ſed ferientis agunt.

1. *Fallit lumina plaga, &c.*] Adeo parva eſt, ut videri non poſſit.

2. *Conjungit mortes, &c.*] Nempe fera illa gravida erat, & matrem fœtumque eadem ſagitta transfoderat.

3. *Pereunt ſi fulminis ictu.*] *Si* hic ſonat *ſiquidem*, ut apud Horat. lib. 3. carm. ode 22.

Si figit adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos, &c.

Danubius Augg. alloquitur. III.

3 [1] ILlyricis regnator aquis, [2] tibi, Nile, ſecundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere [3] Auguſtos jubeo, natumque, patremque,
[4] Armiferis alui quos ego Pannoniis.

INTERPRETATIO.

Ego *Danubius ſecundus a te, ô Nile, qui impero undis Illyricis, exero caput hilare* ex mea *ſcaturigine. Saluto Imperatores patrem & filium, quos ego educavi apud Pannonias bellicoſas.*

NOTÆ.

1. *Illyricis regnator aquis.*] Ubi non Danubius, ſed Iſter dicitur. De ipſo Plin. lib. 4. c. 12. *Ortus hic in Germania jugis montis Abnoba, ex adverſo Rauriti Galliæ oppidi* (Auguſtam Rauracorum indigitare videtur) *multis ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapſus gentes Danubii nomine, immenſo aquarum auctu, &, unde primum Illyricum alluit, Iſter appellatus, ſexaginta amnibus receptis medio ferme numero eorum navigabili, in Pontum vaſtis ſex fluminibus evolvitur.* Dicitur autem *Illyricis regnator aquis*, quia fluviorum Illyrici longe maximus eſt, & plerorumque ex ipſis aquas tanquam vectigal excipit.

2. *Tibi, Nile, ſecundus.*] Gell. Noct. Attic. l. 10. cap. 7. *Omnium fluminum, quæ in maria, quà Imperium Romanum eſt, fluunt; quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν appellant, maximum eſſe Nilum conſentitur : proxima magnitudine eſſe Iſtrum ſcripſit Salluſtius.* Idem habet Mela. l. 2.

3. *Auguſtos, natumque, patremque.*] Gratianum & ejus patrem Valentinianum, qui eum in partem imperii aſciverat, ſicut & Valentem fratrem, de quo mox. Huc facit locus Ammiani l. 27. *Valentianus Ceſar* (Valentinianum intellige) *morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos germanum nuncupavit, & filium, benevole ſatis. Neque enim quiſquam antehac aſcivit ſibi pari poteſtate collegam, præter Principem Marcum.*

4. *Armiferis alui quos ego Pannoniis.*]

Nuncius Euxino jam nunc volo currere ponto:
Ut ſciat hoc [1] Superûm cura ſecunda Valens;
Cæde, fuga, flammis [2] ſtratos periiſſe Suevos;
Nec Rhenum Gallis limitis eſſe loco.
Quod ſi lege maris refluus mihi curreret amnis;
[3] Huc poſſem victos [4] inde referre [5] Gothos.

Interpretatio.

Volo jamjam devolvi in Pontum Euxinum, ad ferendum *nuntium: ut Valens*, qui eſt *alter amor cælitum*, *reſciat hoc: Suevos* nempe *deletos internecione*, *fuga*, & *igne*, *interiſſe; & jam Rhenum non eſſe Gallis vice termini. Quod ſi per leges maris liceret meo flumini remeare ad fontem; poſſem illinc renuntiare huc Gothos* eſſe *fractos.*

Notæ.

Valentiniano & fratri Valenti pater fuit Grarianus, vir ſtrenuus quidem, ſed humili loeo natus. Patria Cibalæ Pannoniæ oppidum. Quin & alii multi in Pannonia nati & educati fuere Cæſares; cum in ea diutiſſime Imperatores propter continuas irruptiones Barbarorum detinerentur. Unde & epigram. ſequenti, dicit idem Danubius.

Imperiis gravidas quà ſeco Pannonias.

Duplex apudGeographos vulgo diſtinguitur Pannonia; ſuperior nempe, eas regiones juxta Ortelium continens, quæ hodie *Auſtria*, *Carinthia*, & *Carniola*; & inferior, quæ *Hungariæ* partem. Huic accenſeri poſſunt Valeria, & Savia, aliæ, (ſecundum quoſdam,) Pannoniæ. *Armiferis Pannoniis* dicit, quia fines erant Romanæ ditionis, quæ Iſtro ab illa parte finiebatur; ideoque & ſedes belli adverſus Barbaros, Romano Imperio ab illis partibus imminentes.

1. *Superûm cura ſecunda Valens.*] Qui tum degebat in Thracia, Orientem regendum ex pacto cum fratre ſortitus. Dicitur *Superûm cura ſecunda*, ut intelligatur Valentinianus eſſe prima eorum cura, utpote major natu, & præcipuæ imperii parti præpoſitus.

2. *Stratos periiſſe Suevos.*] Stratos à Valentiniano. Beatus Rhenanus l. 1. rerum Germanicarum ait intelligendos hoc loco non Suevos ipſos Germaniæ populos, quorum meminerunt Cæſar lib. 4. comment. Plin. Mela, Strabo, & alii, ſed eos qui aliis, ut Ammiano, Alemani dicuntur: collectitiam gentem, qui ſe appellarent Suevos: quòd eorum ex Suevis major eſſet fortaſſe pars.

3. *Huc.*] Ad meum fontem, ubi Suevos devicit Valentinianus.

4. *Inde.*] E Ponto & Thracia.

5. *Victos Gothos.*] A Valente; qui; quamvis aliquot eos primum expeditionibus fregiſſet, *cum iis tamen lacrymabili bello commiſſo* (inquit Aurel. Victor in epitom.) *ſagittis ſaucius, in caſam deportatur viliſſimam, ubi ſupervenientibus Gothis, ignique ſuppoſito, incendio concrematus eſt.* Γότθοι prima ſyllaba poſitione longa apud Græcos Poëtas dicuntur, qui hic *Gothi* prima brevi, ut & *Getæ* qui fuere eadem gens.

Digitized by Google

Idem eoſdem alloquitur. IV.

4 DAnubius [1] penitis caput occultatus in oris,
[2] Totus ſub veſtra jam ditione fluo:
Quà gelidum fontem [3] mediis effundo Suevis,
[4] Imperiis gravidas quà ſeco Pannonias,
Et quà [5] dives aquis [6] Scythico [7] ſolvo oſtia ponto:
Omnia ſub veſtrum flumina mitto jugum.
Auguſto dabitur ſed proxima palma Valenti,
[8] Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

INTERPRETATIO.

Ego *Danubius*, qui habeo *fontem abſconditum in regionibus intimis, nunc delabor totus ſub veſtro imperio: quà emitto frigidam ſcaturiginem in mediis Suevis, quà divido Pannonias fœcundas Imperatorum: & quà abundans aquis laxo oſtia in mare Scythicum: ſubjicio omnes fluvios veſtro imperio. Verùm ſecunda gloria obtinget Imperatori Valenti. Ipſe reperiet etiam tua capita, ô Nile.*

NOTÆ.

1. *Penitis.*] Reconditis & latentibus Romanorum reſpectu, quamdiu ſub eorum ditione non fuerunt.

2. *Totus ſub veſtra jam ditione fluo.*] Ex quo Valentinianus Suevos caput meum accolentes debellavit. Vide epig. ſuperius.

3. *Mediis effundo Suevis.*] Ex monte Abnoba [Plin. loco ſupra relato] qui quidem mons in Suevia eſt.

4. *Imperiis gravidas.*] Scaliger reponebat *Emporiis gravidas*; perperàm. *Imperiis gravidas* optime interpretatur Elias Vinetus, *quæ multos pepererunt Imperatores, ut Decium, Jovianum, Valentinianum, Valentem, Gratianum.* Sic Virg. l. 4. Æneid.

Sed fore qui gravidam imperiis, belloque frementem
Italiam regeret.

Ad quem locum procul dubio reſpexit Auſonius. Sic Claudianus Hiſpaniam dixit *Principibus fœcundam*, eo quod Trajanum, Hadrianum, Theodoſium, atque ejus filios, Imperatores tuliſſet.

5. *Dives aquis.*] Receptis in meum alveum permultis fluviis. Plin. jam laudatus ſexaginta dicit fluvios in Danubium fluere.

6. *Scythico Ponto.*] Ponto Euxino, cujus ſeptentrionales oras Scythæ accoluerunt; nunc Tartari dicuntur, gens barbara, & inhumana. Unde & ipſe Pontus dictus eſt primum ἄξενος, id eſt *inhoſpitalis*, poſtea vero εὔξεινος & εὔξενος, κατ' εὐφημίαν.

7. *Solvo oſtia.*] Quæ ſex à Plinio memorantur l. 4. c. 12. *In pontum*, inquit, *vaſtis ſex fluminibus evolvitur Iſter. Primum oſtium Peuces: mox ipſa Peuce inſula: à qua proximus alveus appellatus*, XIX. M. *paſſ. magna palude ſorbetur. Ex eodem alveo & ſuper Iſtropolim, lacus gignitur* LXIII. M. *paſſuum ambitu: Halmyrin vocant. Secundum oſtium Naracuſtoma appellatur. Tertium Caloſtoma, juxta inſulam Sarmaticam. Quartum Pſeudoſtoma, & inſula Conopon diabaſis: poſtea Boreoſtoma, & Spireoſtoma. Singula autem ora tanta ſunt, ut prodatur in quadraginta mill. paſſuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi hauſtum.* Solinus Polyhiſt. c. 19. ſeptimum addit oſtium pigrum, ac paluſtri ſpecie, non habens quod amni comparetur. Fortaſſe is intelligendus eſt Halmyris lacus Plinii è primo alveo genitus, ut habetur loco mox citato.

8. *Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.*] Devictis gentibus quæ eos accolunt; quemadmodum Valentinianus Danubii fontes invenit devictis Suevis. Nilus porro in orientali parte imperii fuit, quæ, ut jam dixi, Valenti obtigerat.

Digitized by Google

[1] *Sub Valentiniani Junioris ſigno marmoreo.* V.

5 NUnc te marmoreum pro ſumptu fecimus: at cùm
[2] Auguſtus frater remeaverit, aureus eſto.

INTERPRETATIO.

Nunc fecimus te ex marmore, ut licuit *per ſumptum: verum ubi Imperator frater* tuus *redierit, fies ex auro.*

NOTÆ.

1. *Sub Valentiniani Junioris ſigno marmoreo.*] Hæc eſt epigraphe quam præfert Pariſinus codex. Alii habent *Imitatio Maroniana.* Et revera imitatio eſt horum Virgilii verſuum ad Priapum. Ecl. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

2. *Auguſtus frater.*] Si legitima ſit epigraphe, intelligendus eſt Gratianus. Uxorem enim habuit Valentinianus ſenior Severam, ex qua Gratianum ſuſcepit, antequam factus eſſet Imperator. Huic deinde alteram conjugem ſuper induxit Juſtinam, ex qua Valentinianum juniorem & tres filias ſuſcepit; Juſtam, Gratam, & Gallam quæ nupſit Theodoſio magno. Quod ſi, repudiata Pariſini codicis epigraphe, non junioris, ſed ſenioris Valentiniani ſigno ſuppoſitos fuiſſe hos verſus malis, *Auguſtus frater* intelligendus erit Valens.

[1] *Picturæ ſubditi, ubi Leo una à Gratiano ſagitta occiſus eſt.* VI.

6 QUòd Leo tam tenui patitur ſub arundine letum,
[2] Non vires ferri, ſed ferientis agunt.

INTERPRETATIO.

Quòd leo obit mortem percuſſus *ſagitta tam exigua*, hoc *non ſit virtute ferri, ſed* virtute *percutientis.*

NOTÆ.

1. *Pictura ſubditi.*] Supple *verſus.*

2. *Non vires ferri.*] Simile eſt illud Epig. 11:

Et ſolam leti vim probat eſſe manum,

[1] *De matre Auguſti.* VII.

7 ANte omnes alias felix tamen hoc ego dicar:
[2] Sive deum peperi femina, ſive virum.

INTERPRETATIO.

Ego prædicabor beata præ cæteris omnibus mulieribus, *ſed* præcipue *ob hunc* meum filium; *ſive* ego *mulier enixa ſim deum, ſive hominem.*

NOTÆ.

1. *De matre Auguſti.*] Severa matre Gratiani, quem Auguſtum, non Cæſarem pater Valentinianus dixerat, ut jam obſervavi ex Ammiano.

2. *Sive deum peperi.*] Aſſentatio Chriſtiano poëta indigna.

Exhortatio ad modeſtiam. VIII.

8 FAma eſt fictilibus cenaſſe [1] Agathoclea regem,
Atque abacum [2] Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis quùm poneret [3] horrida vaſis;
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul:
Quærenti cauſam, reſpondit: Rex ego qui ſum
Sicaniæ, [4] figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

INTERPRETATIO.

Ferunt regem Agathoclem epulatum eſſe in vaſis teſtaceis, & ſæpè impoſuiſſe abaco lutum Samium. Cùm apponeret cibos agreſtes in lancibus gemmis diſtinctis, atque una contemperaret divitias & paupertatem; cuidam *ſciſcitanti cur* id faceret, *reſpondit: Ego qui ſum rex Siciliæ, procreatus ſum patre figulo. Fer modeſte fortunam quiſquis* es, qui *ſubitò evades opulentus ex tenui genere.*

NOTÆ.

1. *Agathoclea regem.*] De quo vide Juſtinum lib. 22. & 23.

2. *Samio ſæpè oneraſſe luto.*] Vaſis fictilibus ex luto Samio factis; quod quidem lutum àd fictilia menſarum commendatiſſimum fuit. Plin. l. 35. cap. 12. *Major quoque pars hominum terrenis utitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur.* Samos inſula eſt maris Interni, Cariæ adjacens.

3. *Horrida.*] Agreſtia, male condita: cùm contra fictilibus lautiora, & delicatiora poneret, ſicque opes & pauperiem optime miſceret ſimul. *Fercula horrida* dicuntur hic, ut *horrida juventus* gigantes apud Horatium l. 3. ode 5. & *horridi Germaniæ fœtus* pro barbaris atque incultis l. 4. ode 5.

4. *Figulo ſum genitore ſatus.*] Juſtinus l. 22. *Agathocles Siciliæ tyrannus, qui magnitudini prioris Dionyſii ſucceſſit, ad regni majeſtatem ex humili, & ſordido genere pervenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honeſtiorem pueritiam, quam principia originis habuit, &c.*

De ſuis Poëmatis. IX.

9 [1] EST jocus in noſtris, ſunt ſeria multa libellis:
[2] Stoïcus [3] has partes, [4] has [5] Epicurus agit.

INTERPRETATIO.

Luſus eſt in meis libris, ſunt etiam *multa ſeria: hic Stoïcus ſuſtinet perſonam ſuam, ille Epicurus.*

NOTÆ.

1. *Eſt jocus in noſtris, &c.*] Hunc verſum repoſuit, ex MS. ſuo, Mariang. Accurſius, loco illius qui in vulgatis circumferebatur:

Noſtra ſimul certant variis Epigrammata nugis.

qui quidem videtur eſſe à manu ſupplentis lacunam, quæ hic fortè hiabat in MSS. Genuinum eſſe Auſonii, quem Accurſius protulit, minimè dubitabit, qui eum cum pentametro ſuo conferet:

Stoïcus has partes, has Epicurus agit.

2. *Stoïcus.*] Gravis & ſerius Philoſophus. Stoici ἀπὸ τῆς στοᾶς, id eſt, *à porticu* dicti, in qua Zeno eorum princeps philoſophabatur.

3. *Has partes.*] Seria.

4. *Has.*] Jocos.

5. *Epicurus.*] Epicureus, voluptarius, & frontis magis exporrectæ Philoſophus.

Salva

Salva mihi [1] veterum maneat dum regula morum;
Ludat [2] permiſſis ſobria Muſa jocis.

INTERPRETATIO.

Dummodò norma morum antiquorum à me ſervetur inviolata., Muſa mea *modeſta jocetur facetiis licitis.*

NOTÆ.

1. *Veterum &c. morum.*] Id eſt, proborum & integrorum. Sic apud Vell. Patercul. *Apronius vir antiquiſſimi moris, & priſca gravitatis* dicitur. Contrà, quò recentiores, eò deteriores mores habentur, juxtà illud Horat. l. 3. Od. 6.

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

2. *Permiſſis.*] Alii legunt *permiſtis*; quod ſi malis, repone in interpretatione *admixtis, interſertis*, aut aliquid ſimile. Tamen quod ſequitur, *ſobria Muſa*, videtur noſtræ lectioni magis congruum.

[1] *In Eumpinam adulteram.* X.

[2] Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit [3] argenti letalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum.
[4] Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.

INTERPRETATIO.

Conjux adultera propinavit venenum viro zelotypo; & exiſtimavit non ſatis propinatum eſſe ad cum *interimendum. Admiſcuit hydrargyrum mortiferum* magno *pondere* ; *ut virus duplicata violenter acceleraret mortem. Si quis ea ſeparet, ſeparata faciunt toxicum*: at *qui ſumet* ea *commixta, bibet antidotum. Igitur, dum venenatæ* illæ *potiones pugnant invicem, vis ſalu-*

NOTÆ.

1. *In Eumpinam adulteram.*] Scaliger ſcribendum putat *In Eunapiam adulteram.* Libri alii Vineto lecti inſcribebant: *De uxore qua voluit virum veneno necare.* Tollius ſuſpicatur ſcriptum fuiſſe, *In veneficam adulteram.*

2. *Toxica.*] Plin. l. 16. c. 10. *Et eſſe* (taxos arbores) *in Arcadia, tam præſentis veneni, ut qui obdormiant ſub ea, cibumve capiant, moriantur. Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena, qua nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur.* Sed τοξικὸν potiùs dictum videtur, à *τόξον arcus*, qui, unà cum ſagittis ipſo infectis, vibrabatur. Ovid. l. 4. de Ponto Eleg. 7.

Aſpicis & mitti ſub adunco toxica ferro,
Et telum cauſas mortis habere duas.

3. *Argenti letalia pondera vivi.*] Hoc videtur diſcrimen ſtatuere Plinius inter argentum vivum & hydrargyrum; quod illud inveniatur in argenteis fodinis, hoc verò fiat & exprimatur ex minio. Porrò utrumque venenum eſſe affirmat. Vide eum l. 33. capp. 6. & 8.

4. *Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.*] Alii lib. habent *ſumit*, & *bibit.* Nempè alterum nimio calore mortem affert, alterum nimio frigore: ſed, ubi permixta ſunt, contrariæ illæ qualitates ſeſe invicem retundunt. *Ἀντίδοτον* quaſi *contradatum*, quod detur contra venenum.

Ergo, [1] inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit letalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alvi petiêre receſſus,
Lubrica dejectis quà via nota cibis.
Quàm pia cura Deûm! [2] prodeſt crudelior uxor.
Et, quùm fata volunt, bina venena juvant.

INTEPRETATIO.

taris vicit mortiferam. Et ſtatim conceſſerunt in inanes ſinus ventris, quà iter lubricum patet eſcis excretis. Quàm benigna eſt providentia deorum! ideò *uxor juvat*, quia *eſt immitior; & duo toxica proſunt, quando viſum eſt fatis.*

NOTÆ.

1. *Inter ſeſe dum noxia pocula certant.*] Plin. lib. 27. cap. 2. de Aconito: *Ea eſt natura ut hominem occidat, niſi invenerit quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, velut pari intùs invento. Sola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit: mirumque, exitialia ambo cum ſint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit.*

2. *Prodeſt crudelior uxor.*] Crudelior. quia duo venena propinavit, & ideò profuit: quæ quidem nocuiſſet, ſi fuiſſet minùs crudelis, & unum tantùm propinaſſet.

Echo ad pictorem. XI.

11 VAne, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
[1] Ignotamque oculis ſollicitare deam?
[2] Aëris & linguæ ſum filia, [3] mater inanis
Indicii, vocem quæ ſine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens,
Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo:
Et, ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

INTERPRETATIO.

Pictor mendax, quare aggrederis mihi fingere vultum, & moliri aliquid circa deam incognitam oculis? Filia ſum aëris & linguæ, mater vanæ monſtrationis, quæ habeo vocem abſque animo. Retractans poſtremos ſonos à fine eorum *jam deficiente, excipio voces aliorum effingens* eas *meis* vocibus. Ego *Echo permeans* in omnes partes *ſedem habeo in veſtris auribus: & ſi cupis effingere* mihi *ſimilem, pinge ſonum.*

NOTÆ.

1. *Ignotamque oculis.*] Et notam ſolummodò auribus.

2. *Aëris & linguæ ſum filia.*] Senec. l. 2. Natural. quæſtion. *Quid enim eſt vox, niſi intentio aëris, ut audiatur linguæ formata percuſſu?*

3. *Mater inanis indicii.*] Dum enim ſonum à læva reflectit, qui à dextra profectus erat; inducit in errorem, & perſuadet cauſam ſoni ad lævam eſſe, quæ à dextra eſt.

In ſimulachrum Occaſionis & Pœnitentiæ. XII.

12 [1] CUjus opus? [2] Phidiæ: [3] qui ſignum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit, tertia palma ego ſum.
[4] Sum dea quæ rara, & paucis OCCASIO nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum. [5] Mercurius quæ
Fortunare ſolet, [6] tardo ego, quùm volui.

INTERPRETATIO.

Cujus opus eſt hæc ſtatua? *Ego ſum tertium ſpecimen artis Phidiæ* illius; *qui ſculpſit ſtatuam Minervæ, & illius, qui ſculpſit ſtatuam Jovis. Sum Occaſio, dea rara, & cognita paucis. Quare ſtas in globo?* Quia *non poſſum conſiſtere in loco. Quare geris alas in talis?* Quia *ſum velox. Ego remoror, quandò mihi libitum eſt, ea quibus Mercurius benignus aſpirat.*

NOTÆ.

1. *Cujus opus.*] Hoſpes quiſpiam Occaſionis ſimulachrum alloquitur, cui viciſſim reſpondet Occaſio. In hoc epigrammate Auſonius Græcum Poſidippi epigramma imitatus eſt, quod in Anthologia extat. lib. 4. in quo Καιρὸς, id eſt, *Occaſionem* deſcribit, cui tamen comitem non dat Pœnitentiam, ut facit Auſonius.

2. *Phidiæ.*] Lyſippi tamen erat Poſidippi Καιρός, non Phidiæ. Majoris ergo auctoritatis cauſa Phidiam noſter ſignificem, quàm Lyſippum dicere maluit; ad Martialis verſus reſpiciens, qui Herculis ſignum Lyſippi manu factum ob operis elegantiam Phidiæ crediſſe ſe teſtatur, nec ab ea opinione divulſum, niſi lectâ baſis inſcriptione. En ejus epigramma 45. l. 9.

Alcides modò Vindicem rogabam
Eſſet cujus opus, laborque felix.
Riſit (nam ſolet hoc) levique nutu
Græcè numquid, ait, Poëta, neſcis?
Inſcripta eſt baſis, indicatque nomen.
Λυσίππου lego, Phidiæ putavi.

Ubi obſerva Martialem *Phidiæ* primam ſyllabam producere, rectè. Φειδίας enim Græcis eſt, prima per ει dyphtongum longam, quam tamen ſyllabam Auſonius hic breviat licenter, coactus metri neceſſitate; quam licentiam in aliis non paucis à Græco fonte deductis ſibi ſumpſit; exempli cauſa in Grypho ternarii numeri;

Per trinas ſpecies trigonorum linea currit.

ubi *trigonorum* ſecundam habet brevem, quæ tamen longa eſt, cum ſit Græcum τρίγωνος per ω μέγα.

3. *Qui ſignum Pallados, ejus, quique Jovem fecit.*] Pallados quidem Athenis, Jovis verò Olympii in Elide. Plin. l. 34. c. 8. *Phidias præter Jovem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit & ex ebore æquè Minervam Athenis, quæ eſt in Parthenone adſtans. Ex ære verò, præter Amazonem ſupra dictam, Minervam tam eximiæ pulchritudinis, ut à formâ cognomen acceperit, &c.* quæ vide ibidem. Sed nulla Occaſionis ab ipſo factæ mentio. Lyſippum verò Occaſionem feciſſe ex ære, refert Calliſtratus, & publicaſſe Sicyone, quæ urbs Peloponneſi ejus patria fuit. Meminit & hujus Lyſippei Καιροῦ Tzetzes in Chiliad.

4. *Sum dea.*] Latinis *Occaſio* dea, Græcis Καιρὸς deus eſt. Quin & Phædrus l. 5. fab. 9. Occaſionem, ſeu Tempus virili habitu deſcribit. Ejus verſus ſunt:

Curſu volucri pendens in novacula
Calvus, comoſa fronte, nudo corpore;
Quem ſi occuparis, teneas; elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere,
Occaſionem rerum ſignificat brevem.

5. *Mercurius quæ fortunare ſolet.*] Vide Prologum Amphitryonis Plauti.

6. *Tarde ego.*] L. Gyraldus, neſcio quâ ratione ductus, reponendum cenſet hic *trado*.

Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus tu
[1] Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. [2] Dic, rogo, quæ ſis.
[3] Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ [4] facti, non factique exigo pœnas,
Nempè ut pœniteat. Sic [5] METANOEA vocor.
[6] Tu modò dic, quid agat tecum? [7] Si quandò volavi,
Hæc manet. Hanc retinent, quos ego præterii.
[8] Tu quoque, dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

INTERPRETATIO.

Velas vultum tuum capillis. Nolo agnoſci. Verum heus tu non habes capillos in occipitio. Scilicet *ne retinear, dum fugio. Quænam eſt illa quæ te comitatur?* Ipſa *tibi dicat. Dic* mihi *quæſo, quæ ſis.* Ego *ſum Dea, quam ne ipſe quidem Cicero potuit nominare. Sum Dea, quæ ſumo ſupplicium admiſſorum. Et prætermiſſorum,* cùm *ſcilicet facio ut pœniteat. Ea de cauſa appellor Pœnitentia. Tu* verò *jam dic* mihi, *quid* huic *negotii ſit tecum? Si aliquandò avolavi, hæc reſtat. Ii, quos præterlapſa ſum, eam ſervant. Tu etiam, dum me interrogas, & dum tempus teris ſciſcitando, dices me aufugiſſe tibi è manibus.*

NOTÆ.

1. *Occipiti calvo es.*] Occipiti, pro *Occipite.* Sic Perſ. Sat. 1. verſu 62.

—— *Quos vivere jus eſt*
Occipiti cæco.

2. *Dic rogo quæ ſis?*] Jam ab Occaſione converſus ad Pœnitentiam hoſpes, alloquitur eam.

3. *Sum Dea cui nomen nec Cicero ipſe dedit.*] Apud Ciceronem *pœnitet* quidem & *pœnitens* leguntur: nuſquam *pœnitudo*, aut *pœnitentia*. Extat tamen *pœnitentiæ* vox apud ævi ſequentis ſcriptores, Livium, Suetonium, Plinium utrumque, & alios. Quin & apud Phædrum ipſum Auguſti libertum, in fragmento fabellæ obſcœnæ legitur, ſenſu quidem obſcœno, ſed per alluſionem ad *pœnitentiæ* in vulgari ſignificatu vocabulum; quod, ipſum tunc temporis in uſu fuiſſe, ſatis demonſtrat.

4. *Facti non factique.*] Facti, quod non fuit faciendum: non facti, quod facere oportuit.

5. *Metanœa vocor.*] Græcum eſt *μετάνοια*, quod uſurpavit Auſonius, cùm Latinum *Pœnitentia* hexametri aut pentametri verſus compoſitionem ingredi non poſſet.

6. *Tu modò dic, &c.*] Hæc ad Occaſionis ſtatuam.

7. *Si quandò volavi, hæc manet.*] Elapsâ nempè occaſione, ſola remanet negligentiæ pœnitentia.

8. *Tu quoque, &c.*] Hoſpitem curioſiùs rogitantem, quaſi otioſum perſtringit Simul docet, quantâ celeritate ſoleat aufugere.

Ad Gallam puellam jam ſeneſcentem. XIII.

13 [1] DIcebam tibi: Galla, ſeneſcimus. Effugit ætas.
[2] Utere vere tuo; [3] caſta puella, anus eſt.
Spreviſti. [4] Obrepſit non intellecta ſenectus.
Nec revocare potes, qui periere dies.
Nunc piget: [5] & quereris, quòd non aut iſta voluntas
Tunc fuit: aut non eſt nunc ea forma tibi.
Da tamen amplexus: oblitaque gaudia junge.
Da, fruar; &, ſi non quod volo, [6] quod volui.

INTERPRETATIO.

Dicebam tibi: ô Galla, fimus ſenes. Ætas elabitur. Utere tua juventa; puella pudica, eſt vetula. Contempſiſti mea dicta. *Senecta ſenſim acceſſit*, te *non animadvertente. Et jam nequis reducere dies, qui perditi ſunt. Nunc pœnitet* te: *& doles, quod vel tunc non fueris* tibi *hac lubido* quæ nunc eſt: *vel nunc non ſit tibi illa pulchritudo*, quæ tunc erat. *Nihilominus complectere* me: *& revoca* mihi *complexu* tuo *voluptates* jam *deletas ex animo* meo. *Concede* mihi, ut *potiar* te; *&* da mihi, *ſi non quod cupio* nunc, ſaltem *quod* olim *concupivi*.

NOTÆ.

1\. *Dicebam tibi, &c.*] In eundem ſenſum extant epigrammata Græca duo Rufini ad Prodicen, quæ ſunt 110. & 114. lib. 7. *Ανθολογίας*.

2\. *Utere vere tuo.*] Lectio eſt quorundam codicum Vineto laudatorum, quam, utpotè honeſtiorem, præpoſui vulgatæ, *rene tuo*. Porrò ut ver, anni quaſi juventus eſt, ita puellæ juventus decenti Metaphora *ver* ejus dicitur.

3\. *Caſta puella, anus eſt.*] Perindè eſt ac ſi eſſet anus; nihil differt ab anu; cum Veneri non det operam; quæ res puellas à vetulis diſtinguit.

4\. *Obrepſit non intellecta ſenectus.*] Deſumptum hoc ex Juvenal. ſat. IX. verſ. 126. & ſeq.

—— *Feſtinat enim decurrere velox*
Floſculus, anguſta miſeraque breviſſima vita
Portio: dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

5\. *Et quereris quod non, aut iſta voluntas, &c.*] Similiter Horatius ode 10. l. 4. ad Ligurinum:

Dices heu (quoties te in ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

6\. *Quod volui.*] Dum pulchra eras & florenti ætatulà.

[1] *De lepore capto à cane marino.* XIV.

14 [2] TRinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem [3] cæruleus rapuit.

INTERPRETATIO.

Canis *marinus cepit olim leporem currentem ante canes in plaga littoris Siculi.*

NOTÆ.

1\. *De lepore capto à cane marino.*] Duo extant in l. 1. Anthologiæ epigrammata Græca Germanici Cæſaris in hunc leporem, ex quibus ſuum Auſonius deſumpſit; quæ, brevitatis cauſa, hic referre ſuperſedebo.

2\. *Trinacrii, &c.*] Locum fingit Auſonius ubi geſtum ſit quod refert, littus nempè Siculum. In Germanici epigrammatis nulla loci mentio.

3\. *Cæruleus.*] Subintelligitur *canis*. Sic etiam in primo Græco epigrammate ſup-

At lepus: In me omnis terræ, pelagique rapina eſt,
Forſitan & cæli; [1] ſi canis aſtra tenet.

INTERPRETATIO.

Lepus verò captus ſic ait: *Undique præda ego ſum, telluris, & maris, fortaſſe etiam cæli; ſi Canis eſt inter ſidera.*

NOTÆ.

preſſa voce Κύων, legitur tantùm Εἰνάλιος *marinus*. Porrò pro *marino* ponitur hic *cæruleus*, perpetuum marinorum omnium epitheton. Ovid. l. 2. Metam.

Cæruleos habet unda Deos, &c.

1. *Si canis aſtra tenet.*] Nempè inter ſidera memorantur Canis major qui & Sirius, Leporem aliud ſidus, ſequens; & Canis minor qui etiam Canicula dicitur, & Procyon; quòd majoris Canis ortum uno die præcedat. Aratus Φαινομ.

Ἀντέλλει δ' ὕδρης κεφαλὴ, χαροπός τε λαγωὸς,
Καὶ προκύων, πρότεροί τε πόδες κυνὸς αἰθομένοιο.
Oritur autem Hydræ caput, glaucuſque lepus:
Et Procyon, & priores pedes canis ardentis.

[1] *De Pergamo ſcriptore fugitivo, qui captus fuerat.* XV.

15 TAm ſegnis ſcriptor, quàm lentus [2] Pergame curſor,
Fugiſti: [3] & primo captus es in ſtadio.
Ergo [4] notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu:
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

INTERPRETATIO.

Pergame, qui es tam iners ſcriba, quam tardus curſor, aufugiſti: & reprehenſus es in primo ſtadio. Igitur ò Pergame tuliſti in *facie* tuâ *exaratâ characteres: & frons* tua *tolerat* eos, *quos manus* tua *negligenter ſcribebat.*

NOTÆ.

1. *De Pergamo ſcriptore fugitivo.*] Hic erat amanuenſis, ſeu ſervus à manu, qui dictata ab hero ſcriberet, aut etiam exſcriberet jam ſcripta. Tales habuere antiqui ſervos, quorum operâ in libris edendis utebantur, cum non ſuppeteret typographicæ artis facultas.

2. *Pergame.*] Nomen à patriâ, ut videtur, ſervo inditum; quemadmodum *Geta*, *Syrus*, *&c.* Eſt autem Pergamus urbs Myſiæ ad Caïcum amnem.

3. *Primo captus es in ſtadio.*] Dum adhuc primum ſtadium decurreres. Erat autem ſtadium centum & viginti-quinque paſſuum ſpatium.

4. *Notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu.*] Litteras illas, quæ fugitivorum & nequam ſervorum frontibus candenti ferro inuri, dein atramento perlini ſolebant, ut eminerent, crimenque teſtabantur, ob quod inuſtæ erant. Petronius: *Implevit Eumolpus frontem utriuſque* (Encolpi & Gytonis) *ingentibus litteris, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Tales ſervi Apuleio noſtro *frontes litterati* dicuntur lib. Metam. 9. Græcis στιγματίαι. Vide plura apud Lipſ. Elect. lib. 2. cap. 15.

Digitized by Google

In eundem Pergamum. XVI.

16 [1] PErgame, non rectè punitus. Fronte ſubiſti
Supplicium, [2] lentæ quod meruêre manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coërce.
Injuſtum falſos excruciare reos.
Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere, dextram:
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

INTERPRETATIO.

Pergame, non benè punitus es. Nam *dediſti pœnas fronte, quas manus* tuæ *ſegnes commeritæ ſunt. Tu vero, qui* es *herus* ejus, *caſtiga partes* corporis, *quæ deliquerunt. Iniquum eſt torquere falsò accuſatos. Vel inure litteras illi manui, quæ renuit ſcribere; vel conſtringe pedes fugitivos gravi ferro.*

NOTÆ.

1. *Pergame, non rectè punitus.*] Optimè monuit Scaliger, hos verſus à ſuperioribus eſſe ſeparandos, ut duo ſint de eodem Pergamo epigrammata; ut patet attendenti.

2. *Lentæ quod meruêre manus.*] Dum ſcribere recuſant: ſed nec manus tantùm meruêre, verùm & pedes qui fugerant.

De Myrone & Laïde. XVII.

17 CAnus rogabat Laïdis noctem Myron:
Tulit repulſam protinus.
[1] Cauſamque ſenſit: & caput fuligine
Fucavit atra candidum.
Idemque vultu, crine non idem Myron,
Orabat oratum prius.
Sed illa, formam cum capillo comparans,
Similemque, non ipſum rata,
Fortaſſe & ipſum; ſed volens ludo frui,
Sic eſt adorta callidum:
Inepte, quid me, quod recuſavi, rogas?
[2] Patri negavi jam tuo.

INTERPRETATIO.

Myron canus petebat concubitum Laidis: paſſus eſt ſtatim repulſam. Et animadvertit cauſam ejus; *ac tinxit nigrâ fuligine caput canum. Et* jam *facie* quidem *idem Myron* qui priùs, ſed *diverſus comâ, petebat quod ante petierat. At illa, conferens vultum cum comâ, & exiſtimans* cum *ſimilem* quidem eſſe, ſed *non eundem*; *forſan etiam* exiſtimans *eundem* eſſe, *ſed cupiens ſe oblectare ludendo* cum, *ſic affata eſt aſtutum* illum: *Stolide, quare à me petis quod denegavi? jam denegavi tuo patri.*

NOTÆ.

1. *Cauſamque ſenſit.*] Nimirùm quod parum ad Veneris munia aptus viſus fuiſſet eâ ætate, & cano capite.

2. *Patri negavi jam tuo.*] Jocus eſt Hadriani Imperatoris, quem reſpexiſſe, & alio detorſiſſe videtur Auſonius. De Hadriano ſic Ælius Spartianus in ejus vitâ: *Joca ejus plurima extant; nam fuit etiam dicaculus. Undè illud quoque innotuit, quod cùm cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit: Jam hoc patri tuo negavi.*

De ſe, & uxore. XVIII.

18 LAïdas, & Glyceras, [1] laſcivæ nomina famæ,
[2] Conjux in noſtro carmine quùm legeret:
Ludere me dixit, falſóque in amore jocari.
Tanta illi noſtra eſt de probitate fides.

INTERPRETATIO.

Uxor mea *cum legeret in meis verſibus Laidas, & Glyceras,* quæ ſunt *nomina famæ parùm pudica; dixit me ridere, & ludere in ficto amore. Adeò certa eſt de mea integritate.*

NOTÆ.

2. *Laſciva nomina famæ.*] Nomina fœminarum impudicitiæ famâ laborantium. Notior eſt famoſa illa Corinthi meretrix Lais, quàm ut plura de eâ ſcribere velim. Vide Eraſm. Chiliad. 1. centur. 4. ad illud adagium: *Non eſt cujuſlibet Corinthum appellere.*

2. *Conjux.*] Attuſia Lucana Sabina, de quâ in Parentalibus carmine nono.

Ad uxorem ſuam. XIX.

19 UXor, vivamus, quod viximus: & teneamus
[1] Nomina, quæ primo ſumpſimus in thalamo:
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo;
Quin tibi ſim juvenis, tuque puella mihi.
[2] Neſtore ſim quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas [3] Cumanam tu quoque Deiphoben;

INTERPRETATIO.

Conjux mea, *vivamus, ut jam viximus: & ſervemus nomina, quæ cepimus initio* noſtri *connubii; ac nulla dies faciat ut immutemur ætate; quin ego ſim tibi juvenis, & tu mihi puella. Tametſi ego ſim ſenior Neſtore, & tu ſuperes Deiphoben Cumanam, contendens vetuſtate*

NOTÆ.

1. *Nomina, quæ primo ſumpſimus in thalamo.*] *Sponſi & ſponſæ* intelligit Vinetus. Ego potiùs intelligam ἐρωτικὰ illa nomina, quibus amantes, & novi ſponſi ſibi invicem blandiuntur, *mi animule, deliciæ, corculum, mea voluptas, &c.*

2. *Neſtore ſim quamvis provectior.*] Id eſt, etiam quando ero ſenior Neſtore, & tu ſuperabis Cumanam Deiphoben. Neque enim tunc, cùm epigramma hoc ſcriberet, aut ipſe ſenex, aut ejus conjux vetula erat; cum ea viginti tantùm & octo annos vixerit; quod ipſe deflet in nono carmine parentalium:

Non ego opes caſſas, & inania gaudia plango.
Sed, juvenis juveni quòd mihi rapta viro.

Et infra:

Quæ, modò ſeptenos quater impletura Decembres,
Liquiſti natos, pignora noſtra, duos.

Neſtore ſim quamvis, &c.] Neſtore Pyliorum rege, quem tres hominum ætates exegiſſe ait Homerus l. 3. Odyſſ. hinc in proverbium ceſſit *Neſtorea ſenecta.*

3. *Cumanam Deiphoben.*] Glauci filiam Sibyllam Cumanam, quæ ſic de ſe apud Ovid. l. Metam. 14.

Lux æterna mihi, caritura que fine dabatur.

Nos ignoremus, quid ſit matura ſenectus.
[1] Scire ævi incertum, non numerare decet.

INTERPRETATIO.

cum ea; nos neſciamus, quid ſit ſenecta provecta. Par eſt noſſe ætatem eſſe *incertam, non au*tem eam *computare.*

NOTÆ.

Si mea virginitas Phœbo patuiſſet amanti.
Dum tamen hanc ſperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit, elige, ait, virgo Cumæa, quid optes:
Optatis potière tuis. Ego pulveris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi, &c.

Et paulo poſt:
——— *Jam mihi ſæcula ſeptem*
Acta vides: ſupereſt, numeros ut pulveris æquem,
Ter centum meſſes, ter centum muſta videre.

Vide plura ibid. & lib. 6. Æneid. Virg.

1. *Scire ævi incertum.*] Alii *ævi meritum* legunt; quod Vinetus exponit, *ſcire quid ætas ferat.* Elige lector.

[1] *In Meroën anum ebrioſam.* XX.

20 QUi primus MEROE nomen tibi condidit, ille
[2] Theſidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare eſt, [3] nomen componere, quod ſit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.
[4] Proteſilae, [5] tibi nomen ſic fata dederunt:
Victima quòd Trojæ prima futurus eras.

INTERPRETATIO.

Ille impoſuit nomen Hippolyto filio Theſei, qui primus impoſuit tibi nomen Meroë. Nam fingere nomen, quod deſignet fortunam, indolem, aut mortis genus, planè *vaticinari eſt. Sic fata impoſuerunt tibi nomen, ô Proteſilaë, quoniam futurus eras prima hoſtia Trojæ. Quandò appellant*

NOTÆ.

1. *In Meroën anum ebrioſam.*] Sic etiam Apul. l. 1. Metam. cauponam anum *Meroën* appellat, ab eodem (ut videtur) etymo, à quo hìc ſuam Auſonius; nempè a *mero.*

2. *Theſidæ nomen condidit Hippolyto.*] Hippolytus Theſei Athenarum Regis filius, Phædræ novercæ amore primùm, deindè odiis exagitatus, cum in exilium proficiſceretur, ab equis ſuis monſtro marino exterritis raptatus per rupes ac dilaniatus interiit; quod mortis genus indicare nomen ejus videbatur. Eſt enim *ἵππος* Græcis *equus*, & *λύεσθαι ſolvi*, undè *ἱππόλυτος ab equis diſſolutus & dilaniatus.*

3. *Nomen componere.*] Barthius reponebat *nomen cui ponere*, id eſt, *alicui.*

4. *Proteſilaë.*] Jolaus Iphicli fuit filius, Proteſilaus deindè dictus, qui, contempto oraculo, quo monebatur fore ut, ſi ad Trojam proficiſceretur, omnium primus mortem oppeteret; nihilo ſecius illùc ſe contulit cum reliquis ducibus Græcis. Cumque primus è navi deſiliiſſet in terram, atque Hectori occurriſſet, Græcorum primus ab eo fuit interfectus. Mira narrat Plinius l. 16. c. 44. de arboribus quæ in ejus ſepulchro ſunt, ex adverſo Ilienſium urbis, juxta Helleſpontum ſito; *Quæ*, ut ait, *omnibus ephebiis ejus, cum in tantum accrevère, ut Ilium aſpiciant, inareſcunt, rurſuſque adoleſcunt.* Quidam non ab Hectore, ſed ab Æneâ, alii ab Achate Æneæ amico interfectum Proteſilaum dicunt.

5. *Tibi nomen ſic fata dederunt, &c.*]

[1] Idmona quòd vatem, [2] medicum quòd Iapida dicunt:
Diſcendas artes nomina præveniunt.
Et tu ſic, [3] Meroë: non quòd ſis atra colore,
Ut quæ Niliaca naſcitur in Meroë:
Infuſum ſed quòd vinum non diluis undis,
Potare immixtum ſueta, merumque merum.

Interpretatio.

vatem Idmonem, & medicum Iapidem; nomina illa *antevertunt artes, quas* illi *ſunt amplexuri. Tu quoque ſic* vocata es *Meroë: non quia ſis nigra colore, quemadmodum* fœmina, *quæ naſcitur in Meroë* inſulâ *Nili: ſed quoniam non temperas aquâ merum* poculis *infuſum; cum ſolita ſis bibere vinum non temperatum, & merum.*

Notæ.

Πρωτεσίλαος quoniam πρῶτος τῦ λαῦ primus è populo Græco erat ante Trojam periturus.

1. *Idmona quod vatem.*] Inſignis fuit augur & vates inter Argonautas Idmon, de quo multa Apollonius in Argonauticis, & poſt eum Valer. Flaccus. Nomen porrò ejus Ἴδμων deductum videtur ab ἴδω *ſcio*, & exponi poteſt, *ſciens, peritus.*

2. *Medicum quod Iapida dicunt.*] Ab ἰᾶσθαι *mederi, Iapis* nomen aptum medico. De hoc Iapide Virg l. 12. Æneid.

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Jaſides, &c.
Ille ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit, &c.

3. *Meroë, non quod ſis atra colore, ut quæ Niliaca naſcitur in Meroë.*] Meroë inſula eſt Æthiopiæ, quam Nilus efficit; & urbs in ea, ejuſdem nominis. Porrò Æthiopes nigri ſunt & tincti colore noctis, ut ait Petronius. Lucan. l. 10.

Vana fides veterum, Nilo, quo creſcat in arva,
Æthiopum prodeſſe nives. Non Arctos in illis
Montibus, aut Boreas. Teſtis tibi ſole peruſti
Ipſe color populi, calidique vaporibus Auſtri.

Sed & in Meroë præſtantiſſimum fuiſſe vinum, teſtis eſt idem Lucanus, eodem lib.

—— Manibuſque miniſtrat
Niliacas cryſtallus aquas, gemmæque capaces
Excepere merum: ſed non Mareotidos uvæ
Nobile, ſed paucis ſenium cui contulit annis
Indomitum Meroë cogens ſpumare Falernum.

Digitized by Google

[1] *Nemeſis*, [2] *è Græco.* XXI.

21 [3] ME lapidem quondam Perſæ advexere, tropæum
Ut fierem bello, nunc ego ſum NEMESIS.
At ſicut Græcis victoribus adſto tropæum:
Punio ſic Perſas vaniloquos Nemeſis.

INTERPRETATIO.

Perſæ apportaverunt me olim adhuc *lapidem*, *ut ex me facerent trophæum* ſuo *bello*: *nunc verò ego ſum Nemeſis. Sed*, *quemadmodum ſto* in *trophæum Græcis victoribus*: *ſic*, cum ſim *Nemeſis*, *pœnas ſumo de Perſis jactantioribus.*

NOTÆ.

1. *Nemeſis.*] Quam Oceani & Noctis filiam fecit Heſiod. in Theogonia. De hac Ammianus Marcell. l. 14. *Hæc & hujuſmodi quædam innumerabilia ultrix facinorum impiorum*, *bonorumque præmiatrix aliquoties operatur Adraſtia*: *atque utinam ſemper*: *quam vocabulo duplici etiam Nemeſin appellamus*, *Jus quoddam ſublime numinis efficacis*, *humanarum mentium opinione*, *lunari circulo ſuperpoſitum*; *vel*, *ut definiunt alii*, *ſubſtantialis tutela generali potentia partilibus præſidens fatis*: *quam Theologi veteres fingentes Juſtitiæ filiam*, *ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena.* Et paulò poſt: *Nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat*, *nunc bonos ab imo ſuſcitans ad benè vivendum extollit. Pinnas autem ideò illi fabuloſa vetuſtas aptavit*, *ut adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimetur. Et prætendere gubernaculum dedit*, *eique ſubdidit rotam*, *ut univerſitatem regere per elementa diſcurrens omnia non ignoretur.* Dicta eſt *Nemeſis* teſte Ariſtotele παρὰ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως à diſtributione quæ unicuique fit. *Adraſtia* verò, ut vult Pauſan. παρὰ τῦ διδράσκειν à *fugiendo*, quòd nemo nocens meritam pœnam effugiat: quanquam alii aliud afferunt. Dicta prætereà eſt Rhamnuſia, à Rhamnunte pago Atticæ, ubi ipſius erat ſtatua ſolido lapide, decem cubitorum magnitudine, Phidiæ, vel (ut alii volunt) Agoracriti opus; in quam ſtatuam eſt hoc epigramma Auſonii.

2. *E Græco.*] Leonidæ; quod refertur Antholog. l. 4. ubi & nonnulla alia extant, in Nemeſin, Græcorum Poëtarum epigrammata.

3. *Me lapidem quondam*, &c.] Rem narrat Pauſan. in Atticis. Interpretis ejus verba ſubjungam. *A Marathone*, inquit, *ſtadiis XL. littorali viâ ad Oropum euntibus*, *Rhamnus occurrit. Domicilia incolarum ad mare poſita ſunt. Paulò intra continentem*, *Nemeſeos fanum eſt*, *quæ Dea ſuper cæteros Deos*, *adverſùs ſuperbos inexorabilis eſt*: *ut Barbaris quoque*, *qui in Marathona venerant*, *hujus Deæ ira multum obſtitiſſe videatur. Nam Athenarum opes adverſùs ſe contemnentes*, *jam tum Parium marmor acceperant*, *quod ad trophæum erigendum vehebant. Id marmor Phidias excidit in Deæ hujus ſtatuam*, &c. Subdit Pauſanias hanc ſtatuam alas non habuiſſe; ſed poſtea apud Smyrnæos alata ejus ſimulacra facta fuiſſe.

Digitized by Google

De varietate fortunæ, è Græco. XXII.

22 [1]THeſauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit: & periit.

INTERPRETATIO.

Ille *qui ingrediebatur januam lethi, cùm reperiſſet theſaurum, gaudio geſtiens reliquit reſtem, quâ erat moriturus.* Ille *verò, qui non invenit aurum, quod defoderat humi, alligavit ſibi reſtem, quam reperit: & ſe necavit.*

NOTÆ.

1. *Theſauro invento, &c.*] Hoc & ſequens epigramma è duobus Græcis deſumpta ſunt, quæ exſtant l. 1. Antholog. quorum prius Platoni, aut Antipatro tribuitur vulgo, & ſic habet:

Χρυσὸν ἀνὴρ, ὁ μὲν εὗρεν, ὁ δ' ὤλεσεν· ὧν ὁ μὲν εὑρὼν,
Ῥῖψεν, ὁ δ' οὐχ εὑρὼν, λυγρὸν ἔδησε βρόχον.

Aurum vir, hic quidem invenit, ille verò amiſit: quorum hic quidem, qui invenit, abjecit laqueum lethalem; ille verò, qui non invenit, ligavit.

Poſterius Statyllii Flacci nomen præ ſe fert in Anthologia; quod tamen Laërtius Platoni tribuit in vita ejus. Tale autem eſt:

Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπε βρόχον· αὐτὰρ ὁ χρυσὸν,
Ὃν λίπεν, οὐχ εὑρὼν, ἧψεν, ὃν εὗρε βρόχον.

Vir auro invento reliquit laqueum: ſed ille auro,
Quod reliquerat, non invento, nexuit, quem invenit, laqueum.

Idem aliter. XXIII.

23 QUi laqueum collo nectebat, repperit aurum:
Theſaurique loco depoſuit laqueum.
At qui condiderat, poſtquàm non repperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

INTERPRETATIO.

Qui alligabat reſtem faucibus ſuis, *invenit aurum: & condidit reſtem in locum theſauri. Verùm qui defoderat aurum, ubi* illud *non invenit, alligavit jugulo reſtem, quam invenit.*

[1] De Thraſybulo Lacedæmonio. XXIV.

24 EXcipis adverſo quòd pectore vulnera ſeptem;
[2] Arma ſuperveheris quòd, Thraſybule, tua;
Non dolor hic patris: [3] Pitanæ ſed gloria major.
Rarum, tam pulchro funere poſſe frui.
Quem poſtquam mœſto ſocii poſuere feretro,
Talia magnanimus edidit orſa pater:
Flete alios. Natus lacrymis non indiget ullis,
Et meus, [4] & talis, [5] & Lacedæmonius.

INTERPRETATIO.

O Thraſybule, quòd accipis ſeptem plagas pectore oppoſito; & quod reportaris ſuper tuis armis; non inde dolet pater tuus: *ſed gloria Pitanæ augetur. Rarum* eſt, *poſſe potiri morte tam decorâ. Ubi ſodales* tui *poſuerunt* te *in ſandapila lugubri, tuus pater fortiſſimus cœpit proferre hæc* verba: *Lugete alios.* Meus *filius non opus habet ullis fletibus,* cum ſit *& meus, & talis, & Spartanus.*

NOTÆ.

1. *De Thraſybulo Lacedæmonio.*] Deſumptum eſt hoc ex Græco, quod extat apud Plutarch. in Apophthegm. Laconicis & l. 3. Antholog. ſub nomine Dioſcuridis.

Τᾷ Πιτάνᾳ Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ε'πτὰ πρὸς Α'ργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς πρόσθια πάντα· τὸν αἱματόεντα δ' ὁ πρέσβυς
Παῖδ' ἐπὶ πυρκαϊῆς Τύννιχος εἶπε τιθεὶς.
Δειλοὶ κλαιέσθωσαν. Ε'γὼ δέ σε, τέκνον, ἄδακρυς
Θάψω, τὸν, καὶ ἐμὸν, καὶ Λακεδαιμόνιον.

Pitanam Thraſybulus in clypeo venit exanimus,
Septem ab Argivis plagas cum accepiſſet,
Oſtendens adverſas omnes. Quem cruentum ſenex
Filium in rogum, Tynnichus dixit, ponens:
Ignavi fleantur. Ego vero te, fili, ſine lacrymis
Sepeliam, talem, & meum, & Lacedæmonium.

2. *Arma ſuperveheris quod, Thraſybule, tua.*] Referebatur nempè in clypeo. Sic apud Virgil.

At Lauſum ſocii exanimem ſuper arma ferebant.

Vide ſequens epigramma.

3. *Pitanæ.*] Pitana hæc Laconiæ urbs eſt Plutarcho, Plinio, Solino, & Polyæno; quam Pindarus juxta Eurotam fluvium locat. Eſt & Pitane Troadis oppidum Ptolem. Vitruvio & Straboni; Æolidis Stephano.

4. *Et talis.*] Plagis ſeptem, iiſque omnibus adverſis, confectus.

5. *Et Lacedæmonius.*] Apud Lacedæmonios enim, mortuos in acie liberos ne matres quidem lugebant, ſi modò fortiter occubuiſſent: quin immò eorum morte ſuperbiebant, & ovantes domum referebant eorum cadavera, ſi plures adverſo corpore excepiſſe eos plagas comperiſſent, quàm averſo. Contrà ſi plures averſo, quàm adverſo iis inflictas cernerent, pudore ductæ in lacrymas erumpebant, eorumque cadavera aut relinquebant communi ſepulchro humanda, aut ea clam tantum ſurrepta in ſepulchra domeſtica deportabant, ut refert Ælian. l. 12. Hiſtor. Variæ c. 21.

De Lacæna matre. XXV.

25 MAter Lacæna clypeo obarmans filium,
[1] Cùm hoc, inquit, aut in hoc redi.

INTERPRETATIO.

Mater Spartana, cum aptaret ſcutum nato ſuo*; Revertere cum hoc, inquit, aut ſuper hoc.*

NOTÆ.

1. *Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.*] Id eſt, ne clypeum fugiendi cauſa abjicias; ut ignavi, qui ea de cauſa ῥιψάσπιδες dicti: ſed refer illum tecum è pugna; aut tu ipſe, morte fortiter obitâ, in eo referaris à ſociis. Virg. l. 10. Æneid.

—— *At ſocii multo gemitu lacrymiſque*
Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.

Lacedæmonii liberos ſuos rebus bellicis à puero aſſuefaciebant, & clypeo illos, ferè ſtatim atque in lucem hanc prodierant, ſolebant imponere, poſitâ juxtà clypeum haſtâ; & qui aderant, acclamabant ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τάν, ſupple ἀσπίδα, id eſt, *Aut hunc clypeum* refer; *aut ſuper hoc* referaris.

In divitem quendam. XXVI.

26 QUidam ſuperbus opibus, & faſtu tumens,
Tantumque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara ſæcli nomina,
Antiqua captans ſtemmata,
Martem, Remumque, & conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille [1] Serum veſte contexi jubet:
Hos cælat [2] argento gravi,
[3] Ceris inurens januarum limina,
[4] Et atriorum pegmata.

INTERPRETATIO.

Quidam elatus divitiis, & inflatus ſuperbia, & clarus duntaxat jactantia, aſpernatur illuſtria nomina præſentis ætatis, uſurpans veteres proſapias, appellans Martem, & Remum, & Romulum fundatorem Urbis, *ſuos primos genitores. Ipſe curat eos intexi in veſtibus ſericis: inſculpit eos argento ponderoſo, pingens ceris effigiem eorum in liminibus oſtiorum, & pegmatis atriorum.*

NOTÆ.

1. *Serum veſte.*] Seres Aſiæ populi ſunt, *lanificio ſylvarum nobiles* (ait Plin. l. 6. c. 17.) *perfuſam aquâ depectentes frondium canitiem: undè geminus fœminis noſtris labor, redordiendi fila, rurſuſque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat, &c.* Eadem ferè habent Solinus in Polyhiſt. & Ammianus Marcellinus l. 23.

2. *Argento gravi.*] in vaſis argenteis magni ponderis.

3. *Ceris inurens januarum limina.*] Romuli & Remi imagines cerâ effingens in januis & in liminibus. *Tria encauſtices genera apud veteres fuiſſe ex Plinio obſervari poteſt* (inquit Salmaſ. ad Solinum;) *unum quo tabulam diſcoloribus ceris inducebant & inſternebant, ad quidlibet exprimendum, pingendumque, quas poſtea ceras inurebant, ut lævigarent & exæquarent. In hoc genere penicilli nullus erat uſus. Alterum genus encauſtices, quod in ebore & cornu, veruculo, ſive ceſtro inurebatur: quod* κηρωτὸν *indè vocabant. Tertium his duobus acceſſit genus, liquefactis igne ceris penicillo utendi.* Vel primo vel tertio modo inuſtas januas illas intellige.

4. *Et atriorum pegmata.*] Pegma πῆγμα machinæ prægrandis genus, à πήγνυμι

Credo, quòd [1] illi nec pater certus fuit:
[2] Et mater eſt verè lupa.

INTERPRETATIO.

Ideò, ut *abitror, quia natus eſt incerto patre, & habet matrem planè lupam.*

NOTÆ.

compingo; cujus meminere Martialis l. 12. epig. *Et ſurgunt mediâ pegmata celſa via.* Seneca Epiſt. ad Lucilium, Joſephus l. 7. de bello Judaico, ubi luculenta ejus extat deſcriptio jam à nobis allata ad Apuleii Metamorph. l. 4. & alii permulti. At hic de tali machina intelligendum Auſonium minimè reor. Sunt alia pegmata ex ære aut marmore armamenta, teſte Feſto, quæ ut plurimum in atriis, quandoque in porticibus auliſque affigebantur, majorum aliorumque fortium virorum geſta certius, quàm pictura, oſtendentia. De his procul dubio ſermo eſt in hoc epigrammate. Potuerunt enim eſſe etiam & lignea; & quamvis ænea fuerint, ceris diverſorum colorum liquefactis pingi; quod, ut jam obſervavimus, encauſtices genus fuit.

1. *Illi nec pater certus fuit.*] Quemadmodum neque Romulo, neque Remo; quibus mater Veſtalis, Martem patrem fuiſſe dixit, *ſeu ita rata*, inquit Livius, *ſeu quia Deus auctor culpa honeſtior erat.*

2. *Et mater eſt verè lupa.*] Id eſt meretrix. Martial.

Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

Alludit ad lupam, quæ Romulum & Remum lactaſſe fertur; quæque revera fuit Laurentia Fauſtuli paſtoris uxor, vulgato corpore, ut inquit Livius, lupa inter paſtores vocata.

[1] *Antiſthenes Cynicus Philoſophus.* XXVII.

27 INventor primus Cynices ego. Quæ ratio iſtæc?
[2] Alcides multò dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus,
Nunc ego ſum [3] Cynices primus, & [4] ille deus.

INTERPRETATIO.

Ego ſum *primus reperior* ſectæ *Cynicæ. Qui iſtud probas? Hercules fertur fuiſſe longè prior. Olim fueram ſecundus, dum Hercules* me *doceret:* at *nunc ego ſum primus ſecta Cynica; ille verò* eſt *Deus.*

NOTÆ.

1. *Antiſthenes Cynicus.*] Hic Athenienſis fuit, Socratis auditor, à quo tolerantiam addidicit, & Cynicam ſectam primus inſtituit, ut refert Diogenes Laërtius in ejus vita.

2. *Alcides multò dicitur eſſe prior.*] Idem Antiſthenes, ut refert Laërtius, quod labor bonum eſſet, magni Herculis ac Cyri exemplo perſuadebat: & Diogenes ejus diſcipulus, apud Lucianum *in vitarum auctione*, imitari ſe Herculem profitetur, palliolum ſuum ejus leoninæ pelli comparans, pugnamque ſuam adverſùs voluptates, ejus certaminibus adverſùs monſtra.

3. *Cynices.*] Legit quidam *Cynicus.*

4 *Ille deus.*] Exutâ in monte Oëta mortalitate. Vid. Ovid. *9.* Metam.

Idem. XXVIII.

28 [1] DIſcipulus melior nulli, meliorve magiſter,
Εἰς ἀρετὴν συνέβη, καὶ Κυνικὴν σοφίην.
Dicere me novit verum, qui novit utrumque,
[2] Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, [3] καὶ κύνα Διογένην.

INTERPRETATIO.

Nemini melior diſcipulus, aut melior magiſter contigit ad virtutem & ſapientiam Cynicam, quam mihi. Ille *ſcit me dicere verum, qui cognoſcit ambos, & Alcidem deum, & Diogenem canem.*

NOTÆ.

1. *Diſcipulus nulli, &c.*] Subditi hi verſus imagini Antiſthenis Cynici, quibus inducitur ipſe Antiſthenes loquens. Huc facit quod ait Cicero in Rhetoricis: *Artium magiſtros afferre laudem ſive vituperationem diſcipulis; rurſus diſcipulos magiſtris.*

2. Καὶ θεὸν Ἀλκείδην.] Magiſtrum Antiſthenis & Cynicorum, ut ipſi gloriabantur. Vide epigramm. ſuperius, & notas noſtras.

3. Καὶ κύνα Διογένην.] Ejus, ut jam dixi, diſcipulum. Ab impudentia & mordacitate ſuâ dicta eſt ſecta Κυνικὴ, id eſt, canina, & ipſe Diogenes κύων *canis.*

Libero Patri. XXIX.

29 [1] Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ, [2] Μυσῶν δὲ Φανάκης,

INTERPRETATIO.

Ægypti quidem Oſiris ego ſum, *Myſorum verò Phanaces,*

NOTÆ.

1. Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ.] Unius & ejuſdem Dei apud varias gentes cognomina continet hoc epigramma. Legitur hic in quodam exemplari Αἰγυπτίοισιν Ὄσιρις, pro quo Mariang. Accurſ. legebat Αἰγυπτίων μὲν Ὄσιρις. Bacchum porrò & Oſirim eundem eſſe, probant Plutarch. & Diodorus, necnon & Tibullus l. 1. Eleg. 7.

Te canit atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.

Et infra:

Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cadere falce comam.
Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos,
Bacchus & Argolica magno confecta labore
Pectora triſtitia diſſoluenda dedit, &c.

Nec obſtat, quod ab aliis Oſiris Sol exiſtimatur. Sol enim ipſe Bacchus eſt, & Luna Ceres. Virg. l. 1. Georg.

—— Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres, &c.

Vide Macrob. l. 1. pag. 248. & ſequentibus ubi fusè id probatur.

2. Μυσῶν δὲ Φανάκης.] In vulgatis Μυστῶν, id eſt, *Myſtarum.* At cum in Latinis verſibus, qui mox ſequuntur, legendum ſit *Myſi Phanacen nominant*, omnino legendum hîc eſt Μυσῶν, ut legunt etiam Gyraldus, & Scaliger. Myſi porrò ſunt Myſiæ populi; quæ regio eſt in Aſia minore,

Βάκχος

Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, [1] ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς,
[2] Πυρογενής, [3] δίκερως, [4] τιτανολέτης, [5] Διόνυσος.

Interpretatio.

Bacchus inter vivos, inter mortuos Aidonem, Ignigena, Bicornis, Titanicida, Dionyſius.

Notæ.

ad Helleſpontum, & ſinum Adramytticum ſita contra Lesbum inſulam, diviſa in majorem & minorem Myſiam. Myſi à Thracibus ſeparantur tantùm Helleſponto. Porrò Orpheus Thracius, à Macrobio laudatus lib. 1. Saturnal. de Sole loquens, quem eundem ait eſſe ac Bacchum:

Ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε, καὶ Διόνυσον, &c.

ubi Macrobius: *Phaneta Orpheus dixit Solem* ἀπὸ τοῦ φωτὸς καὶ φανεροῦ *à lumine, atque illuminatione, quia cunctis viſitur cuncta conſpiciens.* Undè ſuſpicabatur Mariang. Accurſius hic legendum Φανάτης pro Φανάκης. Sed in latinis verſibus legitur *Myſi Phanacen nominant.* Ac nihil quidem vetat ſcribi Φανάκης pro Φανάτης τ Doricè transeunte in κ, ut in ποκά pro ποτέ.

1. Ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς] Vox Ἀϊδωνεύς formata videtur ab Ἅδης, quod nomen eſt Plutonis. De Plutone certè intelligunt Philochorus Atthidis l. 2. & Euſebius in Chronic. *Fabula Proſerpinæ quam rapuit Aidoneus, id eſt Orcus rex Moloſſorum, cujus canis ingentis magnitudinis Cerberus nomine Pirithoum devoravit, qui ad raptum uxoris cum Theſeo venerat, &c.* Meminit & Plutonis Aidonei Plutarch. in Theſeo. Bacchum ergò hic Auſon. eundem facit ac Plutonem. Diodorus etiam affirmat Seraphin dici, tum Oſirin, tum Dionyſium, tum Ammonem, tum Jovem, & denique Plutonem.

2. Πυρογενής.] Et Πυριγενής, Ovidio *Ignigena*, Anacreonti αἰθιόπαις apud Heſychium, & πυρίσπορος apud Orpheum in hymno. Natum quippe fabulantur Bacchum Semele fulmine percuſsâ, & crematâ. Aliqui ſic dictum putant à vini naturâ igneâ.

3. Δικέρως.] *Bicornis.* Dictus etiam eſt δικέρως, & ταυροκέρως, & ταυρόμορφος, & πυροειδής (?) ...

ταυρομέτωπος ab Orpheo. Cornua Baccho tribuebantur, vel, ut ait Diodorus l. 5. quia primus boves jugo junxerit, vel, ut idem ait l. 4. quòd Ammonis filius fuerit, qui arietino capite erat cum cornibus, vel quia per cornua denotatur protervitas & contumacia, quæ ex vinolentia oriri ſolet. *Cornua*, inquit Feſtus, *Liberi Patris ſimulacro adjiciuntur, quem inventorem vini dicunt; eò quòd homines nimio vino truces fiunt.* Apud Athenæum, & Interpretem Nicandri legitur, Dionyſio cornua attributa, & ipſum *Taurum*, & *Tauriformem* dictum; quod veteres cornu bovis pro poculo uterentur: unde etiam & κεράστης dici quibuſdam videtur, quaſi κεράστης à κέρας *cornu*.

4. Τιτανολέτης.] *Titanum ſeu Gigantum perditor.* γιγαντολέτης in carmine in Bacchum lib. 1. Antholog. relatum cap. 38. quod eſt *in Deos*, quod etiam epitheton Jovis eſt, ſicut & γιγαντολέτωρ. Quin & Minerva apud Lucian. γιγαντολέτις dicitur. Acron ad illud Horat. *Monet Sithoniis non levis Evius*, ait Bacchum in Gigantum bello, mutatum in leonem, Gigantem interfeciſſe, & tunc Jovem dixiſſe. *εὖ υἱέ* id eſt *bene ô fili*, undè poſtea dictus Euhyius, & Euius. Alii à Gigantibus fuiſſe diſcerptum Bacchum & poſtea vitæ redditum, fabulati ſunt: quos inter Orpheus in Hymno. Quod etiam Arnobius gentibus objicit: *Et tamen*, inquit, *iſti qui hominem nos colere morte functum ignominioſâ ridetis, nonne & Liberum vos Patrem membratim à Titanibus diſſipatum fanorum conſecrationi aptatis?* unde hic non τιτανολέτης ſed τιτανολέτης legit Gyraldus; quod exponit *à Titanibus diſcerptum.* Sed τιτανόλετος ſcriptum oporteret, ut hic ſenſus eliceretur.

5. Διόνυσος.] Ἀπὸ Διὸς καὶ Νύσα *à Jove cujus filius eſt, & Nyſa urbe Arabiæ, vel (ut alii volunt) Indiæ; in qua Bacchum femore exemptum Jovis, nutritum fuiſſe à Nymphis perhibent. Alii alias afferunt hujus nominis origines, quas vide apud Lil. Gyraldum & Natalem Comitem.

[1]*Myobarbum Liberi Patris ſigno marmoreo in villa noſtra omnium Deorum argumenta habentis.* XXX.

30 [2]O Gygia me Bacchum vocat.
[3]Oſirin Ægyptus putat.
[4]Myſi Phanacen nominant.
[5]Dionyſon Indi exiſtimant.

INTERPRETATIO.

Bœotia appellat me Bacchum. Ægyptus me *habet pro Oſiri. Myſi vocant Phanacen. Indi putant* me eſſe *Dionyſium.*

NOTÆ.

1. *Myobarbum.*] Hanc epigraphen Græcis verſibus qui mox præceſſerunt, præponendam exiſtimat Scaliger; his verò Latinis præponendum pro lemmate *Item:* cui accedo libens. *Mixobarbarum* legendum putabat Lil. Gyraldus, eò quòd Græca, Latina, & Barbara Bacchi nomina ſimul his Græcis & Latinis verſibus continerentur. At Turnebus adverſ. l. 3. c. 19. *Myobarbum* retinet, & dictum putat à *mure* & *barbo* vaſe, quo in Cereris Theſmophoriis utebantur. Scaliger ipſum refellit, & *Myobarbum* exiſtimat nomen eſſe canthari potorii, quem in manu Bacchus habuerit, oblongum & anguſtiſſimum ab infima parte, quâ baſi ſuæ committebatur, ubi deſinebat in turbinem ſubtiliſſimum, qui baſem ipſam inibat: à qua ſimilitudine & muris, & barbæ, quæ in conum deſinit, nomen, Ibridâ voce, ex Latino & Græco ſermone inſititium fuerit adeptus ille cantharus, & vocatus *Myobarbum:* in quo quidem cantharo hæc Bacchi nomina inſculpta fuerint, eò quòd Liber Pater nudus, & aliarum rerum inermis fingeretur, ut nihil haberet, in quo tituli illi poni poſſent, præter cantharum potorium. Non ſpernendam tamen crediderim Gyraldi lectionem *Mixobarbarum.* Et ſanè cum reliquis hujus epigraphes vocibus magis convenire videtur. Erit enim recta ſeries verborum, *Mixobarbarum* (epigramma vel carmen) *ſubſcriptum ſigno marmoreo Liberi Patris habentis argumenta* (id eſt inſignia) *omnium Deorum* (quod quidem ſignum eſt) *in noſtrâ villâ.* Atque hæc quidem epigraphe ſatis oſtendit alia adhuc habuiſſe Bacchum geſtamina, quàm cantharum; cum omnium deorum argumenta habuiſſe eum declaret. Villa autè illa eſt Lucaniacus, de quo mox.

2. *Ogygia.*] *Bœotia;* ſic dicta ab Ogyge Thebarum rege, qui Straboni, & Pauſaniæ Ὤγυγος dicitur. Semele porrò Bacchi mater Thebana erat, Cadmi & Harmonies filia.

3. *Oſirin Ægyptus putat.*] Vide quæ ſupra diximus ad Græcos verſus, Αἰγύπτῳ μὲν Ὄσιρις ἐγώ. Et adde hunc Herodoti locum in Euterpe: θεοὺς γὰρ δὴ οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιος, καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι, hoc eſt: *Non enim eoſdem Deos ſimiliter colunt univerſi Ægyptii, præter Iſidem, & Oſirin, quem Bacchum eſſe aiunt.*

4. *Myſi Phanacem nominant.*] Quidam legebant *Myſæ*, alii, *Myſtæ:* at cum varii hic enumerentur populi, apud quos variis nominibus Bacchus inſignitur, nec *Myſtæ* ſint populus aliquis particularis, cum nationes omnes ſua habeant ſacra & ſuos myſtas, omninò legendum *Myſi:* de quibus, & de voce *Phanacem* vide quæ dixi ad epig. Græcum ſuperiùs.

5. *Dionyſon Indi exiſtimant.*] A Nyſâ urbe Arabiæ, ut quidam volunt, aut Indiæ, ut volunt alii, & ut hic ſentire videtur Auſonius, Bacchum dictum eſſe *Dionyſium*, jam diximus. Huc facit locus Pomp. Melæ de India: *Urbium*, inquit, *quas incolunt*, Indi, (*ſunt autem plurimæ*) *Nyſa eſt clariſſima, & maxima: montium Meros Jovi ſacer: famam hinc præcipuam habent, quod in illa genitum, in hujus ſpecu Liberum arbitrantur eſſe nutritum. Unde Græcis auctoribus, ut femori Jovis inſutum dicerent, aut materia ingeſſit, aut error.*

5

Romana ſacra [1] Liberum.
[2] Arabica gens Adoneum.
[3] Lucaniacus [4] Pantheum.

INTERPRETATIO.

Nominor *Liber in ſacris Romanis. Natio Arabum* vocat me *Adenidem* , *Lucaniacus* vocat me *Pantheum*.

NOTÆ.

1. *Liberum.*] *Liber* (inquit Seneca) *non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini ; ſed quia liberat ſervitio curarum animum , aſſerit , vegetatque , & audaciorem in omnes conatus facit.* Alii alias afferunt nominis hujus rationes , quas fuſiùs vide apud Lil. Gyrald. Syntag. 8.

2. *Arabica gens Adoneum.*] Sic etiam *Adonis* apud Plautum dicitur , *Adoneus*, *Menæchmis* :

> *Dic mihi , numquid vidiſti unquam tabulam pictam in pariete ,*
> *Ubi aquila Catamitum raperet , aut ubi Venus Adoneum ?*

Apud Sabæos Arabiæ gentem natum Adonidem ex Myrrhâ jam in arborem verſâ , refert Ovid. lib. Metam. 10. Porrò eundem eſſe Adonidem , ac Solem , pluribus probat Macrob. Saturnal. lib. 1. pag. 258. quem quidem Solem Bacchum eſſe , fusè oſtendit paulò ſuprà. Rhodiginus etiam , ex Plutarchi Sympoſiacis , tradit idem numen eſſe Bacchum , & Adonidem.

3. *Lucaniacus.*] Villa erat Auſonii , ad Pauliacum vicum in ripa Burdegalenſi ſita , ut obſervat Scaliger ; duabus circiter leucis Vaſconicis diſtans Burdegalâ. *Lucanum fundum* Paulinus appellat.

4. *Pantheum.*] Πάνθεον , eò quòd omnium , vel ſaltem multorum Deorum argumenta haberet , ut patet ex lemmate hujus epigrammatis. *Panthea* enim dixerunt ſigna illa & imagunculas , multorum Deorum ſymbola habentes , quas aut in hortis , aut in Larario habebant , aut etiam geſtabant ſecum. De *Pantheis* illis vide Jacobi Sponii *Miſcellanea eruditæ antiquitatis* ſect. 1. art. 5. Gisberti Cuperi *Harpocratem* , & eruditi viri D. Baudelot de Dairval diſſertationem Gallicam *de utilitate peregrinationum* ſectione *de Diis Laribus* ; ubi hujuſmodi Bacchi Panthei icunculam ex ejus Muſæo videbis pag. 219. Puer eſt nudus , ut Cupido & Bacchus finguntur , caput hederâ redimitus , quod Bacchi argumentum eſt ; loton Iſidis in capite geſtans , ſiniſtrâ manu cornu-copiæ tenens , quod Cereris aut Fortunæ ſymbolum ; dextræ verò digitum indicem ori admovens , quod eſt Sigalionis ſeu Harpocratis argumentum. Erat & *Pantheon* Romæ templum omnium Deorum , hodie *la Rotonda* : ſed nihil ad hunc locum.

In Corydonem marmoreum. XXXI.

31 Αἴξ , χίμαρος , πήρη , ποιμὴν , ῥαβδοῦχος , ἐλαίη ,
Εἰς λίθος. [1] Ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.

INTERPRETATIO.

Capra , caper , pera , paſtor , virgifer , oliva , unus lapis ſunt. *Propter* ea *omnia ego Corydon* ſum *exilis.*

NOTÆ.

1. Ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.] Id eſt , quia hæc omnia , capra , caper , quos ego Corydon paſco , pera in qua panem geſto , pedum meum , oliva arbor , atque ego ipſe Corydon , ex uno eodemque lapide ſumus exſculpti ; indè fit ut ego paſtor ſim tenuis & exiguus , qui aliàs grandior fuiſſem , ſi ſolus ex illo lapide fuiſſem effictus. Ludit Auſon. in Paronomaſia vocum λίθος *lapis* , & λιτὸς *exilis.*

In Simulachrum Sapphûs. XXXII.

32 [1] LEsbia [2] Pieriis Sappho ſoror addita Muſis,
[3] Ἐμμ' ἐνάτη, Λυρικῶν [4] Ἀονίδων δεκάτη.

INTERPRETATIO.

Ego *Sappho Lesbia adjuncta ſoror Camœnis Pieriis, ſum nona* Poëtarum *Lyricorum, decima* verò *Aonidum.*

NOTÆ.

1. *Lesbia.*] E Lesbo inſula Ægei maris, Troadi & Myſiæ adjacente.

2. *Pieriis Muſis.*] à Pieridibus Pieri filiabus, quas cantu vicerunt Myſæ, & in picas mutarunt, dictas Muſas Pierias innuit Ovid. Alii à Piero, vel Pieriâ monte, & regione Theſſaliæ, vel (ut alii volunt) Macedoniæ, ubi Muſas natas exiſtimant. Phæd. in præfatione lib. 3. Fabb.

Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo Tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies Artium peperit chorum,

3. Ἐμμ' ἐνάτη Λυρικῶν.] Octo Lyrici ſunt, Pindarus, Simonides, Steſichorus, Ibycus, Alcman, Bacchilides, Anacreon, & Alcæus: quibus Sappho nona additur, & jure quidem; quippè quæ & multa ſcripſit, quæ Suidas recenſet, & interciderunt; & carmen illud invenit, quod ejus nomine Sapphicum dictum eſt. Scholiaſtes Lycophronis Lyricis decimam addit Corinnam poëtriam.

4. Ἀονίδων δεκάτη.] Extat hoc Platonis epigramma de Sappho Anthologiæ lib. 1. c. 67. quod eſt in Poëtas.

Ἐννέα τὰς Μούσας φασίν τινες· ὡς ὀλιγώρως.
Ἠνίδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη,

Hoc eſt:

Novem Muſas dicunt quidam quàm negligenter.
Ecce verò & Sappho è Lesbo decima.

Et aliud incerti authoris in novem Lyricos, cujus hi ſunt duo poſtremi verſus de Sappho:

Ἀνδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν; ἀλλ' ἐρατειναῖς
Ἐν μούσαις δεκάτη μοῦσα καταγράφεται.

Id eſt:

Virorum verò non nona Sappho fuit, ſed amandis
In Muſis decima Muſa ſcribitur.

Deæ Veneris. XXXIII.

33 [1] ORta ſalo, [2] ſuſcepta ſolo, [3] patre edita Cœlo,
[4] Æneadum genetrix, [5] hîc habito alma Venus.

INTERPRETATIO.

Ego *alma Venus, nata è mari, recepta in terrâ, genita patre Cœlo, mater Æneadum, hic habito.*

NOTÆ.

1. *Orta ſalo.*] E ſpuma maris.

2. *Suſcepta ſolo.*] Cypro inſulà, in quam primùm appuliſſe Venerem è mari emergentem ferunt.

3. *Patre edita Cœlo.*] Fabulantur Saturnum Cœli ſui patris virilia falce amputaſſe, quæ cùm in mare decidiſſent, & ſpumam inter cadendum excitaſſent, ex illa ſpuma Venerem eſſe ortam. Obſerva paronomaſiam, quâ ludit Auſon. in vocibus *Salo, Solo, & Cœlo.*

4. *Æneadum genetrix.*] Romanorum, qui generis ſui auctores Æneam, & Venerem Æneæ matrem jactabant. Sic etiam de Venere Lucret. initio ſui carminis:

Æneadum genetrix, Divûmque hominumque voluptas, &c.

5. *Hic habito.*] Subſcripti erant hi verſus Veneris ſimulachro, aut alicui ejus delubro inſcripti.

Digitized by Google

Ad libellum ſuum de Proculo. XXXIV.

34 SI tineas, cariemque pati te, charta, neceſſe eſt;
Incipe [1] verſiculis ante perire meis.
Malo, inquis, tineis. Sapis, ærumnoſe libelle,
Perfungi mavis qui leviore malo.
Aſt ego damnoſæ nolo otia perdere Muſæ,
Jacturam ſomni quæ parit, atque olei.
[2] Utilius dormire fuit, quàm perdere ſomnum,
Atque oleum. [3] Bene ais: cauſa ſed iſta mihi eſt;
[4] Iraſcor Proculo, cujus facundia tanta eſt,
Quantus honor. Scripſit plurima, quæ cohibet.
Hunc ſtudeo ulciſci; & prompta eſt hæc ultio vati:
[5] Qui ſua non edit carmina, noſtra legat.
Hujus in arbitrio eſt, ſeu te [6] juveneſcere cedro,
Seu jubeat duris vermibus eſſe cibum.

INTERPRETATIO.

O charta, ſi oportet te experiri vermes, & putredinem, incipe priùs corrumpi meis carminibus. Verum, *ais, malo* corrumpi *vermibus. Miſer libelle ſapis; ſiquidem mavis ſubire minus malum. Verum ego nolo inutiliter inſumere tempus Muſa damnoſa, quæ mihi creat damnum ſoporis, & olei. Conducibilius erat dormire, quàm perdere ſoporem & oleum. Rectè dicis. Verum hæc eſt mihi cauſa* perdendi: *ſuccenſeo Proculo, cujus eloquentia tanta eſt, quanta* ejus *dignitas.* Ipſe *compoſuit permulta, quæ ſupprimit. Cupio ſumere vindictam de eo; atque hæc vindicta facilis eſt* mihi *poetæ:* ipſe *qui non profert* in lucem *ſuos verſus, legat noſtros. Penès ipſum eſt, ſive velis te vigentem ſervari cedro, ſive* te *præbere eſcam ſævis tineis.*

NOTÆ.

1. *Verſiculis ante perire meis.*] Errat Vinetus, cùm *verſiculis* hìc in dandi caſu poſitum exiſtimat. Quod ſequitur *malo, inquis, tineis* ſatis oſtendit eſſe in caſu auferendi. Lego duabus vocibus *ante perire*, ut *ante* ſit adverbium, non autem unica vox *anteperire*; quod quibuſdam placere video.

2. *Utilius dormire, &c.*] Verba ſunt chartæ ſeu libelli.

3. *Benè ais.*] Sic Scaliger ex MS. pro *verum*, quod in aliis.

4. *Iraſcor Proculo.*] Ad eundem Proculum eſt epigramma 3. de Faſtis. Eundem ſuſpicatur Vinetus eſſe, qui in Codice Theodoſiano, aliquot reſcriptis Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii, Præfectus Prætorio vocatur. Certè quod hìc ſequitur, *Cujus facundia tanta eſt, quantus honor*, ſatis oſtendit eſſe eum in alto aliquo dignitatis gradu conſtitutum.

5. *Qui ſua non edit carmina, noſtra legat.*] En ultionem: modeſtè Auſonius de ſuis carminibus ſentiens, eorum lectionem ſupplicii loco futuram Proculo innuit, utpote malorum.

6. *Juveneſcere cedro.*] Hoc eſt, ſeu te ob verſus tibi inaratos dignam judicaverit, quæ ſerveris quaſi juvenis inviolata à tineis & carie, ope olei cedrini. Plin. l. 16. c. 39. *At cedrus in Cretâ, Africâ, Syriâ laudatiſſima. Cedri oleo peruncta materies nec tineam, nec cariem ſentit.* Vitruvius l. 2. c. 9. *Item cedrus, & juniperus eaſdem habent virtutes & utilitates: ſed quemadmodum ex cupreſſu & pino reſina; ſic ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, naſcitur; quo reliquæ res cum ſunt unctæ (uti etiam libri) à tineis & à carie non læduntur.*

Huic ego, quod nobis ſupereſt [1] ignobilis otî,
Deputo: [2] ſive legat, quæ dabo, ſive tegat.

INTERPRETATIO.

Ego deſtino ei quidquid mihi reſtat otii obſcuri : ſeu legat ea *quæ* ipſi *dabo*, *ſeu* illa *abſcondat.*

NOTÆ.

1. *Ignobilis otî.*] Expreſſum eſt ex illo Virgilii in fine lib. 4. Georg. *ſtudiis florentem ignobilis otî.* Otium porrò quod Muſis conſecratur à Poëtis, *ignobile* dicitur, comparatione factâ ad munia bellica, & adminiſtrationem Reipublicæ & Magiſtratuum.

2. *Sive legat, &c. ſive tegat.*] Paronomaſia vocum *legat & tegat;* quam figuram ad ſatietatem affectat Auſonius.

De nomine cujuſdam Lucii, ſculpto in marmore. XXXV.

35 LUcius una quidem, [1] geminis ſed diſſita punctis
Littera; [2] prænomen ſic L.. nota ſola facit.
[3] poſt M. inciſum eſt; [4] puto ſic M, non tota videtur.
Diſſiluit ſaxi fragmine læſus apex.
Nec quiſquam, [5] Marius, ſeu Martius, anne Metellus
Hic jaceat, certis noverit indiciis.
Truncatis convulſa jacent elementa figuris,
[6] Omnia confuſis interiêre notis.
[7] Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt,
[8] Mors etiam ſaxis, nominibuſque venit.

INTERPRETATIO.

Lucius una littera quidem, ſed à cæteris *remota duobus punctis: unicus caracter efficit prænomen hoc modo L.. deinde M eſt inſculptum: ſic arbitror M, tota littera non videtur. Summitas* ejus *excuſſa eſt violata fragmento lapidis. Neque ullus poteſt dignoſcere indubitatis ſignis,* an *Marius, vel Marcius, an verò Metellus hic ſitus ſit. Litteræ jacent diſtracta mutilatis figuris, nomina periêre perturbatis characteribus.* Et nos *mirabimur homines mortuos fuiſſe? monumenta pereunt, mors contingit quoque lapidibus, & nominibus.*

NOTÆ.

1. *Geminis ſed diſſita punctis.*] diſſita nempè à ſequenti littera M, duobus punctis, hoc modo L.. M. Nec placet quod vult Tollius, L in hoc verſu interruptum ſcribi hoc modo L.

2. *Prænomen.*] Nempè Lucius.

3. *Poſt M inciſum eſt.*] Periculum ἐκθλίψεως τοῦ M ante primam ſyllabam *inciſum*, vitari potuit legendo: *M. poſt inciſum eſt.*

4. *Puto ſic.*] Sic ſcribatur M apice refecto.

5. *Marius, ſeu Martius, anne Metellus, &c.*] Quæ tria nomina à littera M, quæ ſola ſupererat, pariter incipiunt.

6. *Omnia confuſis, &c.*] Grævius reponit *nomina;* quod amplector libens, & in interpretatione ſequutus ſum. Pro eo facit quod ſequitur: *Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.*

7. *Miremur periiſſe homines? &c.*] In hanc ſententiam ſunt hæc Rutilii Numatiani Itiner. l. 1.

Non indignemur mortalia corpora ſolvi.
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

8. *Mors etiam ſaxis, &c.*] Juvenal. Satira 10. verſ. 146.

Quandoquidem data ſunt ipſis quoque fata ſepulchris.

[1] *De Sabinâ uxore.* XXXVI.

36 SIve probas [2] Tyrio textam ſubtegmine veſtem:
Seu placet inſcripti commoditas tituli:
Ipſius hoc dominæ concinnat utrunque venuſtas;
Has geminas artes una Sabina colit.

INTERPRETATIO.

Seu laudes veſtem textam ſubtegmine purpureo: ſive elegantia lemmatis in ea *picli* tibi *placeat: elegantia domina ejus compouit hæc duo: Sabina una exercet has duas artes.*

NOTÆ.

1. *De Sabinâ uxore.*] Attuſiâ Sabinâ, de quâ eſt carmen nonum Parentalium.

2. *Tyrio.*] *Purpureo*, à Tyro urbe Phœniciæ, conchylio & purpurâ inſigni.

De eadem Sabinâ. XXXVII.

37 LAudet [1] Achæmenias Orientis gloria [2] telas:
[3] Molle aurum pallis Græcia texe tuis;
Non minus [4] Auſoniam celebret dum fama Sabinam,
Parcentem magnis ſumptibus, [5] arte parem.

INTERPRETATIO.

Superbia Orientis jactet tapetia Perſica: Gracia intexe tuis pallis aurum ductile: modò fama non minus jactet Sabinam Romanam, parem arte; ſed *parcentem ingentibus impenſis.*

NOTÆ.

1. *Achæmenias.*] Perſicas. *Achamenidæ* Herodoto l. 1. ſunt gens Perſidis, ex quâ Perſarum reges oriundi & dicti *Achæmenes.* Ἀχαιμενία Stephano pars eſt Perſidis regionis.

2. *Telas.*] Aulæa, tapetia, qualia Plautus *Babylonica*, & *belluata* nominat. Quidquid enim texitur, *tela* dici poteſt.

3. *Molle aurum pallis Græcia, &c.*] Virg. l. 1. Æneid.

——— *Pallam ſignis, auroque rigentem,*
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argiva Helenæ.

4. *Auſoniam, &c. Sabinam.*] Non quòd re verâ Sabina Auſonii uxor ex urbe Roma, aut ex Italiâ, quæ *Auſonia* eſt, oriunda eſſet: erat enim Burdigalenſis; ſed quoniam Romanâ civitate inſignita.

5. *Arte parem.*] Achæmeniis, & Græcis textricibus.

De eadem Sabinâ. XXXVIII.

38 [1] LIcia qui texunt & carmina; carmina Muſis,
Licia contribuunt, [2] caſta Minerva, tibi.

INTERPRETATIO.

Qui texunt ſtamina & componunt *verſus: dedicant verſus Muſis, ſtamina* verò *tibi, ô pudica Pallas.*

NOTÆ.

1. *Licia qui texunt, &c.*] Loquens inducitur ipſa Sabina. *Licia* porrò hic pro *telis* quæ ex liciis, id eſt filis, texuntur.

2. *Caſta Minerva.*] Quæ lanificio non minùs præes, quàm armis.

Digitized by Google

Aſt ego rem ſociam non diſſociabo Sabina:
Verſibus inſcripſi quæ mea texta meis.

INTERPRETATIO.

Verum ego Sabina non ſeparabo res inter ſe congruentes : quippe quæ ſcripſi mea carmina in meis textis.

Qualem velit amicam. XXXIX.

39 [1] HAnc volo, quæ non volt; illam quæ volt, ego nolo.
Vincere volt animos, non ſatiare Venus.
[2] Oblatas ſperno illecebras, detrecto negatas.
[3] Nec ſatiare animum, nec cruciare volo.
[4] Nec bis cincta Diana placet, [5] nec nuda Cythere.
[6] Illa voluptatis nil habet, [7] hæc nimium.
Callida ſed [8] mediæ Veneris mihi venditet artem
Femina, cui jungar; quod volo, nolo vocet.

INTERPRETATIO.

Ego volo illam quæ non vult ; nolo illam quæ vult. Venus vult domare animos, non autem eos *ſatiare. Faſtidio delicias mihi oblatas ; non ſector* eas quæ mihi *denegantur. Nec volo explere cupiditatem, nec torquere animum. Neque Diana cincta duplici zona* mihi *placet, neque Venus nuda. Illa nullas habet delicias, hæc plures* quam par ſit. *Verum ſolers mulier, cui me applicabo, venditet mihi artem voluptatis mediæ ; appellet nolo, quod* eſt *volo.*

NOTÆ.

1. *Hanc volo quæ non volt, &c.*] Scilicet:

Creſcunt difficili gaudia jurgio ;
Accenditque magis, quæ refugit Venus.

ut ait Claudianus in Feſcenninis.

2. *Oblatas ſperno illecebras.*] Petronius,

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere ;
Nec victoria mî placet parata.

3. *Nec ſatiare animum, nec &c.*] Martialis epig. 57. l. 1. ad Flaccum, qualem puellam velit:

Nec volo quod cruciat ; nec volo quod ſatiat.

4. *Nec bis cincta Diana.*] Id eſt nimiùm pudica, quaſi cincta duplici zonâ. Notiſſimus veterum mos, apud quos maritus novam nuptam facturus uxorem, zonam ejus virginalem ſolvebat. Phyllis Demophoonti apud Ovid.

Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris ;
Caſtaque fallaci zona recincta manu.

Itaque per *bis cinctam* Dianam, intellige pertinacis pudicitiæ virginem ; qualis erat Diana.

5. *Nec nuda Cythere.*] Puella quæ faciliòrem ſe præbeat ; qualis Venus, Cythere dicta, & Cytheræa, & Cytheris à *Cytherâ* urbe Cypri inſulæ ; vel, ut alii volunt, à Cytherâ inſulâ prope Maleæ promontorium, ipſi ſacrâ ; hodie *Cerigo.*

6. *Illa.*] Diana.

7. *Hæc.*] Venus.

8. *Mediæ Veneris.*] Nec facilioris, nec difficilioris.

Digitized by Google

De Chreſto & Acindyno fratribus. XL.

40 Χρῆστος, Ἀκίνδυνος, εἰσὶν ἀδελφοὶ· [1] οἰκτρὰ δὲ τέκνα,
Moribus ambo malis, nomina falſa gerunt.
[2] Οὐδ' οὗτος χρηστὸς, οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.
Una poteſt ambos littera corrigere.
Αἴκεν Χρῆστος ἕλῃ, καὶ Ἀκίνδυνος ἄλφ' ἀπολέσσῃ:
[3] Κίνδυνος hic fiet: frater Ἄχρηστος erit.

INTERPRETATIO.

Chreſtos, & Acindynos ſunt fratres: miſeri autem filii, cum *ambo* ſint *moribus improbis*, *habent falſa nomina. Neque ille Chreſtos eſt*, id eſt, frugi; *neque hic Acindynos*, id eſt, ſine periculo. *Una Littera poteſt emendare utrumque. Si* nempè *Chreſtos aſſumat alpha*, *& Acindynos* illud *amittat. Hic* enim *evadet Cindynos*, id eſt, periculum: *frater* autem ejus jam *erit Achreſtos*, id eſt nullius frugis.

NOTÆ.

1. Οἰκτρὰ δὲ τέκνα.] Id eſt κακὰ τέκνα, *mali filii*.

2. Οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.] ἀκίνδυνος ſine periculo; cui periculum nullum ſubeſt; cui fidere tutò poſſis.

3. *Κίνδυνος hic fiet*, &c.] Inter Philippi Macedonis Apophthegmata refertur hic jocus, Auſoniano haud multum abſimilis: *Duo erant fratres in ejus ſatellitio, quorum alteri Ἀμφότερος quod Græcis ſonat* ambo, *alteri Ἑκάτερος quod illis ſonat* uterque. *Philippus itaque animadvertens Ἑκάτερον eſſe cordatum, ac gerendis rebus accommodum; contra Ἀμφότερον ineptum ac degenerem, invertit illis nomina, dicens: Ἑκάτερον eſſe Ἀμφότερον, Ἀμφότερον autem eſſe Οὐδέτερον, id eſt* Neutrum *: ſignificans alterum fratrum, videlicet Hecateron, duorum in ſe virtutes complecti, alteri nihil relictum. Itaque ei qui Amphoteros dicebatur, mutavit nomen in contrarium, ut Οὐδέτερος diceretur, quaſi nullius pretii.*

De iiſdem. XLI.

41 Germani fratres ſunt, Chreſtos, Acindynos alter.
[1] Falſum nomen utrique: ſed ut verum ſit utrique,
Alpha ſuum Chreſto det Acindynos: ipſe ſine alpha,
Permaneat; [2] verum nomen uterque geret.

INTERPRETATIO.

Sunt duo *fratres germani*, unus *Chreſtos*, *alter Acindynos. Ambo habent falſum nomen: ſed ut ambo habeant verum, Acindynos donet ſuum alpha Chreſto, ipſe* verò *remaneat abſque alpha: ambo habebunt verum nomen.*

NOTÆ.

1. *Falſum nomen utrique*, &c.] Debetet hic verſus eſſe pentamerer. Suppoſititium exiſtimat Scaliger, & à correctoribus concinnatum, atque huc inſertum ad ſupplendam lacunam, quæ in MSS. extiterit. Quin immò & totum hoc primum diſtichum ei non videtur fuiſſe Auſonii, ſed poſterius tantùm, *Alpha ſuum Chreſto*, &c.

2. *Verum nomen uterque geret.*] Hic Cindynos, ille verò Achreſtos; ut in ſuperiori epigrammate.

Digitized by Google

De Pallade, & Venere armata. XLII.

42 [1] ARmatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.
Nunc certemus, ait, [2] judice vel Paride.
Cui Venus: Armatam tu me, temeraria, temnis,
[3] Quæ, quo te vici tempore, nuda fui?

INTERPRETATIO.

Pallas vidit apud Spartam Venerem armatam, & dixit ei: Contendamus nunc etiam arbitro Paride. Cui Venus reſpondit: *O temeraria, tu me ſpernis armatam, quæ eram nuda* eo *tempore, quo ſuperavi te?*

NOTÆ.

1. *Armatam vidit Venerem Lacedæmone, &c.*] Lactant l. 1. Inſtitut. c. 20. refert Lacedæmonios ædem & ſimulacrum poſuiſſe Veneri armatæ, poſt fuſos fugatoſque ab armatis Spartanis mulieribus Meſſenios, qui, obſidentibus urbem ſuam Lacædemoniis, ad diripiendam Lacedæmonem, deceptis obſeſſoribus ſuis, furtim cucurrerant. Extant porrò de Venere armata aliquot Græca epigrammata l. 4. Anthologiæ; ex quibus, his duobus Auſonianis ſimile eſt illud:

Παλλὰς τὴν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα.
Κύπρι θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
Ἡ δ' ἁπαλὸν γελάσασα, τί μοι σάκος ἀντίον αἴρειν;
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

Hoc eſt:

Pallas Cytheream armatam cum vidiſſet, dixit:
Cypri viſne ſic in judicium veniamus?
Illa verò molle ridens, quid mihi ſcutum contra te capere opus eſt?
Si nuda vinco, quomodo quando arma cepero?

2. *Judice vel Paride.*] Qui formæ palmam tibi olim addixit, ſpretis me & Junone.

3. *Quæ, quo te vici tempore, nuda fui.*] Judicaturus quippè inter Deas de pulchritudine Paris, nudas videre voluit, quò æquiorem ferret ſententiam. Vide Luciani *κρίσιν θεῶν*, & Iſocrat. *Ἑλένης ἐγκώμιον*.

Idem aliter. XLIII.

43 ARmatam Pallas Venerem Lacedæmone viſens,
Viſne, ut judicium ſic ineamus? ait.
Cui Venus arridens: Quid me galeata laceſſis?
Vincere ſi poſſum nuda, quid arma gerens?

INTERPRETATIO.

Pallas cùm videret Spartæ Venerem armatam, Viſne, inquit, ut ſubeamus judicium hoc ornatu? Cui Venus reſpondit *arridens: Quare provocas me caſſide armata? ſi poſſum te ſuperare nuda, quid* potero *armata?*

Ad Philomuſum grammaticum. XLIV.

44 [1] EMptis quod libris tibi bibliotheca referta eſt;
Doctum, & grammaticum te, Philomuſe, putas?
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde.
[2] Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

INTERPRETATIO.

O Philomuſe exiſtimas te eſſe doctum, & grammaticum, quia habes bibliothecam plenam librorum emptorum? Eadem ratione reconde apud te *fides, & plectra & lyras. Cum emeris* hæc *omnia, cras eris lyricen.*

NOTÆ.

1. *Emptis quod libris, &c.*] Extat Luciani oratio hujus argumenti πρὸς ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον adverſus indoctum libros multos ementem.

2. *Omnia mercatus.*] Quidam cod. habet *hodie mercatus*; quod contra leges metri peccat. Alii melius paulò *mercator hodie*, ultima ſyllaba vocis *mercator* licenter producta: ſed ſcriptam lectionem, veteribus exemplaribus fultam, nihil neceſſe eſt ſollicitare.

In ſtatuam Rufi Rhetoris ſemiviri & elinguis. XLV.

45 [1] RHetoris hæc Rufi ſtatua eſt: nil verius; [2] ipſa eſt.
Ipſa adeò linguam non habet, & cerebrum.
Et riget, & ſurda eſt, & non videt. [3] Omnia Rufi.
Unum diſſimile eſt: [4] mollior ille fuit.

INTEPRETATIO.

Signum hoc eſt Rufi Rhetoris: nihil eſt *verius; ipſum eſt. Etenim ipſum caret linguâ & cerebro: & ſtupet, & eſt ſurdum, & non cernit. Hæc omnia* ſunt *Rufi. In uno tantum diſcrepant:* quod *ille fuit mollior* hac ſtatuâ.

NOTÆ.

1. *Rhetoris hæc Rufi ſtatua eſt.*] Varia ſunt in Antholog. lib. 2. & 4. epigrammata in Rhetores ineptos & inſulſos, his Auſonianis adeo ſimilia, ut vel hæc ex illis, vel ex his illa expreſſa videantur.

2. *Ipſa eſt. Ipſa adeò.*] Codices duo Voſſii habebant *Ipſe eſt*, & *ipſe adeo.*

3. *Omnia Rufi.*] Codices Voſſiani hic habent *hæc ſibi conſtant.*

4. *Mollior ille fuit.*] Quàm ejus ſtatua ſaxea. Sed mollem dicit Rhetorem ad ejus mores ſpectans; erat quippè ſemivir, ut habetur in lemmate hujus epigrammatis, & propudioſæ atque effœminatæ libidinis.

In tabulam ubi erat picta imago Rufi Rhetoris. XLVI.

46 [1] E Linguem quis te dicentis imagine pinxit?
Dic mihi, Rufe: taces. Nil tibi tam ſimile eſt.

INTERPRETATIO.

Quis depinxit te ſpecie orantis, cum ſis mutus? dic mihi, ô Rufe: ſiles. Nihil eſt tam ſimile tibi.

NOTÆ.

1. *Elinguem quis te, &c.*] Simile eſt illud Anthologiæ l. 4. εἰς εἰκόνα ῥήτορος ἀφωνοῦς.

Τίς σε τὸν οὐ λαλέοντα τύπῳ ῥητῆρος ἔγραψε;
Σιγᾷς; οὐ λαλέεις; οὐδὲν ὁμοιότερον.

Quis te non loquentem forma dicentis pinxit?
Taces? non loqueris? nihil ſimilius.

De eadem tabula. XLVII.

47 HÆc Rufi tabula eſt: nil verius. Ipſe ubi Rufus?
In cathedra. Quid agit? [1] Hoc, quod & in tabula.

INTERPRETATIO.

Hæc tabella eſt Rufi: nihil verius eſt. Ubi eſt *ipſe Rufus? Eſt in cathedra. Quid* ibi *agit? Hoc ipſum, quod* agit *in tabella.*

NOTÆ.

1. *Hoc, quod & in tabula.*] Nempè tacet in cathedra, ſicut & in tabula.

De eodem Rufo. XLVIII.

48 [1] REMINISCO Rufus dixit in verſu ſuo.
COR ergò verſus, [2] immò Rufus non habet.

INTERPRETATIO.

Rufus in ſuo carmine dixit Reminiſco: *carmen igitur, aut potius Rufus non habet* Cor.

NOTÆ.

1. *Reminiſco Rufus dixit in verſu ſuo.*] Cum *Reminiſcor* dicere debuiſſet.

2. *Immò Rufus non habet.*] *Cor* hîc prudentiam ſignificat: hinc cordatus, prudens & ſapiens. Ait ergò Rufum eſſe futilem & vecordem.

Idem. XLIX.

49 QUi REMINISCO putat ſe dicere poſſe Latinè;
Hic, ubi CO ſcriptum eſt, legeret COR; ſi cor haberet.

INTERPRETATIO.

Qui exiſtimat ſe poſſe dicere Latinè Reminiſco; *ille legeret* cor, *ubi ſcriptum eſt* co, *ſi eſſet Cordatus.*

De eodem Ruſo. L.

50 RUſus vocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri (ſit ut) convivio,
Grammaticæ ut artis ſe peritum oſtenderet,
Hæc vota dixit nuptiis:
Et maſculini, & fœminini gignite,
[1] Generiſque neutri filios.

INTERPRETATIO.

Rufus Rhetor invitatus aliquando ad nuptias, frequenti convivio, ut mos eſt; quo probaret ſe eſſe *doctum in arte Grammatica, nuncupavit hæc vota* pro illo *connubio: Generate liberos generis maſculini, & fœminini, ac neutrius.*

NOTÆ.

1. *Generiſque neutri filios.*] Vinetus Hermaphroditos intelligit, ſeu Androgynos: ſed ii utriuſque generis potius, quàm neutrius videntur eſſe. Magis placet quod vult Accurſius: *In eo derideri Rhetoris imperiti vecordiam, quod, dum oſtentator ipſe artis bonum ominari naſcituris putat, mortem imprudentiâ verborum ſtatim natis imprecatus fuerat.* Ratio hujus expoſitionis plana eſt ex epigrammate Palladæ, quod eſt Anthol. l. 1. cap. 37. *In mortem & mortuos.* Illud autem ſic habet:

Παλλαδᾶ, ἐπὶ δυσὶ βρέφεσιν ἅμα τεχθεῖσι, καὶ εὐθὺς ἀποθανοῦσι.

Γραμματικοῦ θυγάτηρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα,
Παιδίον ἀρσενικόν, θηλυκόν, οὐδέτερον.

Hoc eſt,

Palladæ, in duos infantes ſimul natos & infantes mortuos:

Grammatici filia peperit amore commixta
Puerum maſculum, fœmineum, & neutrum.

Imago Rufi Rhetoris. LI.

51 ORe pulchro, & ore muto, ſcire vis quæ ſim? Volo.
Imago Rufi [1] rhetoris Pictavici.
Diceret ſed ipſe, vellem, rhetor hoc mi. Non poteſt.
Cur? [2] Ipſe rhetor eſt imago imaginis.

INTERPRETATIO.

Cum ſim *formoſo vultu, & ore muto, viſne noſſe quænam ſim? Cupio.* Sum *effigies Rufi Rhetoris Pictavici. At cuperem* ut *ipſe Rhetor mihi diceret hoc.* Ipſe *nequit. Quare?* quia *ipſe Rhetor eſt effigies* ſuæ *effigiei.*

NOTÆ.

1. *Rhetoris Pictavici.*] Pictones dicti etiam ſunt *Pictavi.* Hinc Pictavicus Rhetor, qui apud Pictones docebat.

2. *Ipſe Rhetor eſt imago imaginis.*] Eſt magis mutus, quàm ipſa ejus imago, quæ plus habet Rhetoris, & dicentis, quàm ipſe habeat. Extant lib. 2. Antholog. duo epigrammata in hanc ſententiam. Alterum incerti authoris:

Εἰκὼν ἡ Σέξτου μελετᾷ, Σέξτος δὲ σιωπᾷ.
Ῥήτωρ ἡ εἰκών, ὁ δὲ ῥήτωρ εἰκόνος εἰκών.

Imago Sexti meditatur, Sextus vero tacet.
Imago eſt Rhetor, Rhetor vero imaginis imago.

Alterum eſt Ammiani, & ſic habet:

Ῥήτορος ἅδ' εἰκών. ὁ δὲ ῥήτωρ ῥήτορος εἰκών.
Καὶ πῶς; οὐ λαλέει. οὐδὲν ὁμοιότερος.

Rhetoris hæc eſt imago. Rhetor vero Rhetoris imago.
Et quomodo? non loquitur. Nihil ſimilius.

De eadem Ruſi ſtatua. LII.

52 RHetoris hæc Ruſi ſtatua eſt. [1] Si ſaxea, Ruſi.
Cur id ais? ſemper ſaxeus ipſe fuit.

INTERPRETATIO.

Hoc ſignum eſt Ruſi Rhetoris. Si eſt *lapideum*, eſt ſignum *Ruſi. Quare hoc dicis?* quia *ipſe ſemper fuit lapideus.*

NOTÆ.

1. *Si ſaxea, Ruſi.*] Vinetus legit: *ſi ſaxea, Ruſus:* quod exponit: *ſi hæc ſtatua eſt ſaxea, Ruſus ipſe eſt, non ſtatua. Quoniam ipſe ſemper fuit lapis, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.* Sed in MSS. & in antiquâ editione Ugoletti legitur: *ſi ſaxea, Ruſi.* Quæ lectio ſuo etiam ſale non caret. Legitur l. 4. Anthol. cap. 31. quod eſt *In imagines Rhetorum*, facetum Palladæ diſtichum in Geſſium quendam, huic epigrammati ſatis conveniens:

Κωφὸν, ἄναυδον ὁρῶν τὸν Γέσσιον, εἰ λίθος ἐστὶ,
Δῆλιε μαντεύου, τίς τίνος ἐστὶ λίθος.

Surdum mutum videns Geſſium, ſi lapis eſt,
Delie Apollo, divina uter utrius eſt lapis, hoc eſt, *ſtatua.*

De Diogene Cynico Philoſopho. LIII.

53 [1] PEra, [2] polenta, [3] tribon, baculus, ſcyphus, arcta ſupellex
Iſta fuit Cynici: ſed putat hanc nimiam.
Namque [4] cavis manibus cernens potare [5] bubulcum,
Cur, ſcyphe, te (dixit) geſto ſupervacuum?

INTERPRETATIO.

Sacculus, polenta, pallium, ſcipio, crater, hæc fuit anguſta ſupellex Philoſophi *Cynici: verùm exiſtimat* adhuc *eam* eſſe *nimis amplam. Cum enim videret bubulcum bibentem in cavis manuum* volis: *O crater, inquit, quare porto te ſuperfluum?*

NOTÆ.

1. *Pera.*] In peram Philoſophicam luſit Crates flexis ad hoc Homericis verſibus, quibus ille Cretam inſulam nobilitat; quorum initium:

Πήρη τις πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ
Καλὴ καὶ πίειρα, &c.

reliqua vide apud Laërtium in ejus vitâ

2. *Polenta.*] Farina hordeacea, & ex eâ cibus.

3. *Tribon.*] Græcum eſt τρίβων *pallium.*

4. *Cavis manibus cernens potare, &c.*] Rem narrat Laërtius in Cynici Diogenis vitâ, & Seneca epiſt. 91.

5. *Bubulcum.*] παιδίον habet Laërtius, hoc eſt, *puerum;* quod etiam habet Seneca.

Digitized by Google

De Crœſo & eodem Diogene. LIV.

54 [1] Effigiem, rex Crœſe, tuam ditiſſime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Conſtitit utque procul, ſolito majore cachinno
Concuſſus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc proſunt, regum rex ô ditiſſime, quùm ſis
Sicut ego ſolus, me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero: quum nihil ipſe
Ex tantis tecum, Crœſe, feras opibus.

INTERPRETATIO.

O rex Crœſe regum opulentiſſime, Diogenes Cynicus vidit tuum ſimulacrum apud inferos. Atque ubi à longè reſtitit, commotus riſu majore quàm ſolebat, ait: O rex locupletiſſime regum, cui jam uſui tibi ſunt tuæ opes, cum ſis ſolus quemadmodum ego, & pauperior etiam me? porto enim mecum omnia, quæ poſſedi: cum tu, ô Crœſe, nihil portes tecum ex tantis divitiis.

NOTÆ.

1. *Effigiem rex Crœſe tuam, &c.*] Expreſſum videtur hoc epigramma, paucis exceptis, ex illo incerti auctoris, quod habetur lib. primo Anthol. cap. 12. εἰς αὐτάρκειαν.

Ἐλθὼν εἰς ἀΐδην, ὅτε δὴ σοφὸν ἤνυσε γῆρας
Διογένης ὁ Κύων, Κροῖσον ἰδὼν ἐγέλα.
Καὶ στρώσας ὁ γέρων τὸ τριβώνιον ἐγγὺς ἐκείνου
Τοῦ πολὺν ἐκ ποταμοῦ χρυσὸν ἀφυσσαμένου,
Εἶπεν, ἐμοὶ καὶ νῦν πλείων τόπος. Ὅσσα γὰρ εἶχον
Πάντα φέρω σὺν ἐμοί, Κροῖσε, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.

Hoc eſt:

Profectus ad Inferos, quùm ſapientem exegiſſet ſenectutem
Diogenes canis, Crœſum intuitus ridebat.
Et ſtrato ſenex pallio prope illum,
Qui multum ex fluvio aurum hauſerat,
Dixit: Mihi & nunc plus loci. Quæcumque enim habebam.
Omnia fero mecum, Crœſe: tu vero nihil habes.

Notior prædives Lydorum rex Crœſus, quàm ut neceſſe ſit plura de ipſo afferre. In altero ex Voſſii codicibus epigramma hoc duobus tantùm conſtat diſtichis, nempè primo illo *Effigiem rex Crœſe tuam, &c.* & hoc altero:

Nil, inquit, tibi Crœſe tuum ſuperat: mihi cuncta.
Nudus eram; ſic ſum: nil habui, hoc habeo.

Editio Pulmanni addit & hoc diſtichon:

Rex ait: Haud egui, cum tu mendice careres
Omnibus, & careo ſi modo, non egeo.

Laïs dicans Veneri ſpeculum ſuum. LV.

55 [1]LAïs anus [2] Veneri ſpeculum dico: dignum habeat ſe
Æterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc uſus; quia cernere talem,
Qualis ſum, nolo: qualis eram, nequeo.

INTERPRETATIO.

Ego *Laïs* jam *vetula conſecro* meum *ſpeculum Veneri: pulchritudo æterna habeat inſtrumentum æternum ſe dignum. Mihi verò jam ipſum nulli uſui eſt; quoniam nolo aſpicere me talem, qualis* nunc *ſum: non poſſum* vero me talem aſpicere, *qualis eram* olim.

NOTÆ.

1. *Laïs.*] Nobilis illa Corinthi meretrix, de quâ proverbium: *Non eſt cujuſvis Corinthum appellere* Ad quod vide Eraſmum.

2. *Veneri ſpeculum dico.*] Quatuor extant de hoc Laidis anûs ſpeculo epigrammata l. 6. Antholog. ex quibus primum, Platoni tributum, huic Auſoniano perquamſimile; eſt hujuſmodi:

Ἡ σοβαρὸν γελάσασα καθ᾽ Ἑλλάδος, ἡ τὸν ἐραστῶν
Ἑσμὸν ἐπὶ προθύροις Λαῒς ἔχουσα νέων,
Τῇ Παφίῃ τὸ κάτοπτρον. Ἐπεὶ τοίη μὲν ὁρᾶσθαι
Οὐκ ἐθέλω· οἵη δ᾽ ἦν πάρος, οὐ δύναμαι.

Hoc eſt:

Ego Laïs quæ inſolenter deriſi Græciam; quæ amatorum
Juvenum multitudinem pro foribus habebam,
Veneri ſpeculum dico; *quando talis videri* qualis ſum
Nolo: qualis vero eram prius, non poſſum.

De Caſtore, Polluce, & Helena. LVI.

56 ISTos, [1] tergemino naſci quos cernis ab ovo,
[2] Patribus ambiguis, [3] & matribus aſſere natos.
[4] Hos genuit Nemeſis: [5] ſed Leda puerpera fovit.
Tyndareus pater his, & Jupiter. [6] Hic putat; [7] hic ſcit.

INTERPRETATIO.

Aſſirma hos, quos vides oriri à triplici ovo, eſſe *ortos patribus & matribus dubiis. Nemeſis procreavit eos: verùm Leda puerpera* eos *fovit* ſinu. *Tyndarus* eſt *eis pater*, item *& Jupiter. Ille exiſtimat* ſe eſſe patrem; *hic* certò *novit* ſe eſſe.

NOTÆ.

1. *Teregemino.*] *Triplex ovum* dicit in Gripho ternarii numeri. Dicitur autem *tergeminum*, vel *triplex* ovum illud; quòd ex eo tres prodierint, Caſtor, Pollux, & Helena. Quanquam ſunt, qui dicant duo fuiſſe ova, ex quorum altero Caſtor & Helena, ex altero Pollux & Clytæmneſtra nati ſunt.

2. *Patribus ambiguis.*] Jovis enim erant filii, qui Tyndarei putabantur.

3. *Et matribus.*] *Item ambiguis.* Non conſtabat enim ex Ledâ ne, an ex Nemeſi.

4. *Hos genuit Nemeſis.*] Hæc enim, ut narrant Hyginus, & Pauſanias in Atticis, ab Jove compreſſa, qui oloris formam induerat, ovum peperit.

5. *Sed Leda puerpera fovit.*] Ovum enim à Nemeſi procreatum Mercurius juſſu Jovis Spartam detulit, & projecit in Ledæ, Thyeſtæ filiæ, gremium; quod ovum cùm illa foviſſet, Caſtor, Pollux, & Helena ex eo prodierunt. Multi tamen affirmant Ledam ſolam ovum illud & peperiſſe, & foviſſe. Undè Lactant. l. 1. divin. Inſtitut, eandem fuiſſe Nemeſin & Ledam exiſtimat. Vide plura apud Cœlium Rhodig. l. 11. cap. 19. & Lil. Gyraldum ſyntagm. 5.

6. *Hic putat.*] Tyndareus.

7. *Hic ſcit.*] Jupiter.

De imagine Veneris ſculpta à Praxitele. LVII.

57 [1]VEra Venus Gnidiam quum vidit Cyprida, dixit:
Vidiſti nudam me, puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: ſed ferro opus omne polimus.
[2]Ferrum [3]Gradivi Martis in arbitrio.
Qualem igitur [4]domino ſcierant placuiſſe Cytheren,
Talem fecerunt ferrea cæla deam,

INTERPRETATIO.

Vera Venus quando aſpexit Venerem Gnidiam, dixit: O Praxitele conſpexiſti me nudam, ut *exiſtimo. Nequaquam conſpexi, neque licitum eſt: verùm expolimus omnia* noſtra *opera ferro. Ferrum* eſt *in poteſtate Martis Gradivi. Itaque cæles ferrei talem formaverunt Deam Venerem, qualem noverant placuiſſe* ſuo *domino.*

NOTÆ.

1. *Vera Venus Gnidiam.*] Multa ſunt in illud Gnidium ſimulacrum Veneris Græca epigrammata l. 4. Anthol. cap. 12. inter quæ duo ſunt præſertim, ex quibus hoc Auſonianum expreſſum videtur. Alterum eſt incerti auctoris diſtichum, quod ſic habet:

Α Κύπρις τὴν Κύπριν ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα,
Φεῦ, φεῦ· ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;
Cypris Cyprin in Cnido cum vidiſſet, dixit:
Vah, Vah! ubi nudam vidit me Praxiteles?

Alterum eſt Hexaſtichum ſub nomine Platonis:

Η Παφίη Κυθέρεια δι' οἴδματος ἐς Κνίδον ἦλθε,
Βουλομένη κατιδεῖν εἰκόνα τὴν ἰδίην.
Πάντη δ' ἀθρήσασα περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ,
Φθέγξατο, ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;
Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος
Ἔξεσ', Ἄρης οἵαν ἤθελε τὴν Παφίην.
Paphia Cytherea per fluctus in Cnidum venit,
Volens videre imaginem propriam.
Undique vero circumſpiciens in excelſa regione,
Dixit: Ubi nudam vidit me Praxiteles?
Praxiteles non vidit, quæ nefas eſt. Sed ferrum
Sculpſit Paphiam, qualem Mars eam *voluit.*

Eſt autem Gnidus urbs in Doride regione, Veneri ſacra, & ſigno ejus marmoreo Praxitelis opere nobilitata, cujus meminerunt inter cæteros Plin. l. 36. Arnob. l. 6. Lucianus in Dialogo, qui inſcribitur Ἔρωτες Val. Max. l. 8. c. 11.

2. *Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.*] Supple *eſt.* Martis porro in arbitrio ferrum eſſe dicitur; quòd bellorum ſit Deus, in quibus ferreis armis pugnatur. Hinc & apud Chymicos ferrum *Mars* dicitur.

3. *Gradivi Martis.*] Feſtus: *Gradivus Mars appellatus eſt à gradiendo in bello ultro citroque: ſive à vibratione haſtæ, quod Græci dicunt* κραδαίνειν: *vel, ut alii dicunt, quia gramine ſit ortus: quod interpretantur, quia corona graminea in re militari maxime eſt honorationis.*

4. *Domino.*] Marti, cujus nota ſunt cum Venere adulteria.

In buculam æream Myronis. LVIII.

58 [1]Bucula ſum, cælo [2]genitoris facta Myronis
 Ærea: [3]nec factam me puto, ſed genitam.
Sic me taurus init: ſic proxima bucula mugit:
 Sic vitulus ſitiens ubera noſtra petit.
Miraris quod fallo gregem? gregis ipſe magiſter
 Inter paſcentes me numerare ſolet.

Interpretatio.

Sum juvenca ænea formata calte Myeonis mei *patris: neque exiſtimo me effictam eſſe, ſed genitam. Ita taurus ſalit in me: ita juvenca proxima mugit: ita vitulus ſitiens venit ad mea ubera.* An *miraris, quòd armento impono? ipſe bubulcus armenti conſuevit me recenſere inter paſcentes.*

Notæ.

1. *Bucula ſum, &c.*] In hanc Myronis buculam diverſorum extant Græca epigrammata ad triginta ſex l. 4 Anthol. cap. 7. quorum nonnulla hîc imitatus eſt Auſonius.

2. *Genitoris Myronis.*] Quaſi eam non arte fecerit, ſed vivam genuerit. De hoc Myrone Petronius arbiter: *Myron qui penè hominum animas, ferarumque ære comprehendit, non invenit haeedem.* Phædrus l. 5. fab. 1.

Ut quidam artifices noſtro faciunt ſæculo.
Qui pretium opeeibus majus inveniunt, novo
Si marmori adcripſerunt Praxitelem ſuo,
Myronem argento, &c.

3. *Nec factam me puto, ſed genitam.*] Deſumptum videtur ex hoc pentametro Græco, epigram. 15. de eâdem buculâ, lib. 4. cap. 7.

Α'δὲ Μύρωνος χὶρ ὐ πλάσεν, ἀλλ' ἔτικεν
Manus autem Myeonis non formavit, ſed genuit.

De eadem bucula. LIX.

59 [1]Ubera quid pulſas frigentia matris ahenæ,
 O vitule, & ſuccum lactis ab ære petis?
Hunc quoque præſtarem, ſi me pro parte paraſſet
 Exteriore Myron, interiore Deus.

Interpretatio.

O vitule, quare premis ubera frigida matris æreæ, & cupis exprimere ex ære liquorem lactis? præberem etiam hunc, ſi Deus me conformaſſet quod ad paetes internas, ſicut *Myron* me conformavit *quod ad externas.*

Notæ.

1. *Ubera quid pulſas, &c.*] Huc facit Antipatri Sidonii epig. ex eod. Anthol. capite.

Μόσχε, τίμοι λαγόνεσσι προσέρχεαι;
τί πλὴ δὲ μυκᾷς;
Α' τέχνα μαζοῖς ὐκ ἐνέθηκε γάλα.
Vitule, quid ad meas mammas accedis? quid verò mugis?
Ars mammis non ſubdidit lac.

Ad Dædalum de eadem bucula. LX.

60 [1]DÆdale, cum vanâ conſumis in arte laborem?
Me potius [2] clauſæ ſubjice Paſiphaæ.
Illecebras veræ ſi vis dare, Dædale, vaccæ;
Viva tibi ſpecies vacca Myronis erit.

INTERPRETATIO.

Dædale, quare inſumis operam in vano artificio? ſuppone me potius in locum Paſiphaës incluſa. Dædale, ſi vis tribuere vaccæ artificiali *illectamenta vera bovis, vacca Myronis erit tibi imago viva.*

NOTÆ.

1. *Dædale, &c.*] Notus eſt ex fabulis infandus Paſiphaës amor; quo ut frueretur, vaccæ ligneæ à Dædalo fabricatæ, & veræ vaccæ corio indutæ, includi voluit. Hinc natus Mino-taurus. Vide Hygin. Palæphatum, Philoſtratum in Iconibus, & alios.

2. *Clauſæ ſubjice Paſiphaæ.*] Ipſa Paſiphaë ſubjecta fuit tauro. Itaque intellige, ad ſenſum interpretationis noſtræ, ſubjice, vel ſuppone in locum Paſiphaës, machinâ ligneâ incluſæ.

Eadem de ſe. LXI.

61 [1]ERraſti, attendens hæc ilia noſtra, juvence.
Non manus artificis lac dedit uberibus.

INTERPRETATIO.

Hallucinatus es, ô vitule, conſiderans hæc mea ilia. Manus fabri non ſuppeditavit lac meis *uberibus.*

NOTÆ.

1. *Erraſti, &c.*] Maximè accedit hoc ad epigramma Antipatri Sidonii, quod ſuprà retuli ad epig. 59. *Ubera quid pulſas, &c.*

Eadem. LXII.

62 [1]PAſce greges procul hinc, ne, quæſo bubulce, Myronis
Æs, veluti ſpirans, cum bubus exagites.

INTERPRETATIO.

Bubulce paſce tua *armenta longè hinc, ne compellas (precor,)* unà *cum* tuis *bobus*, vaccam *æream Myronis quaſi vivam.*

NOTÆ.

1. *Paſce greges procul hinc.*] Converſum eſt hoc è Græco Anacreontis telato eodem lib. Anthol. 4. cap. 7. ep. 3.

Βυκόλε, τὰν ἀγέλαν πόῤῥω νέμε, μὴ τὸ Μύρωνος
Βοΐδιον ὡς ἔμπνουν βουσὶ συνεξελάσῃς.

Bubulce, armentum procul paſce: ne Myronis
Buculam, ut vivam, unà cum bubus exagites.

Eadem. LXIII.

63 [1] ME vitulus cernens, immugiet. Irruet in me
Taurus amans. Paſtor cum grege mittet agens.

INTERPRETATIO.

Vitulus videns me, mugiet ad me. *Taurus amore percitus faciet impetum in me. Bubulcus me compellet agens cum* ſuo *armento.*

NOTÆ.

1. *Me vitulus cernens, &c.*] Simile eſt Demetrii Bithyni in Anth. l. 4. c. 7. ep. 18.

Ἤν μ' ἐσίδῃ μόσχος, μυκήσεται. ἢν δ' ἄγα ταῦρος,
Βήσεται. ἢν δ' ὁ νομεὺς, εἰς ἀγέλην ἐλάσει.

Si me viderit vitulus, mugiet; ſi verò taurus,
Inſcendet; ſi autem paſtor, in armentum abiget.

De eadem Myronis bucula. LXIV.

64 ÆRea mugitum poterat dare vacca Myronis:
Sed timet artificis deterere ingenium.
[1] Fingere nam ſimilem vivæ, quàm vivere, plus eſt;
[2] Nec ſunt facta Dei mira, [3] ſed artificis.

INTERPRETATIO.

Bos ænea Myronis poterat edere mugitum: ſed veretur detrahere de ſolertiâ fabri. Majus enim eſt formare ſimilem vivæ, quàm viventem: & opera Dei non ſunt mirabilia, ſed opera *fabri.*

NOTÆ.

1. *Fingere nam ſimilem vivæ, quàm vivere, plus eſt.*] Non conſtabit ſenſus, niſi aliquid ſuppleas, & exponas quaſi legatur: *fingere nam ſimilem vivæ plus eſt, quàm vivere eam quam tu formaveris.* Senſum hunc, non verba omnia, in interpretatione poſui.

2. *Nec ſunt facta Dei mira.*] Quia vulgaria ſunt, & iis aſſuevimus.

3. *Sed artificis.*] Quippè rariora. Sic nemo miratur columbas volantes. Sed columba illa lignea volatilis, quàm ſolerti arte feciſſe Archytam Tarentinum ex Favorino refert Gellius l. 10. Noct. Attic. c. 12. cui non mira videretur?

Eadem bucula de ſe. LXV.

65 ÆRea bos ſteteram; mactata eſt vacca Minervæ:
Sed Dea proflatam tranſtulit huc animam.
Et modo ſum duplex: pars ærea, pars animata.
[1] Hæc manus artificis dicitur, [2] illa Deæ.

INTERPRETATIO.

Ego *conſtiteram vacca ænea; vacca fuit immolata Minervæ: verùm Dea tranſportavit in me ſpiritum quem exhalaverat; & nunc ſum gemina: pars* nempè *ænea,* & *pars ſpirans. Illa appellatur* ſolertia *manûs fabri, hæc* verò *Dea.*

NOTÆ.

1. *Hæc manus artificis dicitur.*] Pars ſcilicet ærea.

2. *Illa.*] Pars animata; contra communem uſum. Vulgo enim pronomen *hic* ad partem diviſionis propiorem refertur, *ille* ad remotiorem.

Digitized by Google

Ad taurum eadem bucula. LXVI.

66 QUid me taure paras, ſpecie deceptus, inire?
Non ſum ego [1] Minoæ machina Paſiphaæ.

INTERPRETATIO.

Juvence, quare moliris me inſcendere, deceptus *formâ? Ego nequaquam ſum machina Paſiphaës Minoiæ.*

NOTÆ.

1. *Minoæ.*] Uxoris Minoïs Cretæ regis. Vide ſuprà epig. *60.*

De eadem Myronis bucula. LXVII.

67 NEc dum caduco ſole, jam ſub veſpere,
Ageret juvencas quum domum paſtor ſuas,
Suam relinquens, [1] me minabat, ut ſuam.

INTERPRETATIO.

Cum bubulcus compelleret vaccas ſuas domum veſperâ jam appropinquante, ſole nondum occidente, omittens unam *ex ſuis, agebat me, quaſi ſuam.*

NOTÆ.

1. *Me minabat.*] Hoc eſt, agebat. *Minare* Latini dixerunt pro eo, quod nos Franci *mener* dicimus, ut jam obſervavi ad Apuleium; cujus hæc loca proferre operæ pretium eſſe duxi, l. 3. Metamorph. ſeu *de Aſino: Nos duos aſinos, & equum meum, productos è ſtabulo, quantum poteſt gravibus ſarcinis onerant, & domo jam vacua minantes, baculis exigunt.* lib. 7. *Adveniunt illi vinarios utres ferentes, & gregatim pecua comminantes.* l. 8. *Rurſum itaque me refertum ſarcinis planis gladiis minantes, perveniunt ad quandam nobilem civitatem.* Extant & exempla in vulgata Sacrarum Scripturarum verſione Exodi, l. 3. *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti.* Iſaiæ c. 10. *Leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Vide præterea Cujacium ad tit. 17. l. 1. recept. ſent. Julii Pauli. Ibi aſſentit Ant. Loiſelo qui cenſuerat legendum *minabat* pro *monebat.*

De eadem bucula. LXVIII.

68 UNam juvencam paſtor fortè amiſerat;
Numerumque juſſus reddere,
Me defuiſſe conquerebatur; ſequi
Quæ noluiſſem cæteras.

INTERPRETATIO.

Forte bubulcus perdiderat unam vaccam; cumque imperaretur ei, ut exhiberet numerum ſolitum, *querebatur me abeſſe: quæ noluiſſem ſequi reliquas.*

Digitized by Google

[1] *Quæ ſexum mutarint.* LXIX.

69 [2] VAllebanæ (nova res & vix credenda poëtis:
Sed quæ de vera promitur hiſtoria)
Femineam in ſpeciem [3] convertit maſculus ales;
[4] Pavaque de pavo conſtitit ante oculos.
Cuncti admirantur monſtrum: ſed mollior agna
Aſtitit in tenerum de grege verſa marem.
Quid ſtolidi ad ſpeciem notæ novitatis [5] hebetis?
An vos Naſonis carmina non legitis?
[6] Cænida convertit proles Saturnia [7] Conſus:
[8] Ambiguoque fuit corpore Tireſias.

INTERPRETATIO.

Avis mas mutatus eſt in ſexum fœmineum Vallebana (res inſolens, & quæ ægrè fidem inveniat apud Poëtas: quæ tamen eruitur ex verâ hiſtoria) & pava conſpecta eſt facta *ex pavone. Omnes ſtupent ad hoc prodigium: at agna tenera ex grege ſtetit ante oculos mutata in juvenem agnum. O ſtulti, quare obſtupeſcitis ad aſpectum novitatis jam cognitæ? an non legitis verſus Naſonis? Neptunus filius Saturni mutavit Cænida; & Tireſias habuit corpus dubium.* Fons

NOTÆ.

1. *Quæ ſexum mutarint.*] Aliud lemma ſubjicit Vinetus, *In eum qui muliebria patiebatur.*

2. *Vallebana, (nova res,) &c.*] Inducitur effœminatus aliquis puer hæc dicens, quò ſuam excuſet mollitiem.

Vallebana.] Ignoratur hic locus. Mentio habetur *Vallis Ibanæ*, vel *Vallaibanæ* cujuſdam Hiſpaniæ vallis, in geſtis Ludovici Pii Francorum Regis. Memoratur etiam à Tſcudo in Alpibus *Vallis bona.* Ex alterutrâ harum coaleſcere potuit hæc *Vallebana.*

3. *Convertit.*] *Converſus fuit*, neutrâ ſignificatione.

4. *Pavaque de pavo.*] Dicitur & *pavo pavonis*, & *pavus pavi*; ex quo Auſonius *pava* fecit, ut ſignificaret pavonem feminam.

5. *Hebetis.*] Obſtupeſcitis: uſitatius eſt *hebeſcitis.*

6. *Cænida convertit proles Saturnia Conſus.*] Cænis, Elati Lapitæ filia, à Neptuno compreſſa, in pudicitiæ amiſſæ præmium ab ipſo impetravit, ut in virum fortiſſimum mutaretur, qui à nullo vulnerari poſſet. Quo facto, quæ Cænis prius dicebatur, poſtea Cæneus appellatus eſt. Rem narrat Ovid. Metam. l. 12. Melius itaque hic legas *Cænida* ex altero Voſſiano codice, quam *Cænea*; ut eſt in veteribus editt.

7. *Conſus.*] Qui & Neptunus equeſtris à Romanis vocatus eſt. Hinc *Conſualia* ludi in ejus honorem, qui poſtea *Circenſes*, & *Ludi magni*, & *Romani* dicti ſunt. Conſum alii conſilii deum ſcribunt, à quo Romulus conſilium de rapiendis Sabinis acceperit. Et ſanctus Aug. l. 4. de Civit. Dei, Conſum à conſilio dando denominatum ait. Sed hic Conſus proculdubio Neptunus eſt.

8. *Ambiguoque fuit corpore Tireſias.*] Hic, percuſſis baculo duobus ſerpentibus *de viro factus (mirabile) fœmina, ſeptem egerat autumnos*, ut ait Ovid. l. 3. Metam. Octavo, rurſus iiſdem percuſſis, in formam priorem redierat.

Vidit [1] ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditum:
[2] Vidit nubentem Plinius Androginum.
Nec ſatis antiquum, quod [3] Campana in Benevento
[4] Unus epheborum virgo repentè fuit.
Nolo tamen veteris documenta arceſſere famæ.
Ecce ego [5] ſum factus femina de puero.

Interpretatio.

Salmacis conſpexit Hermaphroditum ſemimarem: Plinius conſpexit Androgynum nubentem. Neque valdè pridem eſt, cùm in Campania urbe Benevento puella extitit ſubitò unus ex pueris. Non eſt tamen animus petere teſtimonia ex hiſtoriâ antiquitatis. En ego ex puero evaſi fœmina.

Notæ.

1. *Semivirum Hermaphroditum.*] Ex viro & femina conflatum, *Hermaphrodito* ſcilicet Veneris & Mercurii filio, & Salmaci nymphâ; cujus fons in Cariâ, ad quem fuiſſe Veneris & Mercurii fanum ait Vitr. l. 2. ubi vulgatam fabulam refutans, affirmat fontis hujus aquam *non impudico morbi vitio, ſed humanitatis dulcedine mollitis animis barbarorum, eam famam eſſe adeptam;* cùm ſcilicet de colonis Græcis unus ad eum fontem, propter bonitatem aquæ, quæſtus cauſa tabernam omnibus copiis inſtruxiſſet, eamque exercendo barbaros Caras & Lelegas, qui in montes ſeſe receperant, allectaſſet, atque è duro feroque more in Græcorum conſuetudinem, & ſuavitatem reduxiſſet. Atque Hermaphroditi quidem fictioni locum videntur dediſſe duo illa fana Veneris & Mercurii, prope Salmacidis fontem poſita. Salmacis & Hermaphroditi amores & metamorphoſin vide apud Ovid. lib. 4.

2. *Vidit nubentem Plinius Androgynum.*] Ne hic Androgynum intelligas, qui utriuſque ſexus habuerit inſignia, & ſimul mas & femina fuerit (quæ vulgata eſt hujus vocis ſignificatio) ſed eum qui ex feminâ mas repentè fuerit factus. Locum Plinii, ad quem reſpexit Auſonius habes. l. 7. cap. 4. *Ex feminis mutari in mares, non eſt fabuloſum. Invenimus in Annalibus P. Licinio Craſſo, C. Caſſ. Longino Coſſ. Caſſini puerum factum ex virgine ſub parentibus, juſſuque Aruſpicum deportatum in inſulam deſertam. Licinius Mutianus prodidit, viſum à ſe Argis Areſcontem cui nomen Areſuſa fuiſſet: nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem proveniſſe, uxoremque duxiſſe: ejuſdem ſortis & Smyrnæ puerum à ſe viſum. Ipſe in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Coſſicium civem Tiſdritanum:* quem Plinii locum A. Gellius mutatis aliquibus verbis refert l. 8. noct. Attic.

3. *Campana in Benevento.*] Subintellige *urbe.* Beneventum in Campania eſt.

4. *Unus epheborum virgo repentè fuit.*] Anceps oratio. Incertum enim, an ſic accipienda ſit: *unus epheborum repentè fuit virgo;* an verò ſic: *virgo repentè fuit unus epheborum.* Sed magis placet poſterior acceptio. Plurima enim exempla paſſim leguntur puellarum in mares ſubitò converſarum; cum nullum extet, niſi fabuloſum, puerorum mutatorum in feminas. Quanquam, ut aperiam quod ſentio, non minus ἀδύνατος mihi videtur veræ feminæ in marem converſio, quàm maris in feminam. Quod ad exempla ſpectat, quæ afferuntur; in quibuſdam dolus ſubeſſe potuit, in aliis ſpecies tantum mutationis fuit, non vera mutatio: cum ſcilicet qui revera mas erat, ſed femina videbatur, virilibus quæ aliquo conformationis vitio intra alvum retenta euſque delituerant, ſubitò erumpentibus, ſe marem prodidit.

5. *Sum factus femina de puero.*] Non ſexûs mutatione, ſed mollitie.

Ad Pythagoram de Marco. LXX.

70 * * * * * * * * * * * * * * * *

Subſcriptum picturæ Criſpæ mulieris impudicæ. LXXI.

71 * * * * * * * * * * * * * * * *

[1] *De Achilla, qui diſſecuit calvariam.* LXXII.

72 ABjecta [2] in triviis inhumati glabra jacebat
[3] Teſta hominis, nudum jam cute calvitium.
Fleverunt alii: fletu non motus [4] Achillas,
Inſuper & ſilicis verbere diſſecuit.
Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab oſſe;
Auctoriſque ſui frontem oculoſque petit.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
[5] Auctorem ut feriant tela retorta ſuum.

Interpretatio.

Cranium depile hominis inſepulti, calvaria jam ſpoliata pelle jacebat in compitis. Cæteri luxerunt: at *Achillas minimè affectus* illo *luctu, diſcidit præterea* ipſam *ictu lapidis. Igitur lapis vindex reſiliit eminus à cranio percuſſo; & ferit frontem & oculos ſui impulſoris. O utinam ſacrilega dextra ita* ſemper *libret ictus directos, ut tela remiſſa percutiant ſuum vibratorem.*

Notæ.

1. *De Achilla, qui diſſecuit calvariam.*] Vinetus alium titulum ex veteri libro affert, *de eo qui teſtam hominis immiſericorditer diſſipare voluit.* Extat porrò ſimilis argumenti epigramma Græcum incerti auctoris lib. 1. Anthol. quod incipit:

Κρανίον ἐν τριόδοισι καθιζημένου τὶς ἰσωθρῶν, &c.

2. *In triviis.*] In quæ ſordes & purgamenta abjiciebantur. Petron. *Quæ ſtriges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcaſti in trivio, aut cadaver?* Euſtathius Caſaubono laudatus ad l. 6. c. 16. Athenæi *καθαρμῶν ἐκβολαὶ εἰς τὰς τριόδους ἐγένοντο. Purgamentorum projectiones in trivia fiebant.*

3. *Teſta hominis.*] Os capitis, cranium vulgò dictum, quod cùm cute carnibuſque nudatum eſt, teſtam ex argillâ ſatis refert. Hinc noſtrum vernaculum *tête.*

4. *Achillas.*] Impii illius percuſſoris nomen in epigrammate Græco tacetur Auſonius Achillam nominat, tacitâ (ut videtur) illius Achillæ deteſtatione, qui Pompeii caput percuſſerat.

5. *Auctorem ut feriant, &c.*] Ex quibuſdam exemplaribus verſum hunc ſic refert Vinetus;

In proprium ut redeant tela retorta caput.

[1] *De Alcone medico, & Diodoro haruſpice.* LXXIII.

73 Languenti Marco dixit [2] Diodorus haruſpex,
[3] Ad vitam non plus ſex ſupereſſe dies.
Sed medicus [3] divis fatiſque potentior Alcon,
[4] Falſum convicit illico haruſpicium.
Tractavitque manum [5] victuri, ni tetigiſſet.
[6] Illico nam Marco ſex periêre dies.

INTERPRETATIO.

Diodorus Haruſpex dixit Marco ægrotanti, non plures dies quàm ſex reſtare ipſi *ad vivendum. Verum Alcon medicus valentior diis & fatis, protinus demonſtravit* ejus *prædictionem* eſſe *falſam; & tetigit manum* ægri, *qui victurus erat, niſi* eam *tractaviſſet. Exemplò enim Marcus jacturam fecit* illorum *ſex dierum.*

NOTÆ.

1. *De Alcone medico.*] Mariang. Accurſ. mavult, *de Alconte*, ut ſit Ἄλκων Ἄλκοντος, quod nomen medici extat etiam apud Martialem; *Alconti, Daſioque Symmachoque*. Eſt porrò inter epigrammata Græca l. Anthol. 2. haud abſimilis argumenti Lucillii cujuſdam, quod vide.

2. *Diodorus haruſpex.*] Donatus ad illud Phormionis, *Haruſpex vetuit ante brumam aliquid negotii incipere: Haruſpex*, inquit, *ab haruga derivatur, quæ eſt hoſtia*, ſic dicta *ab hara, in quâ concluditur & aſſervatur.* Haruſpex igitur ab harugis inſpiciendis.

3. *Divis fatiſque potentior.*] *Fatis* quidem, quæ ſex adhuc vitæ dies Marco deſtinabant; *divis* verò, qui eundem numerum ipſi denuntiabant per ſuum Haruſpicem.

4. *Falſum convicit illicò haruſpicium.*] Ellipſis τοῦ *eſſe*; quam duriorem exiſtimans Tollius ſubjicit, ſed abſque auctoritate MSS. *falſi convicit illicò haruſpicium.*

5. *Victuri, ne tetigiſſet, illicò nam Marco, &c.*] Hic eſt ſenſus: Marcus, qui ſex adhuc dies ex reſponſo haruſpicis victurus erat, peſtifero medici contactu necatus, illicò efflavit animam.

6. *Illicò nam Marco.*] Hæc refer ad *falſum convicit illicò haruſpicium.*

[1] *De ſigno Jovis & Alcone medico.* LXXIV.

74 Alcon [2] heſterno ſignum Jovis attigit. Ille,
[3] Quamvis marmoreus, vim patitur medici.

INTERPRETATIO.

Alcon tractavit heri ſtatuam Jovis. Ille, licet ſit *marmoreus, experitur virtutem medici.*

NOTÆ.

1. *De ſigno Jovis & Alcone medico.*] Expreſſum videtur ex hoc ejuſdem Lucillii diſticho, eodem l. Anthol. niſi quòd, quem Marcum vocat Lucillius, Alconem noſter appellat. Eſt autem tale:

> Τοῦ λιθίνου Διὸς ἐχθὲς ὁ κλινικὸς ἥψατο Μάρκος.
> Καὶ λίθος ὢν, καὶ Ζεὺς, σήμερον ἐκφέρεται.

Hoc eſt:

> *Lapideum Jovem heri Clinicus tetigit Marcus.*
> *Et quamvis ſit lapis, & Jupiter, hodie effertur.*

2. *Heſterno.*] Supple *die.*

3. *Quamvis marmoreus, vim patitur medici.*] Hujus ſententiæ videtur jocus diſtichi Virgilio tributi, quod refertur in epigrammatum veterum collectione à Pithœo adornata, p. 36. de calice, qui à medico tractatus, caſu aliquo fractus eſt:

> *Arretine calix menſis decorate paternis,*
> *Ante manus medici,*

(ſic enim legendum in notis ſuis monet Pithœus) —— *quàm benè ſanus eras!*

Digitized by Google

Ecce hodie juſſus transferri ex æde vetuſtâ,
[1] Effertur: quamvis ſit Deus, atque lapis.

INTERPRETATIO.

Hodie enim cum mandatum ſit eum tranſportari ex veteri templo, effertur; tametſi ſit Deus, & marmoreus quidem.

NOTÆ.

[1] 1. *Effertur.*] Luſus eſt in hac voce. Efferri enim dicuntur mortui, cum eorum cadavera è domo ad ſepulturam deportantur; & efferuntur ſtatuæ, cum loco moventur. Lamprid. in Elagabalo: *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto ſuo, in quo eos Oreſtes poſuerat, efferre voluit.* Ludit in eâdem voce *efferri* Plautus Amphit. act. 1. ſc. 1.

Merc. *Faciam ego hodie te ſuperbum ni hinc abis.* Soſ. *Quonam modo?*
Merc. *Efferere, non abibis; ſi ego fuſtem ſumpſero.*

Lecticâ enim tam mortui efferebantur, quàm vivi divites geſtabantur.

In Eunomum medicum. LXXV.

75 LAnguentem Cajum [1] moriturum dixerat olim
Eunomus. Evaſit fati ope, non medici.
Paulo poſt [2] ipſum videt, aut vidiſſe putavit
Pallentem, & multâ mortis in effigie.
[3] Quis tu? [4] Cajus, ait. Vivíſne? Hic abnuit. At quid
Nunc agis hic? [5] Juſſu Ditis, ait, venio.
Ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,
[6] Accirem medicos. [7] Eunomus obriguit.
Tum Cajus: Metuas nihil, Eunome. [8] Dixi ego & omnes,
Nullum, qui ſaperet, dicere te medicum.

INTERPRETATIO.

Eunomus quondam dixerat Cajum, qui tum *ægrotabat, obiturum* eſſe. *Convaluit auxilio fati, non* autem *medici. Brevi poſt* tempore *aſpexit, aut credidit ſe aſpexiſſe eum pallidum, & perquàm ſimilem mortuo. Quis tu es?* rogat. Ego ſum *Cajus, inquit. An vivis? Ille negat. Sed quid hic nunc facis? Venio, inquit, mandato Plutonis; ut, quoniam habeo cognitionem rerum, & hominum, accerſam medicos.* Ad hæc verba *Eunomus obſtupuit. Tunc Caius* dixit ei: *Eunome nihil time. Ego & cuncti affirmavimus neminem ſanæ mentis, te appellare medicum.*

NOTÆ.

1. *Moriturum dixerat olim.*] Sic Vinetus ex veteri libro, cum priùs ineptè legeretur *dixerat ægrum.*

2. *Ipſum videt, aut vidiſſe putavit.*] Eunomus Cajum, ſcilicet in ſomnis.

3. *Quis tu?*] Hoc rogat Eunomus.

4. *Cajus, ait.*] Cajus hoc reſpondet.

5. *Juſſu Ditis.*] Scaliger *miſſu.*

6. *Accirem medicos.*] Ad inferos ſcilicet, quod iis opus haberet Pluto.

7. *Eunomus obriguit.*] Metu ne ſibi deſcendendum foret *illuc undè negant redire quenquam.*

8. *Dico ego & omnes.*] Magis placet, quod in Pulmanni MSS. legitur, *dixi ego & omnes.* Melius enim quadrat cum eo, quod ſequitur, *nullum qui ſaperet, &c.* ſi enim *dico* retineas, legendum videtur *nullum qui ſapiat.* Porrò, *dixi, &c.* intellige, Plutoni; cum mihi mandata ſua traderet de accerſendis medicis, teque fortè unà cum cæteris nominaret; ego, & omnes quotquot aderamus tibi noti, diximus nullum, qui ſaperet, te appellare medicum: adeò ignarus es medicæ artis.

Digitized by Google

In hominem vocis abſonæ. LXXVI.

76 LAtratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenumque pecus, lanigeroſque greges
Balatu adſimilas: aſinos quoque rudere dicas,
Quum vis [1] Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, [2] & ovantes gutture corvoſ,
[3] Et quicquid vocum bellua & ales habet.
Omnia quum ſimules ita verè, ut ficta negentur;
Non potes humanæ vocis habere ſonum.

INTERPRETATIO.

Imitaris latratus canum, hinnitus equorum, & refers balando capras & oves: affirmes etiam aſinos rudere, quandò vis, ô Marce, imitari pecus illud *Arcadicum.* Imitaris *cantus gallorum, & corvos lætantes gutture, & voces omnes, quas habent beſtiæ, & aves. Cùm tam nativè imiteris* hæc *omnia, ut affirmetur ea non eſſe ſimulata: non vales aſſequi ſonum vocis humanæ.*

NOTÆ.

1. *Arcadicum pecus.*] Perſio *Arcadiæ pecuaria.* Aſinos intellige.

2. *Et ovantes gutture corvos.*] Deſumptum hemiſtichium ex hoc Virgilii verſu 423. lib. 1. Georgic.

Et læta pecudes, & ovantes gutture corvi

3. *Et quidquid vocum bellua & ales habet.*] Felicem hanc reſtitutionem Tollii conjecturæ debemus. Legebatur antea inconcinniùs longè:

Et quidquid vocum bellua talis habet.

Ad Criſpam. LXXVII.

77 DEformem quidam te dicunt, Criſpa: at ego iſtud
Neſcio. Mî pulchra es; judice me ſatis eſt.
Quin etiam cupio, junctu[m] quia zelus amori eſt,
[1] Ut videare aliis fœda, decora mihi.

INTERPRETATIO.

Nonnulli affirmant te eſſe *turpem, ô Criſpa: verùm ego hoc ignoro. Mihi formoſa es; ſufficit* quod pulchra ſis *meâ ſententiâ. Quinimmò &, quia zelotypia comitatur amorem, opto ut cæteris videaris deformis, mihi* verò *pulchra.*

NOTÆ.

1. *Ut videare aliis fœda, decora mihi.*] Tibullus l. 4. ad amicam.

Atque utinam poſſis uni mihi bella videri,
Diſpliceas aliis: ſic ego tutus ero.

Qualem velit habere amicam. LXXVIII.

78 SIt mihi talis amica, velim:
Jurgia quæ temerè incipiat:

INTERPRETATIO.

Optem habere hujuſmodi amicam: quæ ſuſcitet rixas nullâ de cauſâ: neque curet loqui tanquam

Nec ſtudeat quaſi caſta loqui :
Pulchra, procax, petulante manu :
Verbera quæ ferat, & regerat ;
Cæſaque ad oſcula confugiat.
Nam niſi moribus his fuerit :
Caſta, modeſta, prudenter agens ;
(Dicere abominor) uxor erit.

INTERPRETATIO.

pudica : quæ ſit *formoſa*, *laſciva*, *manu procaci* : *quæ patiatur ictus*, & *reddat* ; & *verberata recurrat ad baſia. Etenim niſi ſit ita morata* : ſed *pudica*, *modeſta*, *verecundè ſe gerens* ; (horreſco effari) *erit conjux*, non amica.

[1] *Ad Cupidinem, ex Græco.* LXXIX.

79 HOc quod amare vocant, miſce, aut diſſolve Cupido.
Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.

INTERPRETATIO.

Cupido contempera id quod appellant amare, aut dirime illud. *Vel neutrum incende* tuis *ignibus, vel incende ambos.*

NOTÆ.

1. *Ad Cupidinem ex Græco.*] Ex hoc Lucillii, ut videtur, epigrammate quod extat l. 1. Anthologiæ :

> Ἢ τὸ φιλεῖν περίγραψον Ἔρως ὅλον, ἢ τὸ φιλεῖσθαι
> Πρόσθες, ἵν᾽ ἢ λύσῃς τὸν πόθον, ἢ κεράσῃς.
> *Aut amare illud expunge (ô Amor) totum, aut amari*
> *Adjunge, ut vel ſolvas deſiderium, vel miſceas.*

Ad Dionem de amore ſuo. LXXX.

80 [1] AUt reſtingue ignem, quo torreor, [2] alma Dione :
Aut tranſire jube ; vel [3] face [4] utrimque parem.

INTERPRETATIO.

Alma Venus, vel extingue flammam quâ uror : vel præcipe ut à me *abeat : vel redde illam æqualem ab utraque parte.*

NOTÆ.

1. *Aut reſtingue ignem, &c.*] In hanc ferè ſententiam eſt illud Ruffini in Anthologia :

> Εἰ δυσὶν οὐκ ἴσχυσας ἴσην φλόγα πυρφόρε καῦσαι,
> Τὴν ἐνὶ καιομένην ἢ σβέσον, ἢ μετάθες.
> *Si duobus non potuiſti æqualem flammam, ô ignifer*, Amor *incendere*,
> *Uni incenſam vel ſerva, vel transfer.*

2. *Alma Dione.*] Venus quæ ſæpius Dionæa, ſed & non rarò Dione dicitur matris nomine. Quidam enim Jovis & Diones filiam fuiſſe Venerem ſcripſerunt, cum alii ex ſpuma maris & Cæli genitalibus ortam dicant ; ut expoſuimus ad illud Auſonii epigr.

> *Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cælo,*
> *Æneadûm genetrix hic habito alma Venus.*

3. *Face utrimque parem.*] Sic legendum *face*, non *fac*, ſi velis conſtare metri rationem.

4. *Utrimque parem.*] Ignem ſcilicet parem ex parte amicæ, & ex parte mei.

Ex Græco, [1] ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός. LXXXI.

81 [2] INcipe: dimidium facti eſt, cœpiſſe. Superſit
Dimidium: rurſum hoc incipe; & efficies.

INTERPRETATIO.

Inchoa: inchoaſſe eſt media pars facti. Reſtat media pars: inchoa hanc iterum; & perages.

NOTÆ.

1. Ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.] *Principium eſt dimidium totius operis.* Videtur deſumpta hæc ſententia ex hoc in Luciani ſomnio, ſeu vita: Ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός. quod Heſiodi eſſe, ex ipſius Luciani Hermotimo colligi poſſe videtur.

2. *Incipe: dimidium facti, &c.*] Noſter in Technopægnio:

> *Incipe: quidquid agas, pro toto eſt prima operis pars.*

Horat. in epiſt.

> *Dimidium facti, qui cœpit, habet: ſapere aude, &c.*

Vide Eraſmum Chiliad. 1. centur. 2. ad adagium, *Principium dimidium totius.*

Ex Græco [1] Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις. LXXXII.

82 [2] GRatia quæ tarda eſt, ingrata eſt. Gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

INTERPRETATIO.

Beneficium quod eſt lentum, parum placet. Beneficium enim cum citò exhibetur, eſt beneficium magis jucundum.

NOTÆ.

1. Ἁ χάρις, &c.] Id eſt *gratia quæ lento pede venit, ingrata gratia eſt.* Exiſtimat Eraſmus initium eſſe carminis Heroici ex epigrammate quopiam, quod interciderit. Mariang. Accurſius tollendum eſſe hoc lemma exiſtimat, & ſubjungit epigramma Luciani ex Anthologia, Eraſmo etiam laudatum; ex quo Auſonium ſuum hoc tranſtuliſſe putat:

> Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. ἢν δὲ βραδύνῃ
> Πᾶσα χάρις, κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Id eſt:

> *Celeres Gratiæ dulciores. Omnis autem gratia ſi*
> *Tarda ſit, inanis eſt, neque dicenda eſt gratia.*

2. *Gratia quæ tarda eſt, &c.*] Vide Eraſm. in proverb. *bis dat, qui citò dat:* & Senecam de beneficiis l. 11. cap. 1. & cap. 5. Huc facit Martialis epig. 30. l. 6.

> *Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſes,*
> *Cùm dixti mihi: ſume, tolle, dono:*
> *Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.*
> *At nunc cum dederis diu moratus,*
> *Poſt ſeptem, puto, vel novem Kalendas,*
> *Vis dicam tibi veriora veris?*
> *Sex ſeſtertia, Pæte, perdidiſti.*

Ejuſdem ſententiæ eſt Auſonii epigramma ſequens:

> *Si benè quid facias, &c.*

Idem. LXXXIII.

83 SI benè quid facias, facias citò. Nam citò factum
Gratum erit. Ingratum gratia tarda facit.

INTERPRETATIO.

Si aliquod beneficium praſtas, praſta ocyùs. Quod *enim exhibitum* erit *properè, erit jucundum.* At *beneficium lentius injucundum fiet.*

In ſaltatorem ineptum. LXXXIV.

84 DEceptæ felix caſus ſe miſcuit arti.
[1] Hiſtrio, ſaltavit qui Capanea, ruit.
[2] Idem qui Nioben ſaltavit ſaxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
[3] In Canace, viſus multò felicior ipſa:
[4] Quod non hic gladio viſcera diſſecuit.

INTERPRETATIO.

Caſus fortunatus concurrit cum arte aberrante. Mimus, qui ſaltando exhibuit Capaneum, concidit. Idem ille *qui ſaltavit Nioben*, ita fuit *lapideus, ut ſpectatores tunc exiſtimaverint* eum eſſe *veram Nioben. At in Canace* ſaltanda, *apparuit longè fortunatior ipſâ: quoniam ipſe non diſcidit* ſibi *præcordia enſe*, quemadmodum illa.

NOTÆ.

1. *Hiſtrio, ſaltavit qui Capanea, ruit.*] Qui Capaneum in ſcena ſaltando referebat, præter intentionem & quia gravior erat & parùm ſolers, cecidit; ſicque Capaneum melius, quàm in animo habuerat, imitatus eſt. Fuit autem Capaneus unus ex iis Argivis, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum iverunt: qui cum ſcalis admotis Thebanos muros ſuperare niteretur, à Thebanis dejectus fuit è ſcalis, & lapidibus tantâ vi obrutus; ut indè fabulati ſint eum, quod eſſet contemptor deorum, à Jove fulmine percuſſum. Vid. Stat. in Thebaide, & Vegetium l. 4. rei militaris.

2. *Idem qui Nioben ſaltavit ſaxeus, &c.*] Idem dum Nioben fabulam repræſentat, tam tardè ſaltavit, ut ſaxum potiùs videretur quàm ſaltator; ſicque optimè referret Nioben, conſpectâ liberorum ſuorum nece, in ſaxum rigeſcentem. Vide Ovid. Metamoph. l. 6. fab. 2.

3. *In Canace.*] Fuit hæc Æoli filia; quæ, cum ex inceſto Macarei fratris concubitu filium peperiſſet, miſſo à patre gladio juſſa eſt ſe interficere. Vid. Ovid. epiſt. 11.

4. *Quod non hic gladio viſcera diſſecuit.*] Quod tamen bonum factum, ſi feciſſet: theatrum enim inepto ſaltatore liberaſſet. Totum hoc epigramma perſimile eſt Græco Lucillii l. 2. Anthol. quod incipit:

Πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχούμενος, &c.

Digitized by Google

De eodem. LXXXV.

85 [1] DAphnen & Nioben ſaltavit [2] ſimius idem;
[3] Ligneus ut Daphne, ſaxeus ut Niobe.

INTERPRETATIO.

Idem Mimus exhibuit ſaltando Daphnen & Nioben; ligneus quemadmodum Daphne, & lapideus tanquam Niobe.

NOTÆ.

1. *Daphnen & Nioben, &c.*] Simile eſt Palladæ epig. Anthol. l. 2.

> Δάφνην καὶ Νιόβην ὠρχήσατο Μέμφις ὁ σιμὸς,
> Ὡς ξύλινος Δάφνην, ὡς λίθινος Νιόβην.

Id eſt:

> *Daphnen, & Nioben ſaltavit Memphis ille ſimus;*
> *Ut ligneus Daphnen, ut ſaxeus Nioben.*

2. *Simius idem.*] Idem ille Mimus, quem ſimum fuiſſe, Græcum epigramma innuit. Sed & à *Simo* ſimius dictus; quippè qui ſimis ſit naribus.

3. *Ligneus ut Daphne.*] Quæ ex puella in laurum arborem converſa legitur Metamorph. l. 1. fab. 14.

Dodralis potio. LXXXVI.

86 [1] DOdra ex dodrante eſt; ſic collige: [2] jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, [3] herba, novem.

INTERPRETATIO.

Dodra dicta *eſt à dodrante; infer* hoc *ſic: jus, aqua, vinum, ſal, oleum, panis, mel, piper, olus* ex quibus ſit, ſunt *novem.*

NOTÆ.

1. *Dodra ex dodrante eſt.*] Dodrans apud ICtos tres quartas totius aſſis partes continet, hoc eſt, novem uncias; duodecim enim aſſem efficiunt. Hinc potionem dodralem, ſeu dodram dictam ait noſter; quod novem rerum ſpeciebus hic enumeratis conſtaret, quemadmodum dodrans ex novem unciis. De hac porrò potione nihil habemus, niſi hîc. Itaque quis fuerit uſus ejus, & vis, parùm notum eſt.

2. *Jus.*] An ex carnibus, an ex aliis rebus?

3. *Herba.*] Quod genus herbæ vel oleris, non liquet.

De eadem. LXXXVII.

87 DOdra vocor. Quæ cauſa? Novem ſpecies gero. Quæ ſunt?
Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, ſal.

INTERPRETATIO.

Appellor dodra. Quamobrem? Quia *contineo* in me *novem genera rerum. Quænam ſunt? Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, olus, oleum & ſal.*

De eadem dodra potione. LXXXVIII.

88 ΔΟδρα ποτος καὶ ἀριθμὸς, ἔχω μέλι, οἶνον, ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.

INTERPRETATIO.

Ego *dodra potio & numerus, habeo mel, vinum, oleum, panem, ſal, herbam, jus, aquam, piper.*

Digitized by Google

De Juriſconſulto, qui uxorem habebat adulteram. LXXXIX.

89 JUriſconſulto, [1] cui vivit adultera conjux,
[2] Papia lex placuit : [3] Julia diſplicuit.
Quæritis undè hæc ſit diſtantia ? ſemivir ipſe
[4] Scatiniam metuens, [5] non metuit Titiam.

INTERPRETATIO.

Lex Papia probata eſt Juriſconſulto, qui habet uxorem adulteram: Julia verò lex ei *non eſt probata. Rogatis quæ cauſa ſit hujus diſcriminis? ipſe cum ſit pathicus & reformidet* legem *Scatiniam, non timet* legem *Titiam.*

NOTÆ.

1. *Cui vivit adultera conjux.*] Grævius reponit *nubit* ; fruſtra. Retine antiquam lectionem *vivit*. Melius quadrat cum epigrammatis lemmate, ubi non legitur *qui uxorem ducebat* ; ſed, *qui uxorem habebat adulteram*.

2. *Papia lex placuit.*] Pap. Poppæam intelligit, ab Aug. quidem latam, ſed coſſ. (qui tunc erant M. Pappius Mutilus, Q. Poppæus Secundus, nominibus inſignitam. Hæc, multorum liberorum patribus plurimum favebat, præ cœlibibus & orbis. Non mirum ergo ſi ICto noſtro placuerit, cui, licet male mari, adulteriis uxor liberos quærebat.

3. *Julia diſplicuit.*] Qua maritus quæſtum ex conjugis ſuæ adulteriis faciens, tanquam adulter punitur : l. 8. ff. ad legem Jul. de adulteriis coërcendis.

4. *Scatiniam metuens.*] A C. Scatinio Aricino, Trib. plebis, ut vult Manut. latam; vel à P. Scatinio quodam, ut refert Pomp. Lætus. Hac animadverſum in pathicos, ut memorat Beroaldus ad Sueton. Domitian. Hujus meminit Juven. ſatirâ 2. v. 44. ubi ſecundam vocis *Scantinia* producit, quam hîc Auſon. corripit : at Val. Max. l. 6. cap. 1. refert C. Scantinium Capitolinum Trib. plebis, quod Cl. Marcelli Ædilis curulis filium corrumpere voluiſſet, à Marcello coram populo citatum, cæteris tribunis intercedere recuſantibus, pœnas dediſſe. Idem habet Plut. in vitâ Marcelli : quod ſi verum ſit, lex Scantinia non à latore ſuo, ſed à reo cujus cauſa primum lata fuerit, nomen ſortita videtur; ſicut Senatus-Conſultum Macedonianum à fœneratore Macedone, in cujus & cæterorum fœneratorum odium factum fuit.

5. *Non metuit Titiam.*] Vinetus hîc locum citat ex Taciti l. 11. Annal. vulgatarum quarumdam editionum lectionem ſecutus : *Conſurgunt patres, legemque Titiam flagitant, quâ cavetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve accipiat.* Ex quo commodum ſanè ſenſum huic Auſon. loco eruit; tam imperitum ſcilicet fuiſſe ICtum illum ut nemo ſanæ mentis eum oblatâ pecuniâ fuerit ad cauſam orandam invitaturus ; ſicque non habuiſſe ipſum undè legem Titiam timeret, in eos latam, qui cauſæ orandæ gratiâ pecuniam acciperent. At Lipſius, ad illum locum Taciti, probat ex optimis editt. & MSS. cod. non *Titiam* ibi, ſed *Cinciam* legendum eſſe ; quam conſtat à M. Cincio Trib. plebis latam anno U. C. DXLIX. & ab Auguſto renovatam. De hac Livius l. 34. *Quid legem Cinciam excitavit de donis & muneribus, niſi quia vectigalis jam & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui cœperat?* aliud ergò quærendum. Titias quidem leges duas reperio ; alteram Agrariam, de quâ Cicero pro Mur. & l. 2. de Orat. à Sext. Titio Trib. plebis latam, quâ cautum fuit, ut vectigal agris publicè aſſignatis impoſitum Quæſtor colligeret : alteram de luſu, cujus mentio in Digeſtis lege 3. tit. *de Aleat.* quâ, ſicut & Publiciâ, & Corneliâ, prohibebatur ne quis ſponſionem faceret in ludis, niſi in iis ubi pro virtute certamen eſt ; ſcilicet ubi certatur haſtâ, vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando. At illæ leges quid ad locum Auſonii ? Titiæ tamen muneralis nullum, niſi in corrupto Taciti loco, veſtigium. Quid ſi, ut Papiæ Poppeæ & aliis multis, ita Cinciæ duplex nomen fuerit Titiæ Cinciæ ; undè variæ apud Tacit. lectioni anſa, & lux huic Auſonii loco ?

Digitized by Google

Ad Zoilum, qui uxorem mœcham duxerat. XC.

90 * * * * * * * * * * * *

Ad Venerem [1] *δύσερως.* XCI.

91 [2] HAnc amo, quæ me odit: contra, hanc, quoniam me amat, odi.
Compone inter nos, ſi potes, alma Venus.
[3] Perfacilè id faciam: [4] mores mutabo, & amores.
Oderit hæc, amet hæc. [5] Rurſus idem patiar.
Vis ambas ut ames? Si diligat utraque, vellem.
Hoc tibi tu præſta, [6] Marce; ut ameris, ama.

INTERPRETATIO.

Amo hanc quæ me averſatur: è contrario, averſor illam, quia me amat. Alma Venus, fac ut conveniat inter nos, ſi id valeas efficere. Facillimè efficiam hoc: immutabo ingenia, & amores earum, ita ut *hæc* te *averſetur*, *illa* te *amet. Iterum experiar eoſdem* affectus. *Viſne amare utramque? Velim, ſi modo ambæ* me *ament. Marce, effice hoc ipſe tibi: ama, ut ameris.*

NOTÆ.

1. *Δύσερως.*] Difficilis & moroſus in amore.

2. *Hanc amo, quæ me odit, &c.*] Sic Ovid Amor. l. 2. eleg. 19.

Quod ſequitur, fugio; quod fugit, uſque ſequor.

3. *Perfacilè id faciam.*] Hæc Venus.

4. *Mores mutabo & amores.*] Frivola paronomaſia; quales multæ apud hunc auctorem.

5. *Rurſus idem patiar.*] Hæc dyſeros.

6. *Marce; ut ameris, ama.*] Hemiſtichium hoc deſumptum ex epig. 11. lib. 6. Martialis *in Marcum:*

Quod non ſit Pylade hoc tempore, &c.

Cujus ultimum diſtichum ſic habet:

Ut præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſten.
Hoc non fit verbis; Marce, ut ameris, ama.

Digitized by Google

Item. XCII.

92 SUaſiſti, Venus ecce, duas dyſeros ut amarem,
[1] Odit utraque: aliud da modo conſilium.
Vince datis ambas. Cupio: verum arcta domi res.
Pellice promiſſis. Nulla fides inopi.
Atteſtare deos. Nec fas mihi fallere divos.
Pervigila ante fores. [2] Nocte capi metuo.
Scribe elegos. Nequeo, Muſarum & Apollinis expers.
Frange fores. [3] Pœnas judicii metuo.
Stulte ab amore mori pateris, non vis ob amorem.
Malo miſer dici, quàm miſer atque reus.
Suaſi quod potui: tu alios modò conſule. Dic quos?
[4] Quod ſibi ſuaſerunt, [5] Phædra & [6] Eliſſa, dabunt.

INTERPRETATIO.

En, ô Venus, conſilium dediſti, ut ego *moroſus amator amarem duas.* At *ambæ* me *averſantur: jam præbe* mihi *aliud conſilium. Supera utramque donis. Pervelim: ſed anguſtæ opes mihi* ſunt *domi. Devinci* eas *pollicitationibus. Non creditur pauperi. Jura per deos.* At *non licet* mihi *decipere deos. Excuba ante januam* earum. *Vereor ne comprehendar noctu. Compone elegias. Non poſſum, quippè qui non novi Muſas, neque Apollinem. Perrumpe januam. Timeo ne puniar à Judice. Inſane ſuſtines perire ex amore;* & *renuis* perire *propter* tuum *amorem. Malo vocari ærumnoſus, quàm ærumnoſus* ſimul *& nocens. Dedi* tibi *conſilium quod potui: jam tu percontare alios. Cedo quos? Phædra & Dido dabunt tibi conſilium, quod ſibi ſumpſerunt.*

NOTÆ.

1. *Odit utraque.*] Obſerva vocem *utraque* mediâ productâ, quam tamen ſuperiori epigrammate corripuit: *ſi diligat utraque vellem*, & quæ reverà brevis eſt. Sed non hoc ſolum loco productam reperies apud hunc auctorem; ſed etiam vc. ſ. 22. epiſtolæ ad patrem:

Et placuiſſe reor geminis ætatibus, ut ſe
Non feſtinato tempore utràque daret.

Secutus ſcilicet Auſonius ſuorum temporum morem, ibi produxit ſyllabam, ubi proſodia erat. Exempla ejuſdem vocis mediâ productâ uſurpatæ ex Prudentio citat hæc Scaliger. Ex elogio Eulaliæ virginis in hoc verſu dactilico:

Frivola utraque, & utraque nihil.

Ex Cathemerino hymno 10.

——— *Tua ſunt tua, Rector, utraque.*

Ex Apotheoſi:

Spargebat Dominus, ſunt unum fulmen utraque.

2. *Nocte capi metuo.*] A vigilibus urbem circumeuntibus.

3. *Pœnas judicii metuo.*] In effractores conſtitutas, ſcilicet fuſtium percuſſionem, & in opus temporarium dationem, ſi diurni ſint effractores; ſi verò nocturni, fuſtium percuſſionem & damnationem ad metalla, ut patet ex l. 2. ff. *de effractoribus, & expilatoribus.*

4. *Quod ſibi ſuaſerunt, &c*] Loco horum duorum verſuum, qui ex Lugdunenſi codice ſunt repoſiti, in vulgatis legebatur:

Phædra, & Eliſſa tibi dent laqueum, aut gladium.
Præcipitem pelago, vel Leucades elige rupem.

Quod ſibi ſuaſerunt, &c.] Laqueum, aut gladium.

5. *Phædra.*] Laqueum Hæc enim cum ſe ab Hippolyto privigno, cui inceſtos ſuos ignes faſſa fuerat, ſpretam cerneret, laqueo vitam finiiſſe narratur, ſcriptis prius ad Theſeum maritum litteris, quibus Hippolytum ſtupri, quod ille fuerat tantopere abominatus, accuſabat.

6. *Eliſſa.*] Gladium cui, poſt Æneæ

Digitized by Google

[1] Quod Canace, [2] Phylliſque, [3] & faſtidita Phaoni.
[4] Hoc das conſilium? [5] Tale datur miſeris.

INTERPRETATIO.

*Quod*que etiam *Canace & Phyllis*, *&* puella *contempta à Phaone* ſumpſerunt. *Hoccine* mihi *conſilium prabes? Tale prabetur ærumnoſis.*

NOTÆ.

diſceſſum, incubuiſſe dicitur apud Virg. l. 4. Æneid.

1. *Quod Canace.*] Enſem à patre ſibi miſſum poſt deprehenſos inceſtos ejus & fratris amores. Vid. ſupra epig. 84.

2. *Phylliſque.*] Laqueum, ut Phædra. Phyllis Lycurgi Thraeum regis & Cruſtumenæ filia Demophoontem Theſei & Phædræ filium, è Trojano bello redeuntem, cum hoſpitio lectoque excepiſſet; ipſeque, auditâ Mneſthei Athenarum tyranni morte, Athenas negotiorum ſuorum cauſâ ſe contuliſſet, diutiuſque ibi moraretur, quàm Phyllidi diſcedens promiſerat; hæc, zelotypiâ & amoris impatientiâ, laqueo ſe ſuſpendit, atque in amygdalum arborem foliorum expertem mutata, reducis Demophoontis amplexu folia ediidiſſe narratur. Vid. ejus epiſt. ad Demophoontem inter Ovidii epiſtolas ſecundam.

3. *Et faſtidita Phaoni.*] Quod Sapho, à Phaone contempta, elegit; ſcilicet præcipitium. Hæc enim ex Leucadis inſulæ rupe in mare ſe dejeciſſe amoris impatientiâ narratur. Vide ultimam epiſtol. Ovidii. Hic ergo ultima amantium ſpem omnem abjicientium perfugia proponit dyſeroti Venus, quæ apud Apul. l. 4. Metamorph. puella, è ſinu ſponſi à prædonibus rapta, his verbis complectitur: *Hem nunc certè, nunc maximè funditus perii; nunc ſpei ſalutiferæ renuntiavi. Laqueus, aut gladius, aut certè præcipitium proculdubio capeſſendum eſt.*

4. *Hoc das conſilium.*] Verba ſunt dyſerotis.

5. *Tale datur miſeris.*] Hæc Venus.

Digitized by Google

[1] *Pulchrum dei reſponſum.* XCIII.

93 [2] DOctus Hylas [3] cæſtu, Phegeus [4] catus arte palæſtræ,
[5] Clarus Olympiacis & Lycus in ſtadiis,
An poſſent omnes venturo vincere agone,
[6] Hammonem Libyæ conſuluère deum.
Sed deus, [7] ut ſapiens: [8] Dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, ſi caveatis, ait,
Ne quis Hylam cæſtu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne curſu te, Lyce, prætereat.

INTERPRETATIO.

Hylas peritus contendere cæſtu, Phegeus ſolers in arte luctæ, & Lycus inclytus in ſtadiis Olympiacis, ſciſcitati ſunt Jovem *Hammonem numen Lybiæ, utrum poſſent ſuperare cunctos in proximo certamine. At Deus, utpote prudens, dixit* eis: *Certa quidem palma vos manet, ſi modo detis operam, ut nemo* ſuperet *Hylam pugilatu, nemo* vincat *Phegea* in *agone palæſtræ*, ac *nemo anteceat te curſu, ô Lyce.*

NOTÆ.

1. *Pulchrum dei reſponſum.*] Immò nugatorium & ſcurrile, ut legenti patet.

2. *Doctus Hylas cæſtu, &c.*] Perſimile extat Lucillii, l. 2 Anthologiæ; niſi quod loco *Phegæi*, & *Lyci*, *Oneſimum* habet & *Meneclem*; & loco *Hammonis*, *Olympum*.

3. *Doctus cæſtu.*] Πύκτης *pugil*, & certamen quod cæſtibus fit, *pugilatus* vocatur. Erant cæſtus maſſæ ex corio bubulo, plumbo infuſo & ferro conflatæ, quibus pugnaturi manus obarmabant, loris circum brachia revinctis. Vide certamen Entelli & Daretis apud Virg. l. 5. Æneid.

4. *Catus arte palæſtræ.*] Luctator peritus, *palæſtrita* παλαιςής.

5. *Clarus in ſtadiis Olympiacis.*] Σταδιεὺς, qui ſcilicet curſu contendebat in ſtadiis, aut circis. His tribus certaminum generibus ſi δισκοβολίαν *diſcijactationem*, & ἅλμα *ſaltationem* adjicias, habebis Græcorum πένταθλον Latinorum *quinquertium*; quinque ſcilicet agones Olympicos.

6. *Hammonem Libyæ.*] Celeberrimum fuit Hammonis Jovis in Libya oraculum, quod etiam conſuluiſſe memoratur Alexander Magnus. Non Hammonem habet prædictum Lucillii epigramma, ſed Olympum vatem.

7. *Ut ſapiens.*] Immò ut nugator maximus.

8. *Dabitur victoria vobis, &c. ſi caveatis, ne quis Hylam, &c.*] Id eſt, dabitur vobis victoria, ſi victores evaſeritis.

Digitized by Google

De Hermiones zonâ. XCIV.

94 PUnica turgentes [1] redimibat zona papillas
[2] Hermiones : zonæ textum elegeion erat.
Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames me;
Exemploque tuo neminem amare vetes.

INTERPRETATIO.

Purpureum ſtrophium circumdabat tumentes mammillas Hermiones : ſtrophio intextum erat hoc *carmen.* O tu, *qui legis hanc inſcriptionem, Venus tibi imperat,* ut *me ames ; nec prohibeas quenquam ad tuum exemplum* me *amare.*

NOTÆ.

1. *Redimibat zona papillas.*] *Redimibat* pro *redimiebat* : hujuſmodi porro zonam ſeu faſciam pectoralem, papillarum tumori coërcendo aptam, *ſtrophium* dixêre.

2. *Hermiones.*] Cujus Hermiones ? filiæ-ne Menelai, & Helenæ, cujus epiſtola extat ad Oreſtem inter Ovidianas ? an verò Hermiones ſive Harmoniæ Martis & Veneris filiæ, quæ Cadmo nupſit ? Certè, quæ Hermione Menelai ſcribit Oreſti apud Ovidium, parum conſentiunt cum hoc elegei illius verſu :

Exemploque tuo neminem amare vetes.

Crediderim potius de Harmonia, ſeu Hermione, Martis & Veneris filia hoc epigramma eſſe intelligendum : at de zonâ illâ & elegeio nihil reperio. Meminerunt tamen monilis & pepli à Vulcano fabricati, & ipſi Harmoniæ à Cadmo, vel (ut aliis placet) à Pallade dati, aliorumque munerum ipſi Harmoniæ à Diis in ejus nuptiis datorum inter quæ potuerit eſſe hæc zona elegeio ſuo decorata, & à Venere Matre donata. Huic conjecturæ favere videntur hæc verba :

——— *Paphie tibi mandat, ames me.*

De Hyla, quem Najades rapuerunt. XCV.

95 ASpice quàm blandæ necis ambitione fruatur,
[1] Letifera experiens gaudia, pulcher Hylas !
Oſcula & infeſtos inter moriturus amores,
[2] Ancipites patiatur Najadas Eumenidas.

INTERPRETATIO.

Vide quàm jucundæ mortis gloriâ potiatur formoſus Hylas, deguſtans mortiferas voluptates ! periturus inter baſia & blanditias exitiales, experitur incertum Naiadas-ne, an Furias.

NOTÆ.

1. *Letifera experiens gaudia.*] Dum ſcilicet à Najadibus, ſui amantibus, infra aquas rapitur ; unde ipſi mors. Is porrò Hylas eſt Theodamantis & Menodices filius, egregiâ formâ juvenis, Herculis Colchos petentis comes, qui cum aquatum iviſſet ad fontem quendam in Mœſiâ, à Nymphis illius fontis raptus traditur. Rem narrant Apollon. Argonaut. 1. Servius, Theocrit. & alii. Vide Eraſm. in proverb. *Hylam inclamas.*

2. *Ancipites patitur Najadas Eumenidas.*] Id eſt, incertum eſt Najadas-ne Nymphæ illæ dicendæ ſint, quæ eum rapuerunt ; an Eumenides. Najades quidem erant, ſi earum naturam reſpicias ; in aquis enim degebant : at Eumenides Hylæ fuerunt ; cum enim demerſerunt Orco. Eumenides Furiæ ſunt, infernæ Deæ.

Digitized by Google

[1] *Ad Nymphas Narciſſum perſequentes.* XCVI.

96 [2] Furitis procaces Najades
Amore ſævo & irrito.
[3] Ephebus iſte flos erit.

INTERPRETATIO.

Laſcivæ Najades inſanitis amore crudeli, & inani. Hic puer fiet flos.

NOTÆ.

1. *Ad Nymphas Narciſſum perſequentes.*] Lemma hoc repoſuit Tollius loco illius, *ad Nymphas quæ Hylam merſerunt;* quod erat in vetuſtis codd. errore Librariorum, quodque huic epigrammati minimè conveniebat. Neque enim Hylam in florem converſum fuiſſe uſquam legitur, ſed Narciſſum, de quo ſequentia epigram.

2. *Furitis procaces Najades, &c.*] Quæ Najades? Echo quidem Nympha amore Narciſſi inflammata legitur: at de Najadibus nihil. Nymphas ego intelligo fontis illius, in quo dum ſe conſpicit, ſui ipſius amore corripitur, ac penè demergitur, dum ſuo ſimulachro potiendi cauſâ ſeſe inclinat incautiùs.

3. *Ephebus iſte flos erit.*] Qui nomen ejus etiamnum ſervat. Vide Metam. l. 3. fab. 7.

De Narciſſo, qui ſui ipſius amore captus erat. XCVII.

97 Si cuperes alium, poſſes Narciſſe potiri.
Nunc tibi [1] amoris adeſt copia: fructus abeſt.

INTERPRETATIO.

Narciſſe, ſi amares alium, poſſes eo *frui. Jam facultas tibi datur* tui *amoris: at non potes eo frui.*

NOTÆ.

1. *Amoris adeſt copia: fructus abeſt.*] Ipſe Narciſſus apud Ovid. loco mox citato:

Quod cupio mecum eſt: inopem me copia fecit.

De eodem. XCVIII.

98 Quid non ex hujus formâ pateretur amator,
Ipſe ſuam qui ſic deperit effigiem?

INTERPRETATIO.

Quidnam amator non perferret ex pulchritudine hujus pueri, *qui ita perditè amat ipſe ſuam imaginem?*

Digitized by Google

[1] *In Echo dolentem propter mortem Narciſſi.* XCIX.

99 COmmoritur, Narciſſe, tibi reſonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum [2] reſecuta querelis,
Ultima nunc etiam verba loquentis amat.

INTERPRETATIO.

Narciſſe, Echo reſonans moritur tecum, extincta ad ultimos ſonos tuæ vocis; atque excipiens etiam ſuis *queſtibus ejulatum morientis, amat etiamnum poſtremas voces loquentis.*

NOTÆ.

1. *In Echo dolentem, &c.*] Vid. Ovid. l. 3. Metam.

2. *Reſecuta.*] Vox parum trita, quâ etiam utitur hic auctor ultimâ epiſtolâ ad Paulinum, ubi de Echo loquens:

Solatur noſtras Echo reſecuta querelas.

Sed & Ovid. l. 8. Metam. fab. ult ubi de Eriſichtonis filia, Neptuni munere, in piſcatorem converſa:

Illa Dei munus benè cedere ſenſit: &
à ſe
Se quæri gaudens, his eſt reſecuta rogantem:
Quiſquis, &c.

[1] *De Hermaphrodito.* C.

100 MErcurio genitore ſatus, genitrice Cythere,
[2] Nominis ut mixti, ſic corporis [3] Hermaphroditus,
Concretus ſexu, ſed non perfectus, utroque:
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

INTERPRETATIO.

Hermaphroditus genitus patre Mercurio, matre Venere, quemadmodum nominis, ita & corporis compoſiti, conflatus ex utroque ſexu, at non abſolutus ex omni parte; *Veneris dubiæ, neutro amori fruendus.*

NOTÆ.

1. *De Hermaphrodito.*] Vide epig. 69. verſ. 11.

2. *Nominis ut mixti.*] Coaluit enim ejus nomen ex nominibus utriuſque parentis Ἑρμῦ ſcilicet & Ἀφροδίτης, *Mercurii*, & *Veneris.*

3. *Hermaphroditus.*] Ex Græcorum poëtarum catalectis carmen hoc affert Tollius in Hermaphroditum balneo viris mulieribuſque communi præpoſitum:

Ἀνδράσιν Ἑρμῆς εἰμί, γυναιξὶ δὲ Κύπρις ὁρῶμαι.
Ἀμφοτέρων δὲ φέρω σύμβολά μοι τοκέων.
Τοὔνεκεν οὐκ ἀλόγως με τὸν Ἑρμαφρόδιτον ἔθεντο
Ἀνδρογύνοις λουτροῖς παῖδα τὸν ἀμφίβολον.

Id eſt:

Viris Mercurius ſum: mulieribus verò Venus videor.
Amborum autem meorum parentum ſigna gero.
Itaque non immeritò me Hermaphroditum præpoſuerunt
Balneis virorum & mulierum communibus, cum ſim puer ſexus dubii.

De conjunctione Salmacis cum Hermaphrodito. CI.

101 [1] SAlmacis optato concreta eſt nympha marito.
Felix virgo, ſibi ſi ſcit ineſſe virum.
Et tu formoſæ juvenis permixte puellæ,
Bis felix, [2] unum ſi licet eſſe duos.

INTERPRETATIO.

Nympha Salmacis coaluit cum conjuge cupito. Fortunata puella, ſi novit ſe habere in ſe virum. Tu verò, ô juvenis, qui coaluiſti cum pulchrâ virgine, bis fortunatus es, *ſi unus poſſis eſſe duo.*

NOTÆ.

1. *Salmacis optato, &c.*] Vide Ovid. l. 4. Metam. fab. 6.

2. *Unum ſi licet eſſe duos.*] Sic Narciſſus l. 3. Metam.

O utinam à noſtro ſecedere corpore poſſem!

Ad Apollinem, de Daphne puellâ fugiente. CII.

102 [1] POne arcum Pæan, celereſque reconde ſagittas:
Non te Virgo fugit, ſed tua tela timet.

INTERPRETATIO.

Apollo depone arcum, & repone tela velocia: puella hæc *non te refugit, verum metuit tuas ſagittas.*

NOTÆ.

1. *Pone arcum Pæan.*] *Pæan* unum eſt ex Apollinis nominibus. De Daphne vide Ovid. l. 1. Metam.

Ad corticem, quo Daphne tegebatur. CIII.

103 [1] INvide cur properas cortex operire puellam?
[2] Laurea debetur Phœbo, [3] ſi virgo negatur.

INTERPRETATIO.

Cortex invide quare feſtinas obtegere virginem hanc? *laurus danda eſt Apollini, ſi puella* ipſi *non datur.*

NOTÆ.

1. *Invide cortex.*] Qui Daphnen amanti Phœbo ſubtrahis.

2. *Laurea debetur Phœbo, ſi virgo negatur.*] Phœbus apud Ovid.

—— *At quoniam conjux mea non potes eſſe,*
Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebunt
Te coma, te cithara, te noſtra (laure) pharetræ.

3. *Si virgo negatur.*] Sic Grævius rectè, pro *ſi virgo necatur.*

In

Digitized by Google

In duas ſorores diverſorum morum. CIV.

104 DElia, vos miramur: & eſt mirabile, quod tam
Diſſimiles eſtis, tuque ſororque tua.
Hæc habitu caſto, quum non ſit, caſta videtur;
Tu præter cultum, nil meretricis habes.
Quum caſti mores tibi ſint, huic cultus honeſtus:
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

INTERPRETATIO.

O Delia, admiramur vos: & ſane *mirum eſt, quod tu & tua ſoror adeò diſcrepatis inter* vos. *Hæc ornata ut pudicam decet, videtur pudica, quamvis non ſit: in te* verò *nihil eſt meretricium, niſi ornatus. Cum vita tibi ſit pudica, illi* verò *caſtus ornatus; ornatus tamen te arguit, & mores illam.*

Ad Gallam. CV.

105 VAdo, ſed ſine me; quia te ſine: nec, niſi tecum,
Totus ero; [1] pars quum ſim altera, Galla, tui.
Vado tamen, ſed dimidius. Vado minor ipſo
Dimidio: nec me jam locus unus habet.
Nam tecum ferè totus ero, quocumque recedam.
Pars veniet mecum quantulacumque mei.
Separor unus ego: ſed partem ſumo minorem
Ipſe mei; tecum pars mea major abit.
Si redeam, tibi totus ero: pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua jura. Vale.

INTERPRETATIO.

Ego *eo, verùm abſque me* ipſo; *quia* eo *abſque te: neque ero totus, niſi* fuero *tecum; quandoquidem ſum dimidia pars tui.* Ego *eo nihilominus, ſed dimidius* tantum. Quin etiam *eo minor ipſo dimidio: & nunc non unus* tantum *locus me tenet. Ero enim penè totus tecum, in quemcumque locum abiero. Quam minima pars mei me comitabitur. Ego unus dividor: verum ipſe capio minorem partem mei. Maxima pars mei abſcedit tecum. Si revertar, ero totus tuus: nulla pars* mei *erit vacua, quæ non revertatur in tuam poteſtatem. Vale.*

NOTÆ.

1. *Pars cum ſim altera tui.*] Sic paſſim amantes, & amici. Sic Horat. od. 3. l. 1.
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis,
Reddas incolumem precor:
Et ſerves animæ dimidium meæ.

[1] *In Venerem Anadyomenen.* CVI.

106 [2] EMerſam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus:

INTERPRETATIO.

Aſpice Venerem recens editam è fœcundis fluctibus maris, opus elaboratum ab Apelle: quomodo

NOTÆ.

1. *In Venerem Anadyomenen.*] Hoc eſt *exeuntem*, è mari ſcilicet.

2. *Emerſam pelagi, &c.*] Vide ſupra epig. 33. *Orta ſalo, &c.* Deſumptum eſt

Ut complexa manu madidos ſalis æquore crines
Humidulis [1] ſpumas ſtringit utrâque comis.
[2] Jam tibi nos, Cypri, Juno inquit, & innuba Pallas,
Cedimus, & formæ præmia deferimus.

INTERPRETATIO.

apprehenſis utrâque manu capillis aqua maris udis, deterget ſpumas ex crinibus madentibus. Nunc nos tibi cedimus, ô Venus, aiunt Juno & Pallas innupta, atque concedimus tibi *palmam pulchritudinis.*

NOTÆ.

hoc in Venerem Anadyomenen epigramma ex Græco Antipatri Sidonii, quod legitur l. 4. Anthologiæ, & incipit:

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος, *&c.*

1. *Spumas.*] Ex ſpuma enim maris natam Venerem fabulati ſunt. Undè & Græcis Ἀφροδίτη dicta eſt ab ἀφρὸς *ſpuma.*

2. *Jam tibi nos Cypri, &c.*] Confer epig. 42. & 43. ſupra.

In puerum formoſum. CVII.

107 DUm dubitat natura, [1] marem, faceretne puellam:
Factus es, ô pulcher penè puella puer.

INTERPRETATIO.

Cum natura ambigeret, an formaret maſculum, an feminam: ô formoſe puer ferè puella formatus es.

NOTÆ.

1. *Marem, faceret-ne puellam.*] Tollius reponit *faceret-ve puellam*: ſed reclamat hic locus Horatii ſat. 8. l. 1.

Cum faber incertus ſcamnum, faceret-ne Priapum.

Quam lectionem in tribus optimis codicibus Vatic. Faer. Torneſ. & Jannoct. reperiri teſtatur Lambinus. Agnoſcenda igitur hîc eſt ellipſis unius, *ne*, vel *an*; ut ſit ſenſus: *Dum natura dubitat maremne, puellamne faceret.*

In ſcabioſum Polygitonem. CVIII.

108 * * * * * * * * * * * * * * *

[1] *De quodam Silvio Bono, qui erat Brito.* CIX.

109 SIlvius ille Bonus, qui carmina noſtra laceſſit,
Noſtra magis meruit diſticha Brito Bonus.

INTERPRETATIO.

Ille Silvius Bonus, qui inſectatur meos verſus, magis promeritus eſt mea diſticha; quoniam eſt *Britannus, & Bonus.*

NOTÆ.

1. *De quodam Silvio Bono qui erat Brito.*] Huic Silvio nomen erat *Bonus*, & prætereà erat *Brito*. Ludit ergo in his omnibus diſtichis Auſonius in voce *Bonus*, quam à ſtatu nominis proprii ad conditionem nominis adjectivi retrahit; aitque repugnare, ut aliquis ſimul Brito ſit & bonus.

Digitized by Google

Item. CX.

110 **S** Ilvius hic Bonus eſt. Quis Silvius? iſte Britannus.
Aut Brito hic non eſt Silvius, aut malus eſt.

INTERPRETATIO.

Hic Silvius eſt Bonus. Quis Silvius? hic Britannus. Hic Silvius non eſt Britannus, vel eſt improbus.

Item. CXI.

111 **S** Ilvius iſte Bonus fertur, ferturque Britannus:
[1] Quis credat civem degeneraſſe bonum?

INTERPRETATIO.

Hic Silvius dicitur eſſe Bonus, & dicitur quoque eſſe *Brito: quis exiſtimet bonum popularem diſceſſiſſe* à moribus patriis.

NOTÆ.

1. *Quis credat civem degeneraſſe bonum?*] Id eſt, factum eſſe bonum ex malo, qui debebat eſſe; ſi patriæ, ut bonum & non degenerem civem decet, ingenium moreſque ſervaſſet.

Item. CXII.

112 **N** Emo bonus Brito eſt. [1] Si ſimplex Silvius eſſe
Incipiat, [2] ſimplex deſinet eſſe Bonus.

INTERPRETATIO.

Nullus Britannus eſt bonus. Si Silvius cœperit eſſe ſimplex, ceſſabit ille *ſimplex eſſe Bonus.*

NOTÆ.

1. *Si ſimplex Silvius eſſe incipiat.*] Id eſt, ſi ut verus Brito eſſe credatur, alterum nomen abjiciat, nempè *Bonus;* & incipiat eſſe ſimplex Silvius, hoc eſt, *tantùm Silvius.*

2. *Simplex deſinet eſſe bonus.*] Jam eveniet ut qui ſimplex eſt, non ſit bonus; quod παράδοξον videtur. Geminus porrò luſus eſt; in voce nempè *Bonus* nomine proprio, & nomine adjectivo, ut jam monui; & in voce *ſimplex*, quæ modo opponitur multiplici & concreto, modo vafro, verſuto, & maligno. Malo hic cum Mariangelo Accurſio *deſinet*, quàm *deſinat*.

Item. CXIII.

113 **S** Ilvius hic Bonus eſt. Sed Brito eſt Silvius idem.
[1] Simplicior res eſt, credite, Brito malus.

INTERPRETATIO.

Iſte Silvius eſt Bonus. At idem Silvius eſt Britannus. Credite mihi, *Britannus improbus eſt aliquid ſimplicius.*

NOTÆ.

1. *Simplicior res eſt, credite, Brito malus.*] Hoc vult ſcilicet; cum Britones per ſe mali ſint, nec quiſquam bonus, niſi accerſitâ aliundè probitate, eſſe poſſit; rem minus multò concretam aut compoſitam eſſe Britonem malum, quàm Britonem bonum: cum, ſi Britonem ſolùm dicas, illicò malum intelligere ſit.

Digitized by Google

Item. CXIV.

114 SIlvi, Brito, Bonus : quamvis homo non bonus eſſe
Ferris ; nec ſe quit jungere Brito Bono.

INTERPRETATIO.

O Silvi, tu es *Britannus*, & vocaris *Bonus : quanquam diceris non eſſe bonus vir ; neque Britannus poteſt conjungi cum Bono.*

In Furipum. CXV.

115 PArs te Furippum vocitat, pars verò Furippum ;
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis : aut tende, aut corripe nomen.
[1] Conveniet quodvis, fur, furioſe, tibi.

INTERPRETATIO.

Quidam te appellant Fūrippum, quidam autem Fŭrippum : illi protrahentes primam ſyllabam tui nominis, *hi breviantes. Selige quod magis tibi lubet : vel produc, vel brevia* tuum *nomen. Utrumlibet tibi congruet, fur,* aut *furioſus.*

NOTÆ.

1. *Conveniet quodvis, fur, furioſe, tibi.*] Fur quidem, ſi primam nominis tui producas ; erit enim tunc *Furippus* inſignis fur, ut notat Vinetus. Hæc namque nomina ἵππος, & βοῦς, *equus* & *bos*, in compoſitione ſignificationem vocis intendunt : vid. epig. lxx. Si verò contrahas, à *furendo* deductum videbitur *Furippus*, & ſonabit *valdè furioſum.*

Epicuri opinio. CXVI.

116 [1] QUod eſt beatum, morte & æternùm carens,
Nec ſibi parit negocium, nec alteri.

INTERPRETATIO.

Quod eſt felix, & perpetuò immune ab interitu, neque ſibi moleſtiam exhibet, neque alteri.

NOTÆ.

1. *Quod eſt beatum, &c. nec ſibi negotium, &c.*] Hanc ſententiam Epicuri ſic exprimit Diogenes Laertius : τὸ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Meminit hujus Cicero l. 1. de natura Deorum : *Quæ enim* (inquit) *nobis natura informationem Deorum ipſorum dedit, eadem inſculpſit in mentibus, ut eos æternos & beatos haberemus. Quod ſi ita eſt, verè expoſita illa ſententia eſt ab Epicuro ; quod æternum beatumque ſit, id nec habere ipſum negotii quidquam, nec exhibere alteri. Itaque neque irâ, neque gratiâ teneri ; quod, quæ talia eſſent, imbecilla eſſe omnia, &c.* Contra hanc Epicureorum ſententiam diſputant Lactantius in libro de *Irâ Dei*, & Maximus Tyrius ſermone decimo nono, quos vide.

Digitized by Google

De homine pigro. CXVII.

117 [1] SAnus piger febriente multò eſt nequior.
Potat duplum, dapeſque duplices devorat.

INTERPRETATIO.

Deſes homo *benè valens longe deterior eſt febricitante. Bibit* enim *bis tantùm, & deglutit bis tantùm ciborum.*

NOTÆ.

1. *Sanus piger, &c.*] Expreſſit hæc Auſonius ex illis Menandri apud Stobæum capite περὶ ἀργίας.

Ἀργὸς δ' ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ
Ἐστ' ἀθλιώτερος, διπλᾶ γοῦν μάτην
Ἐσθίει

Id eſt:

Piger verò benè valens, febricitante multò
Eſt miſerior: duplum videlicet fruſtra
Comedit.

Affertur eadem ex Menandro ſententia, non iiſdem omninò verbis, à Theophylacto Simocato ep. 61: Ἀργὸς γὰρ ὢν ἀθλιώτερος εἶ τοῦ πυρέσσοντος, ἐσθίων μάτην διπλάσια. *Si piger ſis, miſerior es febricitante; cum fruſtra comedas dupla.*

[1] *In Didûs imaginem.* CXVIII.

118 ILla ego ſum Dido vultu quem conſpicis, hoſpes,
Aſſimilata modis pulchraque mirificis.
Talis eram: [2] ſed non, Maro quam mihi finxit, erat mens;
Vita nec inceſtis læta cupidinibus.
[3] Namque nec Æneas vidit me Troïus unquam,
Nec Libyam advenit claſſibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma [4] procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam

INTERPRETATIO.

Ego ſum Dido hac *facie quam intueris, ô viator, formoſa & repræſentata mirum in modum. Eram hujuſmodi: verum non* is mihi *erat animus, quem Virgilius mihi commentus eſt; neque* mea *vita gaudebat amoribus impudicis. Etenim neque Æneas Trojanus me unquam aſpexit, neque appulit in Libyam navibus Trojanis. Verùm* ego *vitare volens furorem & arma Iarbæ protervi, (non inficior,) cuſtodivi caſtitatem* meâ *nece, perfoſſo pectore: quod pudicus gladius*

NOTÆ.

1. *In Didûs imaginem.*] Extat incerti auctoris epigramma l. 4. Anthologiæ, Auſoniano huic perſimile:

Ἀρχέτυπον Διδοῦς ἐρικυδέος, &c.

2. *Sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens.*] De hac Virgilii fictione ſic Macrob. Saturn. l. 5. c. 17. *Benè in rem ſuam vertit quidquid ubicunque invenit imitandum: adeò ut de Argonauticorum quarto, quorum ſcriptor eſt Apollonius, librum Æneidos ſuæ quartum totum penè formaverit, ad Didonem vel Ænean amatoriam continentiam Medeæ circa Jaſonem transferendo: quod ita elegantius auctore digeſſit, ut fabula laſcivientis Didonis, quam falſam novit univerſitas, per tot tamen ſecula ſpeciem veritatis obtineat,* &c. *tantum valuit pulchritudo narrandi, ut omnes Phœniſſæ caſtitatis conſcii, nec ignari manum ſibi injeciſſe reginam, ne pateretur damnum pudoris, conniveant tamen fabulæ, & intra conſcientiam veri fidem prementes, malint pro vero celebrari, quod pectoribus humanis dulcedo fingentis infudit.*

3. *Namque nec Æneas, &c.*] Quod in odium Carthaginienſium commentus eſt Virgil.

4. *Procacis Iarbæ.*] Gætulorum regis, importuni Didûs amatoris; cujus ut odio-

Pectore transfixo: caſtus quod perculit enſis,
Non furor, aut læſo crudus amore dolor.
Sic cecidiſſe juvat. Vixi ſine vulnere famæ.
[1] Ulta virum, poſitis mœnibus, oppetii.
Invida cur in me ſtimulaſti Muſa Maronem,
Fingeret ut noſtræ damna pudicitiæ?
Vos magis hiſtoricis, lectores, credite de me,
Quam qui furta deûm concubituſque canunt
Falſidici vates; temerant qui carmine verum;
Humaniſque deos aſſimilant vitiis.

INTERPRETATIO.

ferrii, non autem *veſania, aut dolor crudelis ex amore violato* conceptus. *Gaudeo interiiſſe hoc modo. Vixi abſque læſione mea fama. Mortua ſum, poſtquam ulta fui* mortem *mariti mei, & condidi muros. O Muſa invida, quare inſtigaſti Virgilium adverſus me, ut comminiſceretur* me *jacturam* feciſſe *mea caſtitatis? Vos, lectores, habete potiùs fidem hiſtoricis de me, quàm mendacibus poëtis, qui celebrant furta & coïtus Deorum: qui violant verum* ſuis *verſibus; & fingunt Deos ſimiles peccatis hominum.*

NOTÆ.

ſos complexus vitaret, gladio ſibi pectus confodit ipſo die nuptiarum, quas cum eo contrahere à populo ſuo, pacem hoc fœdere redimere cupiente, coacta fuerat. Ovid. Faſt. 3.

1. *Ulta virum, poſitis mœnibus occubui.*] Alludit ad hæc Didûs morientis verba Æneid. 4.

Urbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi.
Ulta virum, pœnas inimico à fratre recepi.

De tribus inceſtis. CXIX.

119 * * * * * * * * * * * *

In Caſtorem. CXX.

120 * * * * * * * * * * * *

De amiſſa puella. CXXI.

121 [1] Tres fuerant Charites: ſed dum mea Lesbia vixit,
Quattuor. Ut periit, tres numerantur item.

INTERPRETATIO.

Tres fuerant Gratiæ: verùm fuerunt *quatuor, donec mea Lesbia fuit in vivis. Poſtquàm mortua eſt, tres recenſentur ut prius.*

NOTÆ.

1. *Tres fuerant Charites.*] Aglaia, Euphroſyne, Thalia; Jovis & Eurynomes filiæ, apud Heſiodum.

1 *In Fauſtulum ſtaturæ brevis Anicii Probini.* CXXII.

122 FAuſtulus inſidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, & terræ terga ſupina dedit.
Moxque idem ad mortem eſt multatus calcibus ejus,
Perditus ut poſſet vix retinere animam.
Vix tamen eſt fatus: Quid rides, improbe Livor?
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaëton.

INTERPRETATIO.

Fauſtulus cum equitaret in formicâ, tanquam in elephanto ingenti, delapſus eſt, & proſtratus humi in dorſum. Et ſtatim percuſſus eſt ille *idem ejus pedibus ad necem* uſque, adeò *ut peſſime multatus ægre poſſet retinere ſpiritum. Ægre tamen* hæc *dixit: quare rides, ô mala invidia? quoniam corrui? Phaëton corruit eodem modo.*

NOTÆ.

1. *In Fauſtulum ſtaturæ brevis Anicii Probini.*] Intellige nanum Anicii Probini. Eſt porrò in hoc epigrammate inſulſa hyperbole, quæ deſumpta & expreſſa videtur ex Græco Lucillii εἰς λεπτοὺς l. 2°. Anthol. Ἱππεύων μύρμηκι Μενέστρατος, &c.

In Eunum liguritorem. CXXIII.

123 * * * * * * * * * * * *

In eundem Eunum. CXXIV.

124 * * * * * * * * * * * *

In eundem Eunum. CXXV.

125 * * * * * * * * * * * *

In eundem Eunum. CXXVI.

126 * * * * * * * * * * * *

In eundem Eunum. CXXVII.

127 * * * * * * * * * * * *

Ad eundem pædagogum Liguritorem. CXXVIII.

128 * * * * * * * * * * * * *

[1] *In Medeæ imaginem.* CXXIX.

129 MEdeam vellet quum pingere [2] Timomachi mens,
  [3] Volventem [4] in natos [5] crudum animo facinus;
Immanem exhauſit rerum in diverſa laborem,
  Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira ſubeſt lachrymis, miſeratio non caret ira.
  Alterutrum videas, ut ſit in alterutro.
[6] Cunctantem ſatis eſt. [7] Nam digna eſt ſanguine mater
  Natorum; [8] tua non dextera, Timomache.

INTERPRETATIO.

Cum ingenium Timomachi cuperet pingere Medeam, mente agitantem dirum ſcelus adverſus ſuos *filios; inſumpſit laborem immenſum ad res contrarias* pingendas, *ut* ſcilicet *exprimeret ancipitem affectum matris. Furor apparet ſub lacrymis* ejus, *miſericordia cum irâ conjuncta eſt. Aſpicias quomodo alterum ineſt alteri. Satis eſt* pinxiſſe eam *contabundam.* Hanc *enim matrem decet* fundere *cruorem filiorum* ſuorum; *tuam* verò *manum* non decet, *ô Timomache.*

NOTÆ.

1. *In Medeæ imaginem.*] Lib. 4. Anthol. cap. *εἰς ἡρωΐδας*, extant duo Græca epigrammata in eandem imaginem; alterum Antiphili Bizantii, alterum incerti auctoris: quæ vide.

2. *Timomachi mens.*] In altero Græcorum epigrammatum *Τιμομάχου χείρ Timomachi manus*, in altero *τέχνη Τιμομάχου ars Timomachi.* De hac porrò Medeæ ſtatuâ Timomachi manu elaboratâ ſic Plin. l. 35. nat. hiſtoriæ c. 11. *Timomachus Bizantius Cæſaris Dictatoris ætate, Ajacem ei pinxit & Medeam, ab eo in Veneris genitricis æde poſitas, octeginta talentis venundatas.* Et infra eod. cap. *Illud verò perquam rarum, ac memoriâ dignum, etiam ſuprema opera artificum imperfectaſque tabulas; ſicut Irim Ariſtidis, Tyndaridas Nicomachi, Medeam Timomachi, & quam diximus Venerem Apellis, in majori admiratione eſſe, quàm perfectâ. Quippe in iis lineamenta reliqua, ipſæque cogitationes artificum ſpectantur: atque in lenecinio commendationis dolor eſt; manus, cum id agerent, extinctæ deſiderantur.*

3. *Volventem.*] Ex zelotypia.

4. *In natos.*] Quos ex Jaſone ſuſceperat. Mermerum & Phereten nominat Pauſanias in Corinthiacis.

5. *Crudum facinus.*] Cædem eorum, quam perpetravit.

6. *Cunctantem ſatis eſt.*] Subintellige *pinxiſſe*, aut aliquid ſimile.

7. *Nam digna eſt ſanguine mater natorum.*] Sic rectè Mariang. Accurſius & ad mentem Antiphili Byzantii epigram. ſuprà laudato:

——— *αἷμα δὲ τέκνων*
Ἔπρεπε Μηδείῃ, κ' οὐ χειρὶ Τιμομά-
χου.

cum prius legeretur *indigna eſt ſanguine, &c.* Digna autem ſanguine natorum dicitur mater illa; non quia mater, ſed quoniam Medea, impotens femina, crudelis, venefica, omni ſcelere coinquinata, &, quod caput rei eſt, zelotypa.

8. *Tua non dextera, Timomache.*] Quæ polluta videretur, ſi matrem exhibuiſſet natorum ſanguine fœdatam.

In

Digitized by Google

In eandem. CXXX.

130 [1] QUis te pictorum ſimulavit, peſſima [2] Colchis,
In natos crudum volvere mente nefas?
Uſque adeóne ſitis puerorum haurire cruorem,
Ut ne picta quidem parcere cæde velis?
Numnam te pellex ſtimulat? numne alter Iaſon,
Altera vel [3] Glauce ſunt tibi cauſa necis?
[4] Quin ne picta quidem ſis barbara. Namque tui vim
[5] Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachum, [6] matrem quod pinxit in enſe
Cunctantem, prolis ſanguine ne maculet.

INTERPRETATIO.

Quiſnam ex pictoribus, ô ſceleſtiſſima Colchis, pinxit te agitantem animo facinus crudele adverſus tuos *filios? an tantopere cupis fundere ſanguinem* iſtorum *puerorum, ut vel picta tantùm nolis abſtinere ab homicidio? An tori ſuccuba inſtigat? an alter Jaſon, aut altera Creüſa impellunt te ad* iſtam *cædem? Quin etiam ſis barbara, etiamſi* tantum *picta* ſis. *Cera enim retinens* figurarum *exprimit immoderatam violentiam tuæ zelotypiæ. Laudo Timomachum, quoniam repræſentavit matrem cum gladio dubitantem, ne inquinet* eam *cruore filiorum.*

NOTÆ.

1. *Quis te pictorum, &c.*] Epigrammatis hujus ſenſus expreſſus eſt è Græco Philippi cujuſdam l. 4. Antholog. quod incipit:

Τίς σευ, Κολχὶς ἄθεσμε, συνέγραψεν, &c.

Sunt & eodem in libro Anthol. ſeptem alia in hanc Medeæ picturam diverſorum Græca epigrammata; quæ vide.

2. *Colchis.*] Medea Æetæ Colchorum regis filia.

3. *Glauce.*] Quæ & Creüſa, Creontis Corinthiorum regis filia, quam Jaſon duxit, repudiatâ Medeâ: cujus contumeliæ ipſa impatiens, filios ex Jaſone ſuſceptos interfecit, novam nuptam venenatæ pallæ munere unà cum Creontis regiâ concremavit.

4. *Quin ne picta quidem ſis barbara.*] Lege *quin &*, id eſt, *quin etiam*, & *ſis* non *ſis*; ut ſit ſenſus in interpretatione expreſſus.

5. *Cera.*] Quidam *creta.* At Græcum ep. cum habeat *ἐν κηρῷ*, *cera* hic eſt legendum. Nec minus enim ceris variorum colorum reſolutis & inductis pingebant, quàm cretis tritis & dilutis. Plin. l. 22. c. 14. *Varioſque in colores pigmentis trahitur* (cera) *ad reddendas ſimilitudines, &c.* Ejuſmodi picturæ encauſticæ dictæ ſunt. Idem Plin. l. 35. c. 11. *Ceris pingere ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non conſtat. Quidam Ariſtidis inventum putant, poſteà conſummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ extitêre, ut Polygnoti, & Nicanoris, & Arceſilai Pariorum. Lyſippus quoque Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit ἐνέκαεν* (id eſt, inuſſit) *quod profectò non feciſſet, niſi encauſticâ inventâ.* Vide epigram. 26. notata ad hæc verba: *Ceris inurent jannarum limina, &c.*

6. *Matrem quod pinxit in enſe cunctantem,*] Id eſt *cum enſe*, vel *tenentem enſem*; enſe armatam, & cunctantem, feriretne eo natos. Sic apud Virg.

Horridus in jaculis & pelle Lybiſtidis urſæ,

ſic Florus l. 1.

Juventus in equis & armis.

In quendam qui levia ſibi inguina faciebat. CXXXI.

131 * * * * * * * * * * * *

In cæcum, & claudum. CXXXII

132 [1] INſidens cæco graditur pede claudus utroque.
Quo caret alteruter, ſumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo greſſumque miniſtrat:
At claudus cæco lumina pro pedibus.

INTERPRETATIO.

Claudus ambobus pedibus incedit geſtatus à cæco. Alter ab altero mutuatur id, quod non habet. Etenim cæcus præbet claudo pedes & inceſſum: claudus verò præbet *cæco oculos pro pedibus.*

NOTÆ.

1. *Inſidens cæco, &c.*] Quatuor extant in hoc argumentum epigrammata Græca Anthol. l. 1. c. 4. ex quibus hoc Leonidæ afferre non pigebit, quod his Auſonianis ſatis reſpondet:

Τυφλὸς ἀλητεύων χωλὸν πόδας εἰρβάζων,
Ὄμμασιν ἀλλοτρίοις ἀντεφορτιζόμενος.
Ἄμφω δ' ἡμιτελεῖς πρὸς ἑνὸς φύσιν ἡρμόσθησαν,
Τὸ λιπὲς ἀλλήλοις ἀντιπαρεγχόμενοι,

Id eſt:

Cæcus errans claudum pedibus portabat,
Oculis alienis remuneratus.
Ambo autem ſemiperfecti ad unius naturam coaptati ſunt,
Quod deerat ſibi invicem retribuentes.

Idem. CXXXIII.

133 AMbulat inſidens cæco, pede captus utroque:
Atque alterna ſubit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat: ille viciſſim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

INTERPRETATIO.

Orbatus ambobus pedibus incedit, incumbens cæco: & infirmi illi *præſtant* ſibi *mutua officia. Cæcus enim juvat claudum pedibus: ille vice verſâ commodat ſuos oculos cæco pro pedibus.*

De divite & paupere. CXXXIV.

134 NOn eſt dives opum dives, nec pauper inopſque
Infelix: alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis, Cereali munere pauper.
Sed quum egeant ambo, [1] pauper egens minus eſt.

INTERPRETATIO.

Abundans divitiis non eſt locuples: neque egenus & pauper eſt miſer: neque alter plurium indiget, quàm alter. Opulentus indiget pretioſis lapillis, inops indiget *donis Cereris. At cum uterque indigeat, inops minus indigens eſt.*

NOTÆ.

1. *Pauper egens minus eſt.*] Panis enim, cujus egens eſt pauper, vilior multò eſt gemmis, quibus eget dives, & longè facilius parari poteſt. In hanc ſententiam Apul. in Apologia: *Is plurimum habebit, qui minimum deſiderabit.*

[1] *De Penelope.* CXXXV.

135 INntemerata procis, & tot ſervata per annos
Oſcula, vix ipſi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas [2] facibus tibi luxit adultis:
[3] Arſit & invidiâ principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui nova femina ſomnis;
Lapſaque non merito ſunt mihi verba ſono.
Et tamen ignotos ſenſi experrecta dolores,
Strataque tentavi ſicca pavente manu.
Nam tibi anhelanti, ſupremaque bella moventi
Paruit indulgens & ſine voce dolor;
Dente nihil violare fero, nihil unguibus auſæ;
Fœdera nam tacitâ pace peregit amor.
Denique non aviam tremulo clamore vocavi:
Nec prior obſequio ſerva cucurrit anus.
Ipſa verecundo tetigi pallore puellas,
Impoſitum teneri faſſa pudoris opus.

INTERPRETATIO.

Oſcula illibata amatoribus, & cuſtodita per tot annos, vixque *nota ipſi Telemacho. Deindè mea virginitas pro te illuſtrata eſt tædis incenſis: & amor ſincerus inflammatus eſt in fideli principe. Sæpe ego rudis mulier trepidavi in falſis ſomniis; & voces mihi elapſæ ſunt non digno murmure: & tamen*, ubi ſum *experrecta, dolores* anteà *ignotos ſenſi, manuque timidâ ſiccum tentavi thalamum. Dolor enim mutus, & obſequioſus paruit tibi anhelanti, & bella moventi ultima; cum non auſa eſſem lædere quidquam ſævo dente, aut unguibus: amor enim conciliavit* inter nos *pacem tacito fœdere. Poſtremò non accivi aviam vociferatione trepidâ: neque vetula ancilla promptior ad obediendum accurrit. Ego ipſa movi virgines pallore meo pudibundo, prodens vultu opus teneri pudoris* amiſſi, *ad quod adacta ſum.*

NOTÆ.

1. *De Penelope.*] Fragmentum hoc eſſe juſti poëmatis rectè monet Scaliger. Porrò titulo huic *de Penelope* locum dediſſe videntur duo priores verſus, in quibus de Procis & Telemacho mentio injicitur. Sed ſi extarent primi hujus fragmenti verſus, fortè titulum alium nobis ſuppeditarent. Nam, ut aperiam quod ſuſpicor, oſcula Penelopes commemorata hic tantùm mihi videntur ſimilitudinis alicujus gratiâ cum caſtis oſculis mulieris illius, quæ hîc maritum alloquitur, quæcumque tandem illa ſit. Conjecturam meam fulciunt quæ ſequuntur ab hoc diſticho aliena: *Hinc mea virginitas, &c.*

2. *Facibus tibi luxit adultis.*] Facibus ſcilicet jugalibus, cum ipſa virgo flammeo velata in domum ejus duceretur. Vulgò hic legitur *luſit*, minus aptè. G. Canterus repoſuit *luxit*, quod antiquitus ſæpè ſic ſcriptum *lucſit*; unde ſuſpicatur *luſit* per corruptionem tractum eſſe.

3. *Arſit & invidiâ principe verus amor.*] Quid ſibi velit *invidiâ principe*, & quis ſit hujus verſiculi ſenſus, ut verum fatear, non ſatis capio. Fortaſsè legendum *in fidâ principe*. Sic certè apertus ſenſus efficietur, quem in interpretatione exhibui & hinc colligere erit principem fœminam hic loqui. De conjecturâ hac judica lector.

[1] *In Grammaticum.* CXXXVI.

136 FElix Grammaticus non eſt : ſed nec fuit unquam ;
  Nec quiſquam eſt felix nomine Grammaticus.
At ſi quis felix præter fatum extitit unquam ;
  Is demum exceſſit Grammaticos canonas.

INTERPRETATIO.

Felix non eſt Grammaticus : at neque unquam fuit ; neque ullus nunc *eſt Grammaticus qui vocetur felix. Verum ſi ullus unquam fuit felix contra fatorum* decretum , *ille tandem prætergreſſus eſt regulas Grammaticæ.*

NOTÆ.

1. *In Grammaticum.*] Cui nomen *Felix*, in quâ voce totum epigrammatis acumen vertitur.

De infauſto matrimonio Grammatici. CXXXVII.

137 [1] ARma virumque docens, atque arma virumque peritus,
  Non duxi uxorem, ſed magis arma, domum.
Namque dies totos, totaſque ex ordine noctes
  Litibus oppugnat meque, meumque larem ;
Atque ut perpetuis dotata à Marte duellis,
  Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me, ut denique victum
  Jurget ob hoc ſolum, jurgia quòd fugiam.

INTERPRETATIO.

Ego qui doceo arma virumque, & qui ſcio imprimis arma virumque, non deduxi conjugem in domum meam, *ſed potius arma.* Ipſa *enim vexat jurgiis & me & meam domum per ſolidos dies & ſolidas noctes uno tenore : & veluti à Marte in dotem acceperit aſſidua certamina , erigit arma adverſus me, & nulla ceſſatio* mihi *conceditur. Et mox permittam me* ipſi *contra luctanti ; ut tandem cum victus fuero , propter id tantum mecum rixetur , quod vitem rixas.*

NOTÆ.

1. *Arma virumque docens.*] Virgilii Æneida , cujus initium , *Arma virumque cano.*

[1] *De Auxilio Grammatico.* CXXXVIII.

138 EMendata poteſt quænam vox eſſe magiſtri,
  Nomen qui proprium cum vitio loquitur ?

INTERPRETATIO.

Quænam oratio poteſt eſſe caſtigata præceptoris , qui peccat cum effert ſuum ipſius nomen ?

NOTÆ.

1. *De auxilio Grammatico.*] Ut à voce *deſiderium* factum eſt nomen proprium *Deſiderius* , à *præſidium* nomen *Præſidius* , & alia ſimilia ; ſic ab *auxilium* , *Auxilius* , nomen illius Grammatici.

Auxilium te nempè vocas. Inſcite magiſter,
[1] Da rectum caſum; jam [2] Soliciſmus eris.

INTERPRETATIO.

ſcilicet appellas te Auxilium. Praceptor ignare, cedo nominativum caſum tui nominis *; ſtatim eris ſolœciſmus.*

NOTÆ.

1. *Da rectum caſum.*] Erit *Auxilius*; quod qui loco τῦ *auxilium* diceret, ſolœciſmum certè faceret.

2. *Soliciſmus eris.*] Uſitatiſſimum fuiſſe Auſonii ætate obſervat Salmaſius, quæ per æ à Græcâ diphtongo οι ſcriberentur, per ι ſolum ſcribere: ſic *ſynaliphe* pro *ſynalœphe*: *cimiterium* pro *cœmiterium*. Quin & *Aulidus*, pro *Aulœdus*, apud Martianum Capellam, & *tragidi* pro *tragœdi* in gloſſis reperitur. Σολικισμὸς igitur pro σολοικισμὸς, ſublato ο diphtongi οι & retento ſolum ι.

De fratribus Thebanis. CXXXIX.

139 [1] NEc Stygiis lucis ineunt ſua fœdera [2] fratres
Oedipodionidæ, de miſero ah miſeri!
Namque etiam [3] ex uno ſurgentes aggere flammæ
In diverſa ſui diſſiliunt cineris.
Infandos juvenes! quos nec diſcordia caſſos
Luce, nec in ſemet linquit atrox animus.
[4] Atque utinam & Thebas quiſſent partirier ipſas,
Regnorum & metas, ut cinerum nebulas!

INTERPRETATIO.

Fratres filii Oedipi, (proh quàm *infelices* nati *ex infelici* patre!) *ne in ſilvis quidem infernis redeunt in concordiam. Flammæ enim quoque prodeuntes ex eâdem pyrâ, diſſugiunt in partes diverſas à ſuo cinere. O juvenes ſceleſtos! quos neque odium, neque mens in ſe ipſam ſæva deſeris etiam vitâ privatos. Atque utinam potuiſſent dividere ipſas Thebas, & fines* ſuorum *regnorum, quemadmodum* dividunt *fumum* ſui *buſti!*

NOTÆ.

1. *Nec Stygiis lucis.*] Id eſt, ne poſt mortem quidem.

2. *Fratres Oedipodionidæ.*] Eteocles & Polynices filii Oedipodis.

3. *Ex uno ſurgentes aggere flammæ in diverſa, &c.*] Statius de hoc fraterni rogi diſſidio l. 12. Thebaidos, verſ. 429. & ſeqq.

Ecce iterum fratris primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuêre rogi, & novus advena buſtis
Pellitur, exundant diviſo vertice flammæ;
Alternoſque apices abruptâ luce coruſcant:
Pallidus Eumenidum veluti commiſerit ignes
Orcus, uterque minax globus, & conatur uterque
Longius, ipſæ etiam commoto pondere, paulum
Seceſſêre trabes, &c.

Vid. Pauſan. in Bœoticis, Euripid. in Phœniſſis, Ovid l. 5. Triſt. eleg. 6.

4. *Atque utinam & Thebas quiſſent partirier ipſas.*] Quod cum non poſſent; ſic inter ſe pacti erant, ut alternis annis imperarent. Atque inde diſcordia & bellum inter eos ortum; cum Eteocles cui, utpote natu majori, primus imperii annus ceſſerat, regnandi dulcedine illectus, petenti ex fœdere fratri regnum viciſſim tradere noluiſſet. Eſt in hos fratres Bianoris epigramma l. 3. Anthol. cap. 14. quod vide.

De ingratis, ex Menandro. CXL.

140 NIl homine terra pejus ingrato creat.
Vicinus, hoſpes, notus, ignotus, cliens,
Et ſi qua genera civium ſunt id genus,
Si quid petenti promptus opis impertias;
[1] Ut miſereare, gratia actutum perit.

INTERPRETATIO.

Tellus nihil producit deterius homine ingrato. Sive ſit *vicinus*, ſive *hoſpes*, ſive *cognitus*, ſive *incognitus*, ſive *cliens*, *& ſi qui alii populares ſunt hujus generis*, *ſi* tu *preſtò prebeas aliquod ſubſidium* ipſi *roganti*, ut *ut te* ejus *miſereat*, *illicò intercidit* tibi omnis *gratia*.

NOTÆ.

1. *Ut miſereare.*] Vel, itaut ejus miſerearis, vel potius (quod in interpretatione expreſſi) *ut ut ejus miſerearis*, hoc eſt, quo quo modo ejus miſertus, ipſi ſubvenias.

[1] *De Demoſthene.* CXLI.

141 DIſcere ſi cupis, à doctis quam multa licebit.
Quæ noſti, meditando velis inoleſcere menti.
[2] Quæ didiciſti, haud dum dicendo abſumere tendas.

INTERPRETATIO.

Si vis diſcere, poteris diſcere *plurima à peritis. Cura ut ea, quæ ſcis, altius inſigantur animo recogitando. Neque adhuc velis conſumere quæ didiciſti*, ea *eloquendo* præproperè.

NOTÆ.

1. *De Demoſthene.*] Quæ ſit hujus epigraphes ratio, & quomodo hæc ad Demoſthenem pertineant, non ſatis video. Niſi fortè verſus hos, *Quæ noſti meditando velis inoleſcere menti. Quæ didiciſti, haud dum dicendo abſumere tendas*, referre velis ad diutinam illam Demoſthenis meditationem, & exercitationem, quâ priuſquam in forum prodiret, nativam correxit balbutiem, & ſummam dicendi facilitatem ſibi comparavit.

2. *Quæ didiciſti haud dum, diſcendo adſumere tendas.*] Hæc eſt Pulmanni & Grævii correctio. Prius legebatur *Quæ didiciſti, haud dum dicendo abſumere tendas*; cujus ſenſum quia non perceperunt ſtatim, correxerunt quod intelligebant minus. Ego retinendam hanc lectionem cenſeo, quam ſic expono; *ne ſtatim velis, ea, quæ didiciſti, priuſquam animo altè inſederint, dicendo futiliter efferre in vulgus.*

De uxore deformi. CXLII.

142 * * * * * * * * * * * *

De fortunæ varietate. CXLIII.

143 Fortuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu.
Semper movetur; variat, & mutat vices.
Et ſumma in imum vertit, ac verſa erigit.

INTERPRETATIO.

Nunquam Fortuna manet in eodem ſitu. Perpetuò agitatur; mutat & invertit ſuas *viciſſitudines, & dejicit ſuprema in infimum, atque extollit dejecta.*

In Stellam. CXLIV.

144 [1] Stella prius ſuperis fulgebas Lucifer: at nunc
Extinctus, caſſis lumine Veſper eris.

INTERPRETATIO.

O Stella lucebas antehac apud vivos tanquam *Lucifer: jam verò* cum ſis *mortuus, eris Veſper apud privatos vitâ.*

NOTÆ.

1. *Stella prius ſuperis, &c.*] Exprimit Græcum hoc Platonis lib. 3. Anthol. & apud Diogenem Laert. in ejus vitâ, & Apuleium, in Apologia:

Ἀστὴρ, πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις.

Id eſt:

Stella, prius quidem lucebas inter vivos Lucifer.
Nunc verò mortuus luces Veſper inter mortuos.

Ἀστὴρ nomen fuit pueri à Platone amati, quemadmodum *Stella* hic, & ſæpè apud Martialem, pueri nomen eſt. Alludit autem ad ſtellam Veneris, φωσφόρον Græcis dictam; *qua*, ut ait Plin. l. 2. *ſolem præveniens, & ante matutinum exoriens, Lucifer nomen accepit, ut ſol alter diem maturans. Contra, ab occaſu refulgens, nuncupatur Veſper, ut prorogans lucem, vicemque luna reddens.*

Ex Menandro. CXLV.

145 [1] Re fruere, ut natus mortalis: dilige ſed rem,
Tanquam immortalis. [2] Sors eſt in utroque verenda.

INTERPRETATIO.

Utere tuis *opibus, tanquam genitus mortalis; at cura* tuas *opes, quaſi* ſis *immortalis. Utrimque enim fortuna timenda eſt.*

NOTÆ.

1. *Re fruere, ut natus mortalis.*] Non extant Græca Menandri, è quibus hæc converſa eſſe innuit titulus. At illa lib. 1. Anthol. ſub Luciani nomine leguntur huc facientia:

Ὡς τεθνηξόμενος, τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

Id eſt:

Tanquam moriturus, tuis bonis fruere:
Ut vero victurus, parce tuis opibus.
Eſt enim vir ſapiens hic, qui ambobus conſideratis,
Parſimoniæ & ſumptui modum adhibuit.

Similia habet Iſocrates ad Demonicum.

2. *Sors eſt in utroque verenda.*] Si nempè rei parcior es, in mediis opibus indigebis, genium tuum ſemper miſerè defraudans: ſi negligentior ſis, quàm par eſt, & genio nimis indulſeris; brevi decides in pudendam egeſtatem.

Digitized by Google

[1] *Ad Notarium velociſſimè excipientem.* CXLVI.

146 [2] PUer notarum [3] præpetum
Sollers miniſter, advola.
[4] Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
[5] Punctis peracta ſingulis,
Ut una vox abſolvitur.
Evolvo libros uberes,
Inſtarque denſæ grandinis
Torrente lingua perſtrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
[6] Nec occupatur pagina.

INTERPRETATIO.

Heus puer perite miniſter notarum celerum, accurre. Para codicillum utrimque patulum in quo larga oratio, exarata ſingulis punctis ſingulas voces exprimentibus, *perſcribitur tanquam unicum verbum. Perlego libros copioſos, & pronuntio linguâ præcipiti ad exemplum ſpiſſæ grandinis.* Et tamen *neque aures tuæ dubitant, neque pagina* tua *impletur.*

NOTÆ.

1. *Ad Notarium, &c.*] Alium titulum profert Vinetus ex vetuſto libro Tilii: *In Notarium in ſcribendo velociſſimum.* Notarius autem eſt, qui loquentis verba compendii cauſâ notis excipit, ταχυγράφος ob ſcribendi celeritatem, & σημειογράφος, quod ſignis (id eſt notis) ſcriberet, in Gloſſis dictus. Suidæ ὀξυγραφεύς *exceptor.* Duplex fuit apud veteres ſcribendi ratio, fuſa ſcilicet & compendiaria. Illa, Græcis καλλιγραφία dicta, verba ſingula ſuis omnibus litteris exprimebat, quâ hodie utimur: hæc ταχυγραφία (*Notaria* Latinis) notis, ſeu ſignis ſingulis ſingulas ſyllabas, & ſæpè ſingula vocabula excipiebat. Deſiit hæc eſſe in uſu. Extant tamen aliquot veterum notarum collectiones, Valerii Probi Grammatici, Petri Diaconi ad Conradum primum Imperatorem; eſt & Magnonis notarum juris collectio ad Carolum Regem. Notarum inventionem Euſeb. in Chronico Tironi Ciceronis liberto tribuit. Poſt eum Iſidorus Perſannium quendam & Philargium, quem Samium fuiſſe ait Diaconus ad Conradum Imperatorem, & Aquilam Mecœnatis libertum notarum inventores nominat. l. 1. orig. c. 21. Lipſius in epiſt. ad Leonardum Leſſium S. I. Theologum, quæ eſt 27. Centuriæ primæ ad Belgas, Græcis inventarum notarum gloriam dat, ac nominatim Xenophonti philoſopho & hiſtorico, de quo Diog. Laert in ejus vita καὶ πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν. *Primus notis excipiens dicta* (Socratis) *in lucem hominesque protulit.* Iſidorus dicto loco & Pet. Diacon. l. ad Conrad. addunt Senecam (Lipſius patrem intelligit) contracto omnium digeſtoque, & aucto numero, opus effeciſſe in quinque millia notarum.

2. *Puer notarum præpetum.*] Carmen eſt Iambicum dimetrum.

3. *Præpetum.*] Velocium, quibus velociter ſcribitur.

4. *Bipatens pugillar.*] *Pugillares* & *pugillaria* numero multitudinis vulgò leguntur: at *pugillar* in ſingulari raro invenias. De pugillaribus vide Agell. lib. 17. c. 9.

5. *Punctis.*] Notulis inſtar punctorum minutis.

6. *Nec occupatur.*] Sic Tollius ex Voſſiano MS. & quibuſdam vett. editt. plano ſatis & aperto ſenſu: nec ſuo tamen ſen-

Et

Et mota parce dextera
Volat [1] per æquor cereum.
Quum maximè nunc proloquor
Circumloquentis ambitu,
Tu ſenſa noſtri pectoris
[2]Ut dicta jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dediſſet mens mea,
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
[3] Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum abſolverit?
Doctrina non hæc præſtitit:
Nec ulla tam velox manus

Interpretatio.

Et manus tua *leviter agitata currit per planitiem ceream. Nunc cum imprimis loquor circuitu circumloquentis, tu jam habes* notatas *in tuis pugillaribus cogitationes mei animi; perinde ac* ſi jam *prolatæ eſſent. Cuperem* ut meus *animus mihi conceſſiſſet cogitare æquè celeriter, ac tu me dicentem antevertis curſu manus volucris. Quis, oro, quis revelavit* tibi *mentem meam? quis jam tibi aperuit ea, quæ meditabar loqui? qualia furta* tua *prepes manus perpetrat in imo* meo *pectore? quænam eſt hæc tam nova rerum diſpoſitio, ut id perveniat ad tuas aures, quod* mea *lingua necdum peregit? Non ſcientia tibi tribuit iſta: neque eſt ulla* alia *dextra adeò ve-*

Notæ.

ſu caret, quod eſt in quibuſdam aliis *nec aucupatur*; id eſt, non divinas ſcribendo, neque arripis quod tibi primum in mentem venit, quod faciunt ii, qui cum celerius dictantis verba elapſa ſunt, aucupantur extremos eorum ſonos, & conſona quædam iis, ſæpè valdè abſurda, ſcribunt.

1. *Per æquor cereum.*] Per planitiem pugillarium cerâ illitam. Titinnius apud Chariſium:

Velim ego oſſe arare campum cereum.

2. *Ut dicta*] Sic Tollius: in vulgatis *vix dicta*; quod non ſperno. Huc pertinent iſta Manilii Aſtronom. l. 4. ubi de eo qui ſub Virginis ſigno natus ſit:

Hic & ſcriptor erit felix, cui littera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.
Excipiet longas nova per compendia voces.

3. *Veniat in aures ut tuas, quod lingua nondum abſolverit.*] Martial. l. 14. epig. 208.

Notarius

Currant verba licet, manus eſt velocior illis:
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

Digitized by Google

[1] Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deuſque donum tradidit:
Quæ loquerer ut ſcires prius:
Idemque velles, quod volo.

Interpretatio.

lueris ad currendum compendii cauſa. Natura, & Deus, dederunt tibi hanc dotem, & hoc *munus: ut noſſes quæ dicerem, antè* quàm ea dixiſſem: *& idem intenderes, quod* ego *intendo.*

Notæ.

1. *Celeripedis compendii.*] *Celeripes* qui pedes habet celeres apud Ciceronem epiſtolarum ad Atticum libro nono: *Venit autem eo ipſo die ille celeripes, quem Salvius dixerat. Attulit uberrimas tuas litteras.*

AUSONII

BURDIGALENSIS

EPIGRAMMATA IV.

QUIBUS

FASTORUM A SE DIGESTORUM

MEMINIT.

[1] *Auſonius Heſperio filio ſalutem.* I.

147 IGnota [2] æternæ ne ſint tibi tempora Romæ,
Regibus, & Patrum ducta ſub imperiis,
[3] Digeſſi Faſtos, & [4] nomina [5] perpetis ævi
Sparſa jacent Latiam ſi qua per hiſtoriam.

INTERPRETATIO.

Ne anni Romæ immortalis, tranſacti ſub Regibus, & ſub authoritate Senatorum ſint tibi incogniti, diſpoſui ordine *Faſtos, & nomina temporum continuâ ſerie ductorum: quæcunque*

NOTÆ.

1. *Auſonius Heſperio, &c.*] In quibuſdam codicibus legitur hæc epigraphe: *De ſuo faſtorum libro ad Gregorium.* In aliis *Concluſio. Auſonius Heſperio filio ſalutem.* Unde patet verſus hos in fine Faſtorum, quorum hic meminit, ſcriptos fuiſſe. Heſperius porrò hic Auſonii fuit ex Sabinâ conjuge filius, ut patebit ex dicendis ad carmen 9. parentalium.

2. *Æternæ, &c. Romæ.*] Epitheton urbis dominæ frequens apud Ovidium, Julium, Frontinum, Marcellinum, & alios. Æterni quoque dicti Rom. Imperatores. Symmach. ep. 4. ad Auſon. *Quum æternorum Principum jam pridem ſigna comitarer.*

3. *Digeſſi Faſtos.*] Periêre Auſoniani illi Faſti, ſive metris, ſive proſâ oratione ſcripti; nec de iis quidquam ad nos pervenit, præter hæc quatuor epigrammata.

4. *Nomina perpetis ævi.*] Id eſt, nomina Conſulum cæterorumque Magiſtratuum, atque etiam Imperatorum; qui per ævum illud rem Romanam adminiſtrarunt.

5. *Perpetis ævi.*] Id eſt, *perpetui, continui:* quidam *præpetis* legunt, hoc eſt *velocis:* quod quamvis ævo, ſeu tempori, ſatis conveniat, minus tamen quadrat huic loco, quam *perpetis.*

Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obſequitur ſtudio noſtra lucerna tuo.
Tu quoque [1] venturos per longum confere Janos,
Ut mea congeſſit pagina præteritos.
[2] Exemplum jam patris habes : [3] ut protinus & te
Aggreget Auſoniis purpura conſulibus.

Interpretatio.

ſunt diſperſa per hiſtoriam Romanam. Fruere his, cape lucubrationes factas à nobis vigilando per noctes. Lampas mea obſecundat tuo ſtudio. Tu etiam collige annos futuros in multum ævum, quemadmodum mea charta collegit ante actos. Nunc habes exemplum patris : ut purpura te etiam mox conſociet Conſulibus Romanis.

Notæ.

1. *Venturos per longum confere Janos.*] Id eſt, diu vive, & multos annos vitæ numera. *Jani* pro annis ſynecdoche partis pro toto.

2. *Exemplum jam patris habes, &c.*] Codex Tillii à Vineto citatus diſtichum hoc ſic legit :

Exemplo confide meo. Sic protinus & te
Explicet Auſoniis purpura conſulibus.

3. *Ut protinus & te aggreget Auſoniis, &c.*] Id eſt, ut tu quoque dein poſt me Conſul fias. Votum eſt patris, quod in filio adimpletum non fuit. Proconſulem factum eſſe probat Auſonii noſtri Epicedium in Julium patrem : ſed obtigiſſe ei conſulatum, nihil eſt unde conjici poſſit.

Supputatio ab Urbe condita in conſulatum noſtrum. II.

148 [1] Annis undecies centum conjunge quaternos,
[2] Undecies unumque ſuper, [3] trieterida necte.
Hæc erit æternæ ſeries ab origine Romæ.

Interpretatio.

Adde quatuor annos *mille & centum annis, & præterea undecies unum, junge tres annos. Hic erit numerus à primordiis Romæ immortalis.*

Notæ.

1. *Annis undecies centum, &c.*] Si numeros hoſce omnes in unum colligas, efficientur mille centum & octodecim anni ab Urbe condita ad Auſonii conſulatum; ut patet ex hoc ſchemate: qui numerus etiam ex ſequenti epigram. colligitur. At plures ab U. C. ad Auſonium Conſulem anni in Faſtis Conſularibus Sigonii, Haloandri, Onuphrii, aliiſque vulgatis numerantur. Hi enim Decium Auſonium Magnum cum Hermogeniano Olybrio Conſulem exhibent anno U. C. 1132. milleſimo centeſimo triceſimo ſecundo, Chriſti 379°. Sed cum de conditæ Romæ tempore inter auctores non ſatis conſtet, aliique maturius, alii tardius conditam exiſtiment; non mirum ſi Auſonii rationes cum noſtris Faſtis non congruant. Eratoſthenes, Pomponius Atticus, M. Tullius, Cornel. Nepos, quos Chronographi noſtri ſequuntur, Romæ incunabula ſtatuunt circa Olympiadem ſextam, aut ſeptimam. Alii, quos ſequutus videtur Auſonius, tardiùs paulò conditam Urbem memorant; ut Fabius Pictor Olymp. 8. Lucius Cincius Olymp. 12.

1100
4
11
3
1118

2. *Undecies unumque.*] Et undecies unum, hoc eſt undecim

3. *Trieterida.*] Spatium trium annorum. Græcum eſt Τριετηρίς.

De eodem ad Proculum. III.

149 Urbis ab æternæ deductam rege [1] Quirino
Annorum ſeriem quum, [2] Procule, accipies;
Mille annos, centumque, & bis fluxiſſe novenos
Conſulis Auſonii nomen aduſque leges.
Fors erit, ut, luſtrum quum ſe cumulaverit iſtis,
Confectam Proculus [3] ſignet Olympiadem.

Interpretatio.

Procule, quando diſces ordinem annorum tractum à Romulo rege immortalis civitatis; leges mille, & centum, & octodecim annos elapſos fuiſſe uſque ad annum inſignitum nomine Auſonii Conſulis. Fortaſſe eveniet, ut poſtquam ſpatium unius Olympiadis ſuperadditum fuerit his, Proculus denominet extremum annum illius.

Notæ.

1. *Quirino.*] Romulo.

2. *Procule.*] Is eſt de quo epig. 34. ad libellum ſuum.

3. *Signet.*] Suo nomine; cum erit Conſul: quem tamen conſulatum ei auguratur Auſonius, aſſecutus non eſt Proculus iſte; neque inter conſules legitur ejus nomen.

Digitized by Google

In fine ejuſdem libri additi. IV.

[1] HActenus adſcripſi Faſtos. Si ſors volet, ultra
Adjiciam: ſi non, qui legis, adjicies.
Scire cupis, qui ſim? [2] titulum qui quartus ab imo eſt,
Quære; leges nomen Conſulis Auſonii.

INTERPRETATIO.

Adnotavi hucuſque Faſtos. Si fatum ſinat, addam adhuc: ſin autem *minus, tu qui legis, addes. Viſne noſſe quis* ego *ſim? inveſtiga titulum qui quartus eſt ab ultimo: leges nomen Conſulis Auſonii.*

NOTÆ.

1. *Hactenus.*] Ad annum (ut videtur) ab U. C. juxta Auſonii calcul. MCXXIII. Quatuor enim poſt ſe Conſules in ſuis Faſtis ſcriptos innuit hoc epigram. ſe verò anno U. C. MCXIX. epigram. ſuperiori.

2. *Titulum, qui quartus ab imo eſt.*] Id eſt aſcendendo ab extremo Conſulum titulo, ſurſum verſus. Si quatuor Conſules præter ipſum extremum numeres, quartus erit Auſonius horum Faſtorum ſcriptor. Hinc patet quamobrem epigram. ſuperiori ſcripſerit:

Fors erit, ut, luſtrum cum ſe cumulaverit iſtis,
Confectam Proculus ſignet Olympiadem.

Ab Auſonio ſcilicet Conſule jam quartus agebatur annus, & Conſules ad eum uſque annum, ejus Faſtis comprehenſi: ſupererat igitur, ut amico Proculo conſulatum in quintum annum, qui proximè ſequuturus erat, auguraretur.

AUSONII
BURDIGALENSIS
[1]EPHEMERIS,
ID EST,
Totius diei negotium.

151 MAne jam clarum reſerat feneſtras.
Jam ſtrepit nidis [2] vigilax hirundo.
Tu velut [3] primam, mediamque noctem,
[4] Parmeno, dormis.

[5] Dormiunt glires hyemem perennem:
Sed cibo parcunt; tibi cauſa ſomni,
[6] Multa quod potas, nimiaque tendis
Mole ſaginam.

Indè nec flexas ſonus intrat aures:
Et [7] locum mentis ſopor altus urget,

INTERPRETATIO.

Jam diluculum lucidum aperit feneſtras. Jam hirundo vigil garrit in nidis. Tu verò, *ô Parmeno, ſtertis quaſi in prima aut media parte noctis. Glires dormiunt per totam hiemem: aut abſtinent cibo. Tu* ſic *dormis; quoniam plurimum bibis, & diſtendis arvinam in nimiam craſſitiem. Hinc* eſt, quod *ſtrepitus non penetrat aures* tuas *ſinnoſas: & profundus ſomnus premit*

NOTÆ.

1. *Ephemeris.*] Græcum eſt ἐφημερὶς ſignificatque *diarium*, quò omnium unoquoque die geſtorum ratio conſtat. Hac Ephemeride Auſonius diverſi generis verſibus complexus fuerat totius diei negotia: ſed ejus pars magna intercidit.

2. *Vigilax*] Columella l. 7. cap. 12. de canibus: *Maximè autem debent in cuſtodia vigilaces conſpici, &c.*

3. *Primam mediamque noctem.*] Quo tempore altiſſimus eſt ſomnus.

4. *Parmeno.*] Appoſitè confictum nomen pigro famulo, quaſi à Græco παραμένειν, *permanere, ceſſare.*

5. *Dormiunt glires hyemem perennem.*] Martialis l. 13°. epigrammatum cui *Xenia* nomen eſt, epig. 59. de glire:

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Vide Plin. l. 8. cap. 57.

6. *Multa quod potas.*] Multum, nimium.

7. *Locum mentis.*] Caput, cerebrum.

Nec coruſcantis oculos laceſſunt
Fulgura lucis.

[1] Annuam quondam [2] juveni quietem,
Noctis & lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, [3] cui Luna ſomnos
Continuarit.

Surge, nugator lacerande virgis:
Surge; [4] ne longus tibi ſomnus, undè
Non times, detur: rape membra molli,
Parmeno, lecto.

Fors & hæc ſomnum tibi cantilena
Sapphico ſuadet modulata verſu.
[5] Lesbiæ depelle modum quietis
[6] Acer Iambe.

Interpretatio.

ſedem animi tui, *& ſplendor diei micantis non ſollicitat tua lumina. Fabulæ attribuunt olim ſomnum unius anni, durantem per vices diei & noctis*, cuidam *adoleſcenti, cui Luna produxerit ſoporem. Conſurge* heus *nugo, digne qui lanieris flagris; conſurge: ne diutinus ſopor tibi accerſatur, undè non metuis.* Heus *Parmeno, aufer* ocyùs *tuos artus è molli cubili. Forſan & hæc cantio expreſſa carmine Sapphico invitat te ad ſoporem. Iambe mordax diſcute longitudinem ſomni Lesbio* carmine conciliati.

Notæ.

1. *Annuam quietem.*] Nec annuam modo, ſed (ſi Mythicis credamus) perpetuam; aut ſaltem, ut quidam volunt, triginta annorum.

2. *Juveni.*] Endymioni paſtori, Athlii filio.

3. *Cui Luna ſomnos continuarit.*] Ejus videlicet amore capta, & quò faciliùs liberiùſque eo potiretur. Alii Endymionem ipſum aiunt, cum ei Luna à Jove impetraſſet, ut quidquid optaret, id ferret; optaſſe ut perpetuum dormiret ſomnum ἀθάνατος καὶ ἀγήρως μένων immortalis manens & ſenii expers. De eo Cicero Tuſculan. Quæſt. l. 1. *Endymion verò, ſi fabulam audire volumus, neſcio quando in Latmio obdormivit, qui eſt mons Cariæ: nondum, opinor, eſt experrectus.* Hinc adagium, Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδειν, *Endymionis ſomnum dormire*, in eos, qui ſomno atque otio nimis indulgent. Locum Endymionis fabulæ dediſſe ait Plin. l. 2. c. 9. quòd ipſe omnium primus Lunæ curſum & phaſes varias contemplatus fuerit, ideoque creditus fuerit ejus amaſius.

4. *Ne longus tibi ſomnus, undè non times, detur.*] Somnus nempè mortis, ſævioribus verborum ictibus inductus. Deſumpſit hæc Auſonius ex hac ſtrophe Horatii lib. 3. od. 11. ad Mercurium, ubi de Hypermneſtra maritum monente, cum cæteræ ſorores ſuos conjuges interficerent:

> *Surge, quæ dixit juveni marito,*
> *Surge; ne longus tibi ſomnus, undè*
> *Non times, detur: ſocerum & ſceleſtas*
> *Falle ſorores.*

5. *Lesbiæ, &c. quietis.*] Somni quem inducit huic nebuloni ſuavitas verſuum Sapphicorum, quibus eum compello; cujuſmodi verſus Sappho Lesbia puella invenit.

6. *Acer Iambe.*] Iræ & rabiei miniſter. Horat. in arte Poëtica:

> *Archilochum proprio rabies armavit*
> *Iambo.*

[1] *Item*

[1] *Item Parecbaſis.*

152 PUer eja ſurge: & calceos,
[2] Et linteam da ſindonem.
Da, quidquid eſt, amictui
Quod jam paraſti, ut prodeam.
Da rore fontano abluam
Manus, & os, & lumina.
Pateatque, fac, [3] ſacrarium
Nullo paratu extrinſecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia eſt.
Nec tus cremandum poſtulo,
[4] Nec liba cruſti mellei:
[5] Foculumque vivi ceſpitis
[6] Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus eſt mihi,
Ac filius ſummi Dei,
Majeſtas uniuſmodi,
Sociata ſacro [7] Spiritu.
Et ecce jam vota ordior:
Et cogitatio, numinis

INTERPRETATIO.

Heus puer ſurge: cedo meos *calceos, & tunicam linteam. Cedo id omne, quod jam præparaſti ad* me *veſtiendum, ut egrediar* domo. *Cedo aquam fontanam, quâ lavem manus, & os, & oculos. Et aperi* mihi *ſacellum, abſque ullo apparatu foris quæſito. Voces piæ & vota innocua abundè ſunt ad remdivinam* faciendam. *Non peto tus adolendum, neque liba quibus ſit cruſtum mellitum: & permitto aris inanium* Deorum *focum ſtructum è ceſpite virenti. Deus eſt mihi orandus, & Natus ſupremi Dei, cui æqualis eſt* cum eo *majeſtas juncta Sancto Spiritui. Atque en nunc initium*

NOTÆ.

1. *Item parecbaſis.*] Digreſſio, à Sapphico nempè carmine ad dimetrum Iambicum.

2. *Et linteam da ſindonem.*] Tunicam interiorem linteam, *chemiſe.*

3. *Sacrarium.*] Locus erat in ædibus, Numinis cultui dicatus, nec apud Chriſtianos tantum, ſed & apud Paganos; quibus Lararium vulgò dicebatur, à Laribus domeſticis Diis in eo incluſis.

4. *Nec liba, &c.*] Cujuſmodi rebus Deos ſuos propitiare Pagani ſolent.

5. *Foculumque vivi ceſpitis.*] Horat. l. 1. od. 19.

Hic vivum mihi ceſpitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraque;
Bimi cum patera meri.
Mactatâ veniet lenior hoſtiâ.

6. *Vanis altaribus.*] Altaribus Paganorum, quibus vana Numina coluntur.

7. *Spiritu.*] Dativus quartæ declinationis, pro *ſpiritui*; de quo Priſcianus in fine l. 7. Exempla non pauca protulimus in noſtris ad Apuleium notis. Satis ſint hic duo hæc; alterum Lucillii apud Nonium:

Quod ſumptum atque epulas victu præponis honeſto.

alterum Catulli, in nupt. Pelei, & Thet.

—— *Et ſeſe mortali oſtendere cœtu*
Cælicolæ nondum ſpretâ pietate ſolebant.

Præſentiam ſentit pavens.
[1] Pavetne quidquam ſpes, fides?

INTERPRETATIO.

facio orandi: & mens mea *jam ſentit præſentiam Dei, ſibi timens.* At *ſpes & fides metuuntne aliquid?*

NOTÆ.

1. *Pavetne quidquam ſpes, fides?*] Sic reſtituit hunc verſiculum Tollius. Monet tamen recentiori eum manu ſcriptum fuiſſe in optimo codice; unde ſibi meritò ſuppoſitionis ſuſpectum. Habuit Vinetus in ſuo ad marginem; *pavet neme quam ſpes fides;* nullo ſenſu.

Oratio.

153 [1] OMnipotens, ſolo mentis mihi cognite cultu,
Ignorate malis, & nulli ignote piorum:
Principio, extremoque carens; antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet, cujus formamque modumque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem ſolus, coramque audire jubentem
Fas habet, & patriam propter conſidere dextram,
Ipſe opifex rerum, [2] rebus cauſa ipſe creandis,
Ipſe Dei Verbum, Verbum Deus, anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus antè
Quam jubar, [3] & rutilus cælum illuſtraret Eous:
[4] Quo ſine nil actum, per quem facta omnia: [5] cujus

INTERPRETATIO.

O tu *qui cuncta vales, quem novi tantum adoratione animi, quem improbi neſciunt, & quem nemo proborum ignorat: qui neque initium habes, neque finem: vetuſtior tempore, quod preterit, vel quod futurum eſt: cujus imaginem & magnitudinem neque animus valebit comprehendere, neque lingua exprimere: quem videre, & cujus juſſa manifeſto audire, & ſedere ad dextram paternam ei ſoli licet, qui formator eſt rerum omnium, & cauſa cur create ſint,* qui *ipſe Verbum* eſt *Dei,* & *Verbum Deus, prior orbe, quem erat conditurus: illo tempore genitus, quo tempus nondum extabat: productus priuſquam ſol, & lucidus Eous illuminaret cælum: ſine quod nihil factum* eſt *: per quem cuncta* ſunt *creata: cujus thronus* eſt *in cælo: cui ſedenti tel-*

NOTÆ.

1. *Omnipotens, &c.*] Perelegantis hujus precationis auctorem Paulinum, in particulâ quâdam MS. exemplaris Hieronymi Aleandri inſcriptum, vidiſſe ſe teſtatur Mariang. Accurſius: vulgò tamen Auſonio attribuitur. Et certè niſi tota Ephemeris Auſonii negetur eſſe, non video cur hæc ejus pars, cum cæteris tam benè congruens, ipſi abjudicetur. Scripta porrò lectio eſt Lugdunenſis exemplaris. Alia ſic habent teſte Vineto, *Precatio matutina ad omnipotentem Deum:*

Omnipotens, quem mente colo, pater unice rerum, &c.

2. *Rebus cauſa ipſe creandis, &c.*] Vide Nicænum ſymbolum.

3. *Et rutilus Eous.*] Lucifer. Cinna in Smyrna:

Te matutinus flentem conſpexit Eous.
Et flentem paulo vidit poſt Heſperus idem.

4. *Quo ſine nil actum.*] Deſumpta hæc ex initio Evangelii D. Joannis.

5. *Cujus in cælo ſolium, cui ſubdita terra ſedenti.*] Eſaias cap. 66. *Cælum ſedes mea*

In cælo ſolium : cui ſubdita terra ſedenti ,
Et mare , [1] & obſcuræ chaos [2] inſuperabile noctis :
Irrequies, cuncta ipſe movens, vegetator inertum :
Non genito genitore Deus , qui [3] fraude ſuperbi
Offenſus populi, [4] gentes in regna vocavit ,
[5] Stirpis adoptivæ meliore propage colendus :
Cernere quem licuit [6] proavis : [7] quo Numine viſo ,
Et Patrem vidiſſe datum : contagia noſtra
Qui tulit , & diri paſſus ludibria leti ,
Eſſe iter æternæ docuit remeabile vitæ :
Nec ſolam remeare animam, ſed corpore toto
Cæleſtes intrare plagas , & inane ſepulchri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
  Nate Patris ſummi, noſtroque ſalutifer ævo ,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes ,
Nil ex invidia retinens, plenuſque datorum ;
Pande viam precibus , patriaſque hæc perfer ad aures.
  Da Pater invictam contra omnia crimina mentem ,

INTERPRETATIO.

lus eſt ſuppoſita , ſicut *& mare , & immenſa abyſſus atra caliginis : ſemper agens , ipſe agitans omnia , vigorem dans rebus ſegnibus ; Deus* genitus *à Patre non genito , qui iratus ob dolum populi arrogantis , accivit nationes in ſuum regnum , adorandus à præſtantiore ſobole filiorum* à ſe *adoptatorum : quem videre datum eſt* noſtris *proavis : quo Deo viſo , permiſſum eſt etiam aſpicere* ejus *Patrem : qui ſuſtinuit peccata noſtra , & perpeſſus ignominiam mortis crudelis , demonſtravit viam patere ad redeundum in vitam æternam : ac non ſolam animam reverti , verùm eam ingredi in regiones cæleſtes* unà cum *toto* ſuo *corpore ; & relinquere telluri , quam deſerit , vacuum capulum tumuli contectum.*

O fili ſupremi Parentis , qui ſalutem attuliſti noſtro ſeculo , cui Pater dedit univerſas dotes paternas , nihil reſervans ex invidiâ , & adhuc abundans iis quæ tibi *dedit ; patefac iter* meis *precibus , atque hæc defer ad aures* tui *Parentis.*

O Pater tribue mihi *animum infractum adverſus cuncta ſcelera , & depelle à me noxium virus*

NOTÆ.

eſt , dicit Dominus ; terra autem ſcabellum pedum meorum.

1. *Et obſcuræ chaos inſuperablile noctis.*] Inferna terræ loca intellige , erebum paganorum.

2. *Inſuperabile.*] A luce ; quo ſolis lumen pervadere nequit.

3. *Fraude ſuperbi populi.*] Judæorum , qui Dei populus præcipuo jure erant ; quo quidem jure perfidiâ ſuâ exciderunt , & gentes in eorum locum ſunt vocatæ. Vide Paulum epiſt. ad Romanos , & Act. Apoſt. cap. 11.

4. *Gentes.*] Cæteras nationes, quæ ex Judæorum genere non erant.

5. *Stirpis adoptivæ.*] Vide Paul. epiſt. ad Rom. c. 11. ubi de oleaſtro fractis oleæ ramis inſito.

6. *Proavis.*] Inter quos ſub humanâ carne converſatus eſt.

7. *Quo Numine viſo , & Patrem vidiſſe datum.*] Evang. Joan. cap. 14. *Dicit ei Philippus : Domine oſtende nobis Patrem , & ſufficit nobis. Dicit ei Jeſus : tanto tempore vobiſcum ſum , & non cognoviſtis me ? Philippe , qui videt me , videt & Patrem.*

Vipereumque neſas nocituri averte veneni.
Sit ſatis, antiquam ſerpens quod perdidit Evam,
Deceptumque adjunxit Adam: nos ſera nepotum
Semina, veridicis ætas prædicta Prophetis,
Vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis,
Pande viam, quæ me poſt vincula corporis ægri
In ſublime ferat: puri qua [1] lactea cæli
Semita [2] ventoſæ ſuperat vaga lumina Lunæ.
Qua [3] proceres abiere pii, quaque [4] integer olim
Raptus quadrijugo penetrat ſuper æthera curru
Helias, [5] & ſolido cum corpore prævius Enoch.
Da Pater æterni [6] ſperatam luminis auram:

INTERPRETATIO.

ſceleris ſerpentini. Sufficiat quod anguis peſſumdedit priſcam Evam, eique *addidit Adam circumventum: nos tarda proles* ejus *nepotum, progenies prænunciata à vatibus veracibus, effugiamus pedicas, quas ſerpens mortifer nectit. Aperi iter, quod poſt compedes miſeri* hujus *corporis deducat me ſurſum, quâ* parte *via lactea cæli tranſcendit erraticum ſidus Luna ventoſa; quâ pii Patriarchæ evaſerunt, & quâ totus Helias meavit quondam ſupra æthere, ſublatus curru quadrijugo, & Enoch qui* eum *præceſſit cum integro corpore.*

Tribue mihi, *ô Pater, auram expectatam lucis* æternæ: *ſi non juro per numina lapidea, &*

NOTÆ.

1. *Lactea cæli ſemita.*] Proclo, ὁ κύκλος τοῦ γάλακτος. Vid. Ovid. l. 2. Metam.

2. *Ventoſa ſuperat vaga lumina Lunæ.*] Sic Scaligerana editio, quam malè ſollicitat Tollius, reponendo *nubila* pro *lumina*. Quid enim ſibi volunt *nubila luna*? Ejus porrò *lumina* rectè *vaga* hìc appellantur, cum ex planetis nullus ſit, cujus error oculis noſtris ſit magis obvius. Ventoſa autem dicitur luna, quod rubore ſuo ventos prænuntiet. Aratus:

Καί οἱ ἐπὶ χροιῇ τεκμαίρεο μηνὸς ἑκάστου.
Πάντη γὰρ καθαρῇ κε μάλ' εὔδια τεκμήραιο
Πάντα δ' ἐρευθομένῃ δοκέειν ἀνέμοιο κελεύθους,
Ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένῃ, δοκέειν ὑετοῖο.

Id eſt:

Atque ex ejus (Lunæ) *colore ſigna capeſſe menſis cujuſque.*
Omninò enim pura cum ſit, ſerenitatem obſervato.
Omnino verò rubens, conjicito venti meatus:
Aliàs aliter nigricans, conjicito pluviam.

Quod Virgil. ſic expreſſit Georg. 1.

Luna revertentes cùm primùm colligit ignes:
Si nigrum obſcuro comprehenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber:
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento ſemper rubet aurea Phœbe, &c.

3. *Proceres abiere pii.*] Sancti Patriarchæ.

4. *Integer olim raptus, &c. Helias.*] Regum lib. 4. cap. 2.

5. *Et ſolido cum corpore prævius Enoch.*] Non ille Caini filius, ſed Enoch alter de ſtirpe Seth, filius Jared, & pater Mathuſalem; de quo Geneſ. cap. 5. verſ. 24. *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus.*

6. *Speratam.*] Sic Grævius repoſuit pro *ſpiratam*, quod vulgo legitur.

[1] Si lapides non juro Deos, unumque [2] verendi
Suſcipiens altare ſacri, libamina vitæ
Intemerata fero: ſi te Dominique, Deique
Unigenæ cognoſco Patrem, [3] miſſumque duobus,
[4] Qui ſuper æquoreas volitabat Spiritus undas.
Da genitor veniam, [5] cruciataque pectora purga:
Si te [6] non pecudum fibris, non ſanguine fuſo
Quæro: nec arcanis [7] Numen conjecto ſub extis:
[8] Si ſcelere abſtineo, errori obnoxius, & ſi
Opto magis, quàm fido, bonus puruſque probari.
Confeſſam dignare animam: ſi membra caduca
Execror, & tacitum ſi pœnitet: altaque ſenſus
Formido excruciat, tormentaque ſera [9] gehennæ

Interpretatio.

veneraus tantùm unam aram, in quâ exhibetur ſacrificium tremendum, offero ibi *ſacrificium vitæ integræ: ſi agnoſco te parentem Domini & Dei noſtri unigeniti, & Spiritum emiſſum ab ambobus, qui ferebatur ſupra aquas maris Ignoſce* delictis meis, *ô Pater, & munda cor* meum: *ſi te non inveſtigo in fibris* pecorum, *neque in* eorum *cruore effuſo: neque ſuſpicor Deum la*tere *ſub occultis viſceribus: ſi contineo me à crimine*, licet ſim *expoſitus errori: ſive adeò cupio potius, quam confido haberi probus, & intemeratus. Recipe in tuam clientelam animam tibi devotam: ſi deteſtor* hos *artus mortales, ac ſi pœnitet me interius: & ſi gravis metus torquet* meos

Notæ.

1. *Si lapides non juro Deos.*] Si non juro per Deos lapideos, quales colebant Pagani. Jusjurandum porro actus cum ſit religioſus, non debet à quoquam fieri niſi per eum Deum, quem colit, & ſummi Deorum hîc honor eſt proprius; ut ait Apul. in *de Deo Socratis.* Reſpexiſſe videtur Auſon. ad *Jovem lapidem*, per quem jurabant antiqui. Favorinus apud Gell. l. 1. c. 21. *Jovem lapidem, quod ſanctiſſimum juſjurandum eſt habitum, paratus ſum ego jurare, &c.* Apuleius noſter dicto loco: *Quid igitur cenſes? jurabo per Jovem lapidem, Romano vetuſtiſſimo ritu?* ubi vide notas noſtras. Et Eraſmum Chiliad. 2. cent. 6. adagio *Jovem lapidem jurare.*

2. *Verendi altare ſacri*] Aram in quâ offertur verendum ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.

3. *Miſſumque duobus.*] Sic Grævius pro *miſtumque duobus.* Notum ex Theologiâ Spiritum Sanctum, à Patre & Filio procedentem, ab utroque mitti.

4. *Qui ſuper æquoreas.*] Vide Geneſ. cap. 1. verſ. 2.

5. *Cruciata.*] Pravis affectibus.

6. *Non pecudum fibris.*] Paganorum haruſpicinam carpit

7. *Numen.*] Numinum præſagia. Vide Apul de Deo Socratis.

8. *Si ſcelere abſtineo.*] Hiatus eſt in penthemimeri, quem alii aliter ſupplent: nihil ego interſeruerim. Non videtur hic hiatus ab Auſonianâ licentiâ valdè alienus; cum breves ſyllabas ab eo productas, & longas correptas jam obſervavetimus, & exempla non pauca ſimilis hiatus ex ipſo Virgilio proferre facilè ſit. Hæc plurium inſtar ſunto. Eclog. 3.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Item:

Stant & Juniperi, & caſtanea hirſuta.

& Georg. 1.

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur.

9. *Gehennæ.*] Sæpius occurrit in ſacris libris hæc vox: erat porro *Ghe-Hinnom* vallis ad radices montis Moria haud procul Hieruſalem; in quâ, rejecto veri Dei cultu, filios ſuos Baalim immolabant & incendebant. Unde & locus, in quo torquen-

Digitized by Google

Anticipat, [1] patiturque ſuos mens ſaucia manes.
Da, Pater, hæc noſtro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiamque nihil: ſatis hoc rear eſſe,
Quod ſatis eſt. Nil turpe velim: nec cauſa pudoris
Sim mihi. Non faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi. Nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio: paullum diſtare videtur
Suſpectus verèque reus. Male poſſe facultas
Nulla ſit: at benè poſſe adſit tranquilla poteſtas.
Sim tenui victu, atque habitu. Sim carus amicis.
[2] Et ſemper genitor, ſine vulnere nominis hujus.
Non animo doleam, non corpore: cuncta quietis
Fungantur membra officiis: nec ſaucius ullis
Partibus amiſſum quicquam deſideret uſus.
Pace fruar. Securus agam. [3] Miracula terræ
Nulla putem. [4] Suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem benè conſcia vita, nec optet.
Purus ab occultis quum, te indulgente, videbor,

INTERPRETATIO.

ſenſus, & prævertit tardas pœnas inferni, atque animus meus *læſus experitur ſuos cruciatus. Concede Pater, meis precibus, ut hæc vota firma fiant,* ut *nihil timeam, & nihil optem: exiſtimem id mihi ſufficere, quod* revera *ſufficit. Nihil fœdum cupiam: neque* ego *quidquam admittam, cujus poſtmodum me pudeat. Nemini faciam, quæ tum temporis nolim mihi ipſi fieri. Neque inquiner vero ſcelere, neque aſpergar ambiguo: videtur parum intereſſe inter ſuſpectum* criminis, *& verè ſontem. Nullam habeam poteſtatem malè agendi: ſed habeam ſecuram facultatem benè faciendi.* Contentus *ſim cibis, & veſtibus modicis. Diligar ab amicis* meis. *Et ſim ſemper pater, neque hoc nomen in me lædatur. Non ſim æger mente, neque corpore: omnia mea membra tranquillè faciant ſua officia: neque* eorum *uſus ullâ parte læſus quidquam amittat, aut ullâ re deficiat. Potiar quiete. Vivam tranquillè. Nihil exiſtimem admiratione dignum in terrâ. Quandò ultima hora mihi advenerit, vita* mea, *innocentiæ* ſuæ *certa, neque metuat, neque cupiat mortem. Spernam univerſa, quandò videbor mundatus à ſecretis* peccatis, *te* id mihi *concedente;*

NOTÆ.

di ſunt poſt mortem ſontes, Gehenna paſſim ab ipſo Chriſto Domino in Evangelio nominatur.

1. *Patiturque ſuos mens ſaucia manes.*] Id eſt ante tempus torquetur dolore & ſenſu ſcelerum ſuorum, ac cogitatione ſuppliciorum æternorum: quæ quidem cogitatio veluti umbra infeſta omnibus locis adeſt, & pœnas à me repoſcit, quales pati olim poſſem in Orco. Legit Turnebus l. adverſar. 22. c 1. *mens conſcia*, quod mihi magis probatur, quàm *ſaucia*: in confeſſo eſt apud omnes, ſcelerum conſcientiâ ſontes maximè torqueri.

2. *Et ſemper genitor ſine vulnere nominis hujus.*] Nomen genitoris vulnus patitur, cum moriuntur liberi, & orbatur pater. Igitur hic proli ſuæ incolumitatem precatur Auſonius.

3. *Miracula terræ nulla putem.*] Nihil in terreno hoc domicilio credam admiratione dignum: ſed, contemptis terrenis, ſemper anhelem ad cæleſtia.

4. *Suprema mihi cum venerit hora.*] Cum mortis tempus venerit. Deſumptum ex hoc Tibulli l. 1. eleg. 1.

Te ſpectem, ſuprema mihi cùm venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.

Omnia deſpiciam: fuerit quum ſola voluptas
Judicium ſperare tuum; quod dum ſua differt
Tempora, cunctaturque dies, procul exige ſævum
Inſidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, ſed mœſto trepidantia vota reatu,
[1] Chriſte, apud æternum placabilis aſſere Patrem,
Salvator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius, [2] ex vero verus, de lumine lumen,
Æterno cum Patre manens, in ſæcula regnans.
[3] Conſona quem celebrant modulati carmina David:
Et reſponſuris ferit aëra vocibus, Amen.

Interpretatio.

quando unicum meum gaudium erit ſperare tuum judicium: quod donec prorogat ſuam horam, & dies ejus moratur, arce longè dirum ſerpentem inſidias mihi *ſtruentem vitiis dulcibus. O Chriſte propitiator, corrobora coram Patre æterno hæc vota, pia quidem, ſed trementia ob culpas quibus contriſtor:* tu qui *es ſoſpitator* noſter, *Deus, & Dominus, animus, gloria tui Patris, Verbum, Filius, verus* Deus *ex vero* Deo, *lux ex luce* procedens, *habitans cum Patre æterno, regnans in æternum. Quem cantica concordantia Davidis dulce canentis* prædicant: & vox *Amen expreſſa clamoribus reſpondentium pulſat aërem.*

Notæ.

1. *Chriſte.*] Per quem reconciliationem accepimus, & habemus acceſſum ad patrem; ut ait Paulus.

2. *Ex vero verus, de lumine lumen.*] Sic Mariangelus Accurſius & Tollius ex altero Voſſiano codice. Vinetus habet: *Et vero verum de lumine lumen*: quod etſi ſenſu non careat, melius tamen convenit Tollii lectio cum hoc ſymboli Nicæni *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, & cum his Paſchalibus verſibus noſtri Auſonii:

> *Concedis terris totum ſimilemque, paremque*
> *Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.*

3. *Conſona quem celebrant modulati carmina David, &c.*] Sic repoſuit Vinetus ex antiquo codice. Cantabantur nimirum, ſicut etiamnum fit in cœtibus Chriſtianorum, Davidis Pſalmi, in quibus tot paſſim occurrunt de Chriſto vaticinia; atque in fine Pſalmorum plebs reſpondebat *Amen*. Huc faciunt illa Paulini in Nicetam:

> *Præcinet cunctis, tuba ceu reſultans,*
> *Lingua Niceta modulata Chriſtum:*
> *Pſallet alternis citharista toto*
> *Æquore David.*
> *Audient Amen tremefacta cete, &c.*

non omninò tamen improbandum cenſuerim veterem lectionem:

> *Conſona quem celebrat modulato carmine plebes.*

Egreſſio.

154 Satis precum datum Deo.
Quamvis ſatis nunquam [1] rei

Interpretatio.

Jam *ſatis precationum exhibitum* eſt *Deo* à me. *Quanquam nunquam ſatisfiat Deo precibus*

Notæ.

1. *Rei.*] A recto *reus*. Sic correxit Gronovius, quod in vulgatis legebatur *reis*.

Fiat precatu Numini.
[1] Habitum forenſem da puer.
Dicendum amicis eſt Ave,
Valeque; quod ſit mutuum.
[2] Quod quum per horas quattuor
Inclinet ad meridiem;
Monendus eſt jam [3] Soſias.

INTERPRETATIO.

peccatoris. Heus puer, eedo veſtem forenſem. Salutandi mihi *ſunt amici mei; quod reciproce fieri ſolet. Quoniam autem* ſol, *emenſis quatuor horis, jam vergit ad meridiem; nunc Soſias eſt mihi commonefaciendus.*

NOTÆ.

1. *Habitum forenſem.*] Togam, quâ induti cauſas in foro agebant. Nec in foro modò, ſed & totâ paſſim in urbe togæ uſus erat. De togâ vide Lazarum Bayſium *de re veſtiariâ*, cap. 9.

2. *Quod cum per horas quatuor inclinet ad meridiem.*] Si qua ſit hic lacuna (quod ſuſpicatur Vinetus) inter ſuperiorem verſum, *Valeque quod ſit mutuum;* & hunc, *quod cum per horas quatuor*, intelligendam eſſe exiſtimo. Satis enim cohærent hi duo verſus: *Quod cum per horas quatuor inclinet ad meridiem*, ſupple *ſol*, vel *dies*: nempè è ſex horis, quas veteres quâcunque anni tempeſtate numerabant ab ortu ſolis (unde diei ſumebant initium,) uſque ad meridiem, totidem à meridie ad occaſum ejus numerantes; quæque proinde æſtate longiores, hyeme breviores: ex aliis, inquam, ſex horis antemeridianis jam quatuor erant elapſæ, & ſol per quintam horam ad meridiem properabat; quod infra ait his verbis:

—— *Quartam jam totus in horam*
Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam.

3. *Soſias.*] Coquus de quo infra.

Locus invitationis.

155 TEmpus vocandis namque amicis appetit;
[1] Ne nos, vel illi, demoremur prandium:
Propere per ædes curre vicinas puer.
Scis ipſe, qui ſint: jamque dum loquor, redi.
Quinque advocavi. [2] Sex enim convivium

INTERPRETATIO.

Etenim hora inſtat invitandorum amicorum; ne aut nos, aut ipſi retardemus prandium: puer curre citò per propinquas domos. Tu noſti, quinam illi *ſint: & mox revertere, dum loquor. Invitavi*

NOTÆ.

1. *Ne nos.*] Amicum aliquem alloquitur, qui & ipſe cum aliis, quos puer monitum iverat, pranſurus erat. Eumdem amicum etiam alloquitur infra cum ait: *relicti nos ſumus cum Soſia.*

2. *Sex enim.*] Quinque ſcilicet invitati, & amicus ille de quo ſupra.

Sex enim convivium cum rege juſtum: ſi ſuper, convicium eſt.] *Convicium* hic ſtrepitum & clamorem ſignificat, & eſt dictum quaſi *convicium*. Vetus proverbium eſt *ſeptem convivium, novem convicium*; de quo Eraſmus Chiliad. 1. centuria 3. Hujus meminit Julius Capitolinus in vitâ L. Veri Imperatoris: *Et notiſſimum quidem*, inquit, *ejus fertur tale convivium, in quo primum duodecimus accubuiſſe dicitur; cum ſit notiſſimum dictum de numero convivarum: Septem convivium, novem verò convicium.* Varro tamen apud Gellium l. 13. c. 11. mi-

[1] Cum

[1] Cum rege juſtum: ſi ſuper, convicium eſt.
Abiit; relicti nos ſumus cum Soſia.

INTERPRETATIO.

quinque. Nam ſex unà cum convivatore efficiunt *legitimum convivium: ſi plures ſint, tumultus eſt. Exceſſit* ille; *nos remanſimus cum Soſia.*

NOTÆ.

nus anguſtos fines præſcribit convivarum numero. Dicit enim convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum; id eſt proficiſci à tribus, & conſiſtere in novem; ut cum pauciſſimi convivæ ſunt, non pauciores ſint, quàm tres: cum plurimi, non plures quàm novem.

1. *Cum Rege.*] συμποσιάρχον & βασιλέα atque etiam στρατηγὸν Græci dixére: Latini vulgo *Magiſtrum convivii.* Plautus in Sticho *ſtrategum*, Varro *Modimperatorem*, quod modum imperaret bibendi; Horatius *bibendi arbitrum.* Is forte lectus, talorum ſcilicet jactu, convivio præerat, & leges dabat bibendi. Horatius l. 1. od.

Nec regna vini ſortiere talis.

& l. 2. od. 7.

Quem Venus (is erat fauſtiſſimus talorum jactus) *arbitrum*
Dicet bibendi?

ſolebant & tenuioris fortunæ clientes, potentiores patronos; & paraſiti, eos qui ſe paſcerent, Reges appellare. Juven. ſat. 5.

Fructus amicitiæ magnæ cibus: imputat hunc Rex,
Et quamvis rarum, tamen imputat.

Plautus Menæchmis:

Paraſitus, qui ſuo regi tantum concivit mali.

Locus ordinandi coqui.

156 Soſia prandendum eſt. [1] Quartam jam totus in horam
Sol calet: [2] ad quintam flectitur umbra notam.
An vegeto madeant condita obſonia guſtu,
(Fallere namque ſolent) experiundo proba.
Concute ferventes palmis volventibus ollas,
Tinge celer digitos jure calente tuos:
Vibranti lambat quos humida lingua recurſu.
* * * * * * * * * * * *

INTERPRETATIO.

Soſia prandendum eſt. Jam ſol fervet totus incumbens *in horam quartam: umbra vergit ad quintam lineam. Explora guſtando, num cibi juruleuti ſint conditi ſubtili ſapore (ſolent enim fallere.) Agita manibus verſantibus ollas bullientes, intinge citò digitos tuos in jus fervens: quos* tua *lingua madida lingat celeri reflexu.* * * * * * *

NOTÆ.

1. *Quartam jam totus in horam ſol calet; ad quintam, &c.*] Id eſt, (ſi inæquales illas veterum horas ad noſtras utcunque revocare velimus) elapſa jam eſt hora decima matutina, & dies ad undecimam vergit.

2. *Ad quintam flectitur umbra notam.*] Umbra ſtyli in ſolario jam tendit ad lineam horæ quintæ, quæ horæ noſtræ circiter undecimæ antemeridianæ reſpondebat.

Deſunt multa.

* * * * * * * * * * * *

157 [1] QUadrupedum, & volucrum, vel cum terrena marinis
Monſtra admiſcentur: donec purgantibus Euris
Difflatæ liquidum tenuentur in aëra nubes.
[2] Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Viſitur: & turmas equitum, cædeſque latronum
Perpetior: [3] lacerat noſtros fera bellua vultus;
[4] Aut in ſanguinea gladio graſſamur harena.
Per mare naviſragum gradior pedes: & freta curſu
Tranſilio, & ſubitis volito ſuper aëra pennis.
Infandas etiam veneres, inceſtaque noctis
Dedecora, & [5] tragicos patimur per ſomnia cœtus.

INTERPRETATIO.

* * * *quadrupedum, atque avium, aut quando belluæ terreſtres conjunguntur marinis: quouſque nubila expulſa ventis* ea *converrentibus rareſcant in aërem clarum. Modò video fora, modò controverſias, modò magnificentiam ampli theatri: & patior catervas equitum, & ſtrages prædonum: beſtia crudelis laniat meam faciem, vel diſcurro cum enſe per harenam cruentam. Incedo pedibus per mare naufragum: & trajicio pelagus currendo, & volo ſuper aërem alis mihi repentè enatis. Perpetior quoque in ſomniis veneres illicitas, & obſcœna probra noctis, & funeſtos*

NOTÆ.

1. *Quadrupedum & volucrum, &c.*] Deſunt quamplurima huic ephemeridi, temporum injuriâ & incuriâ librariorum amiſſâ; ſi modo quod veriſimillimum eſt, totius diei negotium Auſonius in eâ complexus fuerit: deſunt quippè prandium, negotia reliquæ diei, cæna, & decubitus ad ſomnum capiendum. Qui enim ſequuntur verſus deſcriptionem habent ſomniorum, quæ inter dormiendum phantaſiæ obverſantur.

Quadrupedum & volucrum.] Ut conſtet his verbis ſenſus aliquis, intellige in prioribus verſibus, qui deſunt, inſtitutam fuiſſe ab Auſonio comparationem imaginum & formarum variarum (quæ ipſius menti inter dormiendum obverſari & mox evaneſcere ſolitæ erant) cum formis quadrupedum & volucrum, atque etiam monſtrorum quaſi ex marinis & terreſtribus belluis conflatorum; quæ nonnunquam in nubibus conſpiciuntur, ac mox vento nubes diſſipante, aut ſaltem earum ſitum mutante, evaneſcunt.

2. *Nunc fora, nunc lites.*] Aliud genus ſomniorum; cum videtur ſibi cauſas agere, aut audire in foro. Huc faciunt Lucretii verſus lib. 4.

Et quo quiſque ferè ſtudio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Atque in quâ ratione fuit contenta magis mens;
In ſomnis eadem, plerumque videmur obire:
Cauſidici cauſas agere, & componere leges;
Induperatores pugnare, ac prælia obire;
Nautæ contractum cum ventis cernere bellum.

3. *Lacerat noſtros fera bellua vultus.*] Mihi videor à beſtiâ aliquâ diſcerpi & laniari, ut amphitheatro damnati ad beſtias.

4. *Aut in ſanguinea, &c.*] Aut tanquam gladiator, mihi videor diſcurrere, & decertare in harenâ Amphitheatri, occiſorum ſanguine cruentatâ.

5. *Tragicos, &c. cœtus.*] Inceſtos & nefarios congreſſus; quales Oedipi cum Jo-

Perfugium tamen eſt, quotiens portenta ſoporum
Solvit rupta pudore quies, & imagine fœdâ
Libera mens vigilat: totum benè conſcia lectum
Pertractat ſecura manus: probroſa recedit
Culpa tori, & profugi [1] minuiſcunt crimina ſomni.
Cerno, triumphantes inter, me plaudere: rurſum
Inter captivos trahor exarmatus [2] Alanos.
Templa Deûm, ſanctaſque fores, palatiaque aurea
Specto, & [3] Sarrano videor diſcumbere in oſtro:
Et mox fumoſis conviva accumbo popinis.
[4] Divinum perhibent vatem, [5] ſub frontibus ulmi
Vana ignavorum ſimulachra locaſſe ſoporum,
[6] Et geminas numero portas: quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat ſuper aëra formas:
Altera quæ veros emittit cornea viſus.

INTERPRETATIO.

congreſſus. Habeo tamen aliquod *præſidium, quoties ſomnus abruptus pudore diſſipavit monſtra* illa *ſomniorum, atque animus* meus *vigilat ſolutus phantaſmate:* nempè *manus* mea *innocentiæ* ſuæ *certa tutò contrectat totum cubile: turpe crimen lecti evaneſcit, & minuuntur ſcelera ſomnii recedentis.* Poſteà *videor mihi plaudere inter triumphantes: deinde rapior inermis unà cum Alanis captivis. Aſpicio delubra Deorum & ſacras valvas, atque aureas Regias, & videor* mihi *recumbere in purpurâ Tyriâ: & paulo poſt diſcumbo compotator in cauponis fumoſis. Narrant divinum poëtam poſuiſſe inanes formas ſomniorum inertium ſub foliis ulmi unius, &* aſſignaſſe *eis duas numero januas: quarum altera quæ concamerata eſt ebore, volvit ſuper æthera ſimulacra ſemper mendacia: altera quæ ex cornu* conflata eſt, *effundit ſpecies veras. Quod ſi*

NOTÆ.

caſtâ matre, Myrrhæ cum patre Cynira, &c. ex quibus ſæpè tragœdiarum argumenta ſumuntur.

1. *Minuiſcunt.*] Sic Scaliger veterem lectionem emendavit *manus cum*, cujus nullus erat ſenſus.

2. *Alanos.*] Alani; *ἀλάνυοι* Ptolemæo qui eos, ſicut & Plinius, Sarmatiæ Europææ populos facit. Cum his & Gothis Sarmatiſque frequentia erant, Auſonii ætate, Imperatoribus Romanis prælia.

3. *Sarrano.*] Tyrio. Sarra, (Hebræis *Tſour*,) civitas eſt Phœniciæ, poſtea Tyrus dicta, purpurâ nobilis.

4. *Divinum vatem.*] Virgilium.

5. *Sub frontibus ulmi vana ignavorum, &c.*] Lib. 6. Æneid.

In medio ramos annoſaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam ſedem ſomnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.

6. *Et geminas numero portas*, &c.] Eodem libro ſexto ſub finem:

Sunt geminæ ſomni portæ: quarum altera fertur
Cornea: quâ veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia Manes.

atque hæc deſumpſit ex lib. 19. Odyſſeæ verſ. 562.

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων.
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ

Quod ſi de dubiis conceditur optio nobis;
[1] Deeſſe fidem lætis melius, quàm vana timeri:
Ecce ego jam malim falli. Nam, dum modo ſemper
Triſtia vaneſcant, potius caruiſſe fruendis,
Quàm trepidare malis. Satis eſt benè, ſi metus abſit.
[2] Sunt & qui fletus, & gaudia [3] controverſa
Conjectent; varioque trahant eventa relatu.
Ite per obliquos cæli, mala ſomnia, mundos;
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi:
Lunares habitate polos; quid noſtra ſubitis
Limina, & anguſti tenebroſa cubilia tecti?
Me ſinite ignavas placidum traducere noctes,
Dum redeat roſeo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod ſi me nullis vexatum nocte figuris,
Mollis tranquillo permulſerit aëre ſomnus;
[4] Hunc lucum, noſtro viridis qui frondet in agro
Ulmeus, excubiis habitandum dedico veſtris.

Interpretatio.

permittitur mihi electio in rebus ambiguis; ſatius eſt læta ſomnia *mentiri, quàm metui inania. Ego igitur nunc magis opto decipi* lætis. *Modò enim funeſta diſcedant, magis* cupiam *fruſtrari bonis, quam metuere mala. Sat benè* mihi *eſt, ſi caream timore. Non deſunt qui exponant in contrariam partem lacrymas, & gaudia; & conjectent exitus referendo* ea *in diverſum. Funeſta ſomnia abite per obliquos orbes cæli, quà venti* huc illuc *errantes diſpellunt nubes inſtabiles: incolite cœlum lunæ; quare ingredimini noſtras januas & obſcuros receſſus exigui tori? permittite me quietum tranſigere noctes otioſas, donec rutilus Lucifer mihi revertatur exortu puniceo. Quod ſi placidus ſopor demulſerit me aurâ quietâ nullis ſimulacris turbatum per noctem; conſecro nemus illud ulmeum, quod viret foliis in noſtro fundo, incolendum veſtris vigiliis.*

Notæ.

δ' ἐλέφαντι, &c. vide Virgilii interpretes, & Macrobium priore commentario in ſomnium Scipionis.

1. *Deeſſe fidem lætis melius, quam vana timeri.*] Id eſt, malo habere læta ſomnia, tametſi ea me ſemper deceptura ſint, nec unquam eventura ſint bona quæ mihi promittunt; quàm habere triſtia & funeſta, quamvis vana futura & effectu caritura.

2. *Sunt & qui fletus & gaudia controverſa, &c.*] Id eſt ſunt qui ex triſtibus ſomniis proſperos eventus, & contra ex lætis infauſtos conjectent.

3. *Controverſa.*] Mallem *controverſum* adverbium, id eſt, in contrariam partem; quod & Vineto placet. Cæterum ſecunda ſyllaba vocis *controverſa*, quam hic, & Idyllio cui titulus Ναὶ καὶ οὐ Πυθαγορικὸν, producit Auſonius; corripitur à Sidonio Apollinari in Phalæcio carmine epiſt. 11. lib. 8. in voce *controverſiarum*:

> *Nunc flammant Satiræ, & tyrannicarum*
> *Declamatio controverſiarum.*

4. *Hunc lucum. &c.*] Unam tantùm ulmum ſomniorum habitationi tribuit Virgilius: at Auſonius totum eis ulmeum lucum pollicetur habitandum; modò ipſum non turbent inter dormiendum, ſed ſinant quietas noctes ducere.

AUSONII

BURDIGALENSIS

PARENTALIA.

PRÆFATIO.

158 SCio verſiculis meis evenire, ut faſtidioſè legantur: quippe ſic me- 1
ritum eſt eorum. Sed quoſdam ſolet commendare materia; & ali-
quotiens fortaſſè Lectorem ſolum lemma ſollicitat tituli, ut feſtivitate
perſuaſus & ineptiam ferre contentus ſit. * Hoc opuſculum nec materia 2
amœnum eſt, nec appellatione jucundum. Habet mœſtam religionem,
quâ carorum meorum obitus triſti affectione commemoro. Titulus li-
belli eſt, [1] PARENTALIA. * Antiquæ appellationis hic dies, & jam 3
indè [2] ab Numa cognatorum [3] inferiis inſtitutus: nec quicquam ſanctius
habet reverentia ſuperſtitum, quàm ut amiſſos venerabiliter recordetur.

INTERPRETATIO.

Compertum habeo accidere meis verſibus, ut legantur cum tædio: nempè ita merentur. At materia ſolet pretium addere nonnullis; & forte aliquandò ſola inſcriptio argumenti invitat lectorem, ut inductus venuſtate non dedignetur etiam tolerare nugas. Hoc verò *opuſculum neque jucundum eſt materiâ* ſuâ, *neque gratum titulo* ſuo. *Continet triſtem pietatem, quâ refero mœſto affectu mortes meorum dilectorum. Inſcriptio libri eſt* PARENTALIA. *Vetus eſt nomen diei deſtinati ſacris funebribus conſanguineorum ab ipſius Numæ tempore: & pietas vivorum nihil habet religioſius, quàm ut honorificam mentionem faciat mortuorum.*

NOTÆ.

1. *Parentalia.*] Juſta ſunt & convivia, quæ in funere parentum & amicorum celebrantur. Hic verſus intellige, quibus parentum, & cognatorum fato functorum pio officio memoriam recolit.

2. *Ab Numa*] Qui ut ait Macrobius Saturn. l. 1. pag. 218 ſtatuit ut Februario menſe juſta Diis Manibus ſolverentur: quem morem Ovid. ab Ænea uſque repetit Faſtorum lib. 2.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille patris genio ſolemnia dona ferebat;
Hinc populi ritus edidicere novos, &c.

3. *Inferiis.*] Feſtus. *Inferiæ, ſacrificia quæ diis Manibus inferebant.*

Item Præfatio verſibus adnotata.

159 NOmina carorum jam condita funere juſto,
[1] Fleta prius lacrymis, nunc memorabo modis,
[2] Nuda, ſine ornatu, fandique carentia cultu.
[3] Sufficit inferiis exequialis honos.
[4] Nænia funereis ſatis officioſa querelis,
[5] Annua ne tacitus munera prætereas:
Quæ Numa cognatis ſolemnia dedicat umbris;
[6] Ut gradus aut mortis poſtulat, aut generis.
Hoc ſatis & [7] tumulis, ſatis & telluris egenis;
[8] Voce cière animas funeris inſtar habet.
Gaudent compoſiti cineres ſua nomina dici:
Frontibus hoc ſcriptis & monumenta jubent.
Ille etiam, mœſti cui defuit urna ſepulchri,
Nomine ter dicto penè ſepultus erit.

INTERPRETATIO.

Nunc celebrabo verſibus nomina meorum *familiarium jam ſepultorum exequiis legitimis, quos antehac deflevi lacrymis;* ſed memorabo ea *ſimpliciter, abſque eloquentiâ, & ſine ornamentis orationis. Honor exequiarum ſufficit ſacris funeribus. Lugubre carmen ſatis exhibet officii in queſtibus exequialibus, ne prætermittas ſilentio juſta quotannis* perſolvenda: *quæ Numa conſecrat anniverſaria Manibus conſanguineorum: prout ordo vel mortis, vel cognationis* id *poſcit. Id ſufficit & ſepultis, & carentibus ſepulchro: vocare clamore Manes pro exequiis eſt. Cineres ſepulti lætantur ſua nomina pronuntiari: ſepulchra ipſa id præcipiunt* ſuis *ſcriptis frontibus. Is quoque qui caret urna triſtis tumuli, ferè erit tumulatus, ſi nomen ejus ter pronuncietur. Tu ve-*

NOTÆ.

1. *Fleta prius lacrymis.*] Cum ſcilicet humo conderentur.

2. *Nuda.*] Refer ad *nomina carorum memorabo.*

3. *Sufficit inferiis exequialis honos.*] Ovid. 2. Faſt.

Parva petunt Manes: pietas pro divite grata eſt
Munere, non avidos Styx habet ima Deos, &c.

4. *Nænia.*] Feſtus: *Nænia eſt carmen quod in funere, laudandi gratia, cantatur ad tibiam, &c.* Nonius Marcellus: *Nænia ineptum & incenditum carmen quod adducta pretio mulier, quæ Præfica diceretur, iis, quibus propinqui non eſſent, mortuis exhiberet, &c.*

5. *Annua ne tacitus munera.*] Hunc morem annua ſacra mortuis faciendi habet Virg. l. 5. Æneid. ubi Æneas juſta ſoluturus Anchiſæ patri:

Jamque dies, ni fallor, adeſt; quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, (ſic Di voluiſtis,) habebo:
Hunc ego, Gætulis agerem ſi Syrtibus exul,
Argolico-ve mari deprenſus, & urbe Mycenæ,
Annua vota tamen, ſolemneſque ordine pompas
Exſequerer, ſtrueremque ſuis altaria donis.

6. *Ut gradus aut mortis, &c.*] Ita ut, qui priores deceſſerunt, aut cognatione ſunt propinquiores, priores etiam commemorentur.

7. *Tumulis.*] *Tumuli* hic, pro *tumulatis*, metonymiâ continentis pro contento.

8. *Voce cière animas funeris inſtar habet.*] Infrà:

Digitized by Google

At tu quicunque es Lector, qui fata meorum
Dignaris mœſtis commemorare Elegis,
Inconcuſſa tuæ percurras tempora vitæ:
[1] Et præter juſtum funera nulla fleas.

INTERPRETATIO.

Tu quiſquis es, ô lector, qui non gravaris recenſere funera meorum cognatorum *in* his *elegis lugubribus, peragas ſpatia tuæ vitæ imperturbata: & nullas mortes lugeas niſi maturas.*

NOTÆ.

Ille etiam, mæſti cui defuit urna ſepulchri,
Nomine ter dicto penè ſepultus erit.

Sic Ulyſſes apud Homerum, ſocios à Ciconibus interfectos cum humare non poſſit, ter unumquemque eorum vocat, Odyſſ. l. 9. verſ. 62. Æneas apud Virg. l. 6. ſic Deiphobum affatur apud Inferos:

—— Mihi fama ſupremâ
Nocte tulit, feſſum vaſta te cæde Pelaſgum
Procubuiſſe ſuper confuſæ ſtragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Conſtitui, & magna Manes ter voce vocavi.

Tumulum inanem Græci κενοτάφιον dicunt: atque ejuſmodi tumulum unà, cum trinâ conclamatione ſatis eſſe exiſtimabant, ut quis ſepultus videretur, neque cogeretur centum annos circum Cocyti littora errare; licet ejus cadaver nudum fortaſsè jaceret in ignota arena.

1. *Et præter juſtum.*] Vel *plus quam par æquumque eſt*; vel, ut Vinetus explicat, *præter ſenile funus.* Sed mihi valdè placet conjectura Barthii qui reponit *præter noſtrum* hoc eſt *noſtrorum*, ut ſit ſenſus: *tu, qui pio cum doloris ſenſu legis in his Elegis fata meorum, percurras utinam vitam imperturbatam, neque neceſſe habeas ulla alia funera flere, quàm hæc meorum parentum, quæ nunc legis:* quod mirè convenit cum hoc Martialis epitaphio Glauciæ l. 6. epig. 28. *Qui fles talia, nil fleas viator.*

Julius Auſonius, Pater. I.

160 PRimus in his pater Auſonius; quem ponere primum,
[1] Etſi cunctetur filius, ordo jubet.
Cura Dei, placidæ functus quod honore ſenectæ,
[2] Undecies binas vixit Olympiadas.
Omnia quæ voluit, qui proſpera vidit: [3] & idem
Optavit quicquid, contigit, ut voluit.

INTERPRETATIO.

Inter hos primus eſt meus *genitor Auſonius; quem ſeries* rerum *præcipit memorare primum: quamvis* ego *filius* ejus *reluctanter* id faciam. *Providentiâ Dei* factum eſt, *ut decurreret ſenectutem tranquillam, & honeſtam: vixit bis undecim Olympiadas. Ipſe vidit fauſta omnia, quæ*

NOTÆ.

1. *Etſi cunctetur.*] Præ dolore ac mœrore.

2. *Undecies binas Olympiadas.*] Viginti duas Olympiadas, id eſt, octoginta octo annos. Olympiades quinto quoque anno redibant. Itaque ſpatium unius Olympiadis quatuor erat annorum ſolidorum: dimidiam addit Olympiadem in Epicedio noſter. Vixiſſe enim eum ait nonaginta annos.

3. *Et idem.*] Tollio aſſentior reponenti *eidem.*

Digitized by Google

Non quia fatorum nimia indulgentia : ſed quod
Tam moderata illi vota fuêre viro.
Quem ſua contendit ſeptem Sapientibus ætas ;
Quorum doctrinam moribus excoluit :
Viveret ut potius, quàm diceret arte ſophorum,
Quamquam & facundo non rudis ingenio.
[1] Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.
Inde & perfunctæ manet hæc reverentia vitæ ;
Ætas noſtra illi quod dedit hunc titulum :
Ut nullum Auſonius, quem ſectaretur, habebat ;
Sic nullum, qui ſe nunc imitetur, habet.

INTERPRETATIO.

optavit, & quodcunque ipſe cupivit illud *evenit quod optavit. Non quòd fata* eſſent ei *benigniora ; ſed quoniam deſideria hujus viri fuerunt valde modeſta. Hic ab* hominibus *ſui ævi comparatus fuit ſeptem Sapientibus ; quorum exornavit præcepta vitâ ſuâ* : dando operam *ut viveret magis, quàm loqueretur juxta præcepta ſapientum : quamvis erat ingenio diſerto, nec imperitus. Doctus etiam extendere vitas hominum arte medica, & dilationem afferre morti. Hinc* factum eſt, *ut hic honos remanſerit ejus vitâ jam peractâ ; quod noſtrum ævum tribuit ei hanc laudem : Quemadmodum Auſonius neminem habebat, quem ſequeretur ; ita nunc neminem habet, qui ipſum aſſequatur.*

NOTÆ.

1. *Præditus, &c. porrigere.*] Obſerva novam vocis *præditus* cum infinitivo conſtructionem, *Præditus porrigere*, pro eo quod diceres *Præditus arte porrigendi* : Niſi Gronovium ſequi malis, loco *præditus*, legentem *providus*. Hunc porrò Auſonium, aut alium cognominem, de re medica ſcripſiſſe tradit Marcellus Empiricus.

Æmilia Æonia, Mater. II.

191 PRoxima tu genitrix Æonia, ſanguine mixto
[1] Tarbellæ matris, patris & [2] Æduici.
Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis ;
Fama pudicitiæ, laniſicæque manus,

INTERPRETATIO.

O Æonia mater mea, *quæ* orta es *ex permixto ſanguine matris Tarbellæ, & patris Ædui ; tu proxime* ſequêris patrem meum. *Tu quæ ſortita es cunctas virtutes conjugis obſequentis ; exiſtimationem caſtitatis, & manus* deditas *laniſicio ; fidelitatem conjugalem, & ſollicitudinem*

NOTÆ.

1. *Tarbellæ matris*] Tarbelli, Galliæ Aquitanicæ populi (Quatuor ſignani etiam dicti) in illo tractu videntur fuiſſe, qui hodie Bigerros, Bearnenſes, Aquenſes, & Bajonenſes complectitur.

2. *Æduici.*] Ex Æduorum regione. Ædui porrò, quorum frequens apud Cæſarem mentio, in ea regione erant, quæ hodie Burgundia. Horum caput Auguſtodunum, hodie *Autun*.

Conjugiique

Conjugiique fides, & natos cura regendi,
Et gravitas comis, [1] lætaque ſerietas.
Æternum placidos Manes complexa mariti,
Viva thorum quondam, functa fove tumulum.

INTERPRETATIO.

inſtituendi filios ; & lenem ſeveritatem , & gravitatem hilarem. Amplectens in perpetuum umbram quietam tui *conjugis , calefac* nunc ejus *ſepulcbrum* , tu quæ *olim dum viveres* , fovisti ejus *lectum.*

NOTÆ.

1. *Lætaque ſerietas.*] A *ſerius , ſerietas* vox melioris ævi ſcriptoribus non uſitata : reperitur apud Sidonium Apollinarem in Narbone : *Riſus , ſerietas , dicacitates* : & ep. 9. l. 1. *Poſt nuptias Patricii Recimeris tandem reditum eſt in publicam ſerietatem.*

[1] *Æmilius Magnus Arborius, avunculus.* III.

162 CUlta mihi eſt pietas, patre primum & matre vocatis :
[2] Dicere ſed rea fit, tertius Arborius.
Quem primum memorare nefas mihi, patre ſecundo :
Rurſum [3] non primum ponere, penè nefas.
[4] Temperies adhibenda * * * * * *
Ante alios : quanquam [5] patre ſecundus erit.
Tu frater genitricis, & [6] unanimis genitoris :
Et mihi qui fueris, quod pater, & genitrix :
Qui me lactantem, puerum, juvenemque, virumque
[7] Artibus ornaſti, quas didiciſſe juvat.

INTERPRETATIO.

Functus ſum pietatis officio , cum à principio appellavi patrem & matrem meam. Verùm eadem pietas *tenetur appellare Arborium tertio loco. Quem ſcelus mihi* eſſet *celebrare primum* , ponendo *patrem ſecundo* loco : *& tamen ferè ſcelus eſt non conſtituere primum. Utendum eſt* aliquo *temperamento* , * * * * * * ipſe ponendus eſt *ante cæteros : licet futurus ſit ſecundus à patre. Tu frater* eras meæ *matris* , *& concors cum patre* meo : *& fuiſti mihi inſtar patris , & matris :* quippè *qui excoluiſti me* infantem *lactentem* , deindè *puerum* , poſt

NOTÆ.

1. *Æmilius , &c.*] Hic filius fuit Cæcilii Argicii Arborii , de quo eſt ſequens carmen IV. frater Æmiliæ Æoniæ matris Auſonii ; de qua carmen ſuperius.

2. *Dicere ſed rea fit , &c.*] Hunc ſenſum affert Scaliger : *ſi dico , tertius eſt Arborius , eſt rea pietas ; non eſt ex pietatis officio :* ſed mihi non probatur. Expone *ſed mea pietas rea fit* , id eſt , *obligatur dicere , tertius eſt Arborius.* Hæc enim eſt ſignificatio vocis *reus* apud ICtos , apud quos legitur ſæpiſſimè *reus debendi* , & titulus eſt , in inſtit. Juſtin. *de duobus reis ſtipulandi & promittendi.* Conſule interpretationem.

3. *Non primum ponere penè nefas.*] Quia me dilexit filii loco.

4. *Temperies adhibenda.*] Sic poſſis explere lacunam :

Temperies adhibenda , mihi nempe ille canendus
Ante alios , &c.

5. *Patre ſecundus erit.*] Ellipſis eſt præpoſitionis *à.* Eâdem Ellipſi dixit Horat. *alium ſapiente , bonoque.*

6. *Unanimis genitoris.*] Reponit Gronovius *genitori.*

7. *Artibus ornaſti , quas didiciſſe juvat.*] Bonis artibus.

Te ſibi [1] Palladiæ antetulit [2] toga docta Toloſæ:
Te Narbonenſis Gallia præpoſuit,
Ornaſti cujus Latio ſermone tribunal,
Et fora [3] Hiberorum, [4] quæque Novempopulis.
[5] Hinc, tenus Europam fama creſcente, perito
Conſtantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos, per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.

Interpretatio.

adoleſcentem & virum, per artes quas utile eſt edoctum fuiſſe. Docti patroni Toloſæ Palladiæ te ſibi *ante poſuerunt: Gallia Narbonenſis te* ſuis *prætulit, cujus forum condecoraſti eloquio Romano, & tribunalia Hiſpanorum, &* ea *quæ* ſunt *in Novempopulanâ. Indè cum nomen tuum ad extremam uſque Europam proferretur, Conſtantinopolis floruit te docto Rhetore. Tu* fuiſti *peritus, & diſertus per mille vias & per mille enuntiationes dicendi, &* præterea *promptus in* diſcendo, *&*

Notæ.

1. *Palladiæ Toloſæ.*] Vel in quâ florent artes, quibus Minerva Dea præeſt; vel etiam, quæ ſub peculiari hujus Deæ tutelâ eſt; ut innuere videntur hi verſus Sidonii Apollinaris à Vineto laudati de Sto. Saturnino quem Toloſani, in mediâ ſuâ urbe Chriſtum prædicantem, interfecerunt:

Quem negatorem Jovis, ac Minervæ,
Et crucis Chriſti bona confitentem,
Junxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.

cum enim Jovis & Minervæ mentionem facit, ſatis indicat hæc Toloſanis numina præcipuo cultu fuiſſe adorata. in carmina quoque XVII. Profeſſorum, de Exuperio:

Palladia toga te primum venerata Toloſa.

Quin & Martialis epig. 101. l. 9. Palladiam Toloſam appellat:

Marcus, Palladiæ non inficianda Toloſæ
Gloria, &c.

Porrò quo tempore Rhetoricam docebat Toloſæ hic Arborius, videtur habuiſſe ſecum Auſonium noſtrum ſororis ſuæ filium tum puerum, quem unicè diligebat. Ipſe enim Auſonius carmine *de claris urbibus*, Toloſam celebrans, eam dicit ſuam altricem.

2. *Toga docta.*] Advocati Oratores cauſarum apud Toloſam; quos tu Rhetor Latinam eloquentiam docuiſti. Metonymia eſt, *toga* pro *togatis.*

3. *Hiberorum.*] Qui te auditum veniebant, eloquentiam è tuo fonte hauſturi.

4. *Quæque Novempopulis.*] Et fora quæ erant apud Novempopulos. Hi novem populi Aquitaniam tertiam conſtituunt, Novempopulanam Sexto Rufo & Novempopuloniam in veteri provinciarum nomenclatore dictam; & variè recenſentur: à Maſſono, *Vibiſci, Vaſates, Meduli, Boii, Auſcii, Convenæ, Conſorani, Bigerriones, & Tarbelli*: in veteri provinciarum nomenclatore non novem; ſed undecim ejus populi, quorum metropolis Auguſta Auſciorum: *Auſch,* Anſchi, (nempè *Auſcii,*) *Aquenſes, Lactorates, Convenæ, Conſorani, Boii, Beernenſes, Aturenſes, Bigerrones, Elloronenſes, Elloſates.* Nicolaus Samſon novem hos populos recenſet: *Auſcios* (quorum pars *Sontiates*) *Eluſates, Vaſates, Datios* (aliàs *Cocoſates,*) *Tarbellos, Benearnos, Bigerros, Convenas,* & *Conſoranos.* Novempopulana Cœnali *Gaſcoigne.*

5. *Hinc tenus Europam.*] Quouſque Europa extenditur. Obſerva præpoſitionem *tenùs* cum accuſativo, quæ ablativum ſingularem, & genitivum pluralem vulgò regit: ſimiliter & Valerius Flaccus in Argonauticis *tenùs* poſuit cum accuſativo:

Et Tanaim tenus immenſo deſcendit ab Euro.

Tu, poſtquam primis placui tibi traditus annis,
Dixiſti, nato me, ſatis eſſe tibi.
Me tibi, me patribus clarum decus eſſe profeſſus,
[1] Dictaſti fatis verba notanda meis.
[2] Ergo vale, [3] Elyſiam ſortitus avuncule ſedem.
[4] Hæc tibi de Muſis carmina libo tuis.

INTERPRETATIO.

memoriâ valens. Poſtquam ego *datus* in tuam diſciplinam *ſtatim à puero*, *probatus ſum tibi*; *dixiſti te ſatis habere filiorum in me* uno. *Cum palàm diceres me futurum magno honori tibi*, & *parentibus* meis; *pronunciaſti voces quæ ſcribendæ erant à meis fatis. Vale igitur, ô avuncule, qui nunc degis in campis Elyſiis. Ego tibi offero hos verſus*, quos *tuæ Camœnæ* me docuerunt facere.

NOTÆ.

1. *Dictaſti fatis verba notanda meis.*] Id eſt, ea de me dixiſti, quæ cum evenerint poſteà, videntur à te ſic dicta, ut à fatis meis exciperentur, ac notarentur. Similis formula extat apud Statium l. 11. Thebaidos, ubi Oedipus ſuper natorum corpora proſtratus ait:

Heu dolor, heu juſto magis exaudita parentis
Vota, malèque preces! Quiſnam fuit ille deorum,
Qui ſtetit orantem juxta, præreptaque verba
Dictavit fatis.

Exiſtimabant fata Jovi adſiſtere cum tabulis, quibus ex ore ejus exceptum notabant, quidquid cuique homini eventurum erat. Latinus Pacatus in Panegyrico: *Utrum te tamen ipſe admones? an, ut illi majeſtatis tuæ particeps Deo feruntur adſiſtere fata cum tabulis, ſic tibi aliqua vis divina ſubſervit: quæ, quod dixeris, ſcribat, & ſuggerat?* idem Apuleius l. 11. attribuit Oſiridi, qui & Jupiter eſt ſummus Deorum: *Nam ſibi viſus eſt* (Auſonius Marcellus) *quiete proximâ, dum magno Deo coronas exaptat, & de eius ore, quo ſingulorum fata dictat, audiſſe: mitti ſibi Madaurenſem, &c.* Alludere Auſonium cenſet Scaliger ad veterum ſuperſtitionem, qui, quo die nomina pueris imponebant, *fata ſcribenda advocabant*, hoc eſt, ut puero bona omina captarentur, & ex nomine, & ex iis omnibus, quæ ab Horoſcopo ad eum uſque diem contigerant. Tertullianus Scaligero laudatus: *Omnes idolatriâ obſtetrice naſcuntur: dum adhuc ipſi uteri infulis apud idola confectis redimiti genimina ſua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu, Lucina & Diana ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur: dum ultimâ die fata ſcribunda advocantur;* quo die ultimo quodcunque omen arripere poterant in bonam partem ad imponendum puero nomen, id arripiebant, atque id vocabant *fata*.

2. *Ergo vale.*] Solemne in exequiis vale dicere mortuo. Virg. l. 11. Æneid.

——— *Salve æternum mihi maximè Palla,*
Æternumque vale.

3. *Elyſiam ſedem.*] Sedem piorum, cœlum. Ex mente Paganorum loquitur Auſonius, quamvis Chriſtianus: ſed hoc more poetico.

4. *Hæc tibi de Muſis carmina libo tuis.*] Id eſt, conſecro tibi hæc carmina, quæ ſi ſcribere poſſum, acceptum tibi referre debeo. Tu enim in poëtica, quemadmodum & in cæteris artibus, me erudiſti; &, ſi qua mihi eſt poetica facultas, hanc tu mihi feciſti.

163

Cæcilius Argicius Arborius, [1] *avus.* IV.

O Fficioſa pium ne deſere, pagina, munus.
  Maternum [2] poſt hos commemoremus avum
Arborium, Æduico ductum de ſtemmate nomen,
  Complexum multas nobilitate domus:
Quà Lugdunenſis provincia, quàque potentes
  Ædues, [3] Alpino quàque Vienna jugo.
Invida ſed nimium, generique opibuſque ſuperbis,
  Ærumna incubuit. Namque avus & genitor
Proſcripti, regnum quum [4] Victorinus haberet
  Victor; & [5] in Tetricos [6] recidit imperium.
Tum profugum in terris, per quas erumpit [7] Aturrus,
  [8] Tarbellique furor perſtrepit Oceani,

INTERPRETATIO.

O pagina pia, ne omittas officium tuæ pietatis. Celebremus poſt hos avum meum *maternum Arborium;* quod *nomen tractum* eſt *ex proſapiâ Æduâ, & cujus claritas comprehendit plurimas familias in provinciâ Lugdunenſi, apud Æduos opulentos, & in* provinciâ *Viennenſi* expanſa *per cacumina Alpium. Verùm calamitas nimis maligna exagitavit* noſtram *proſapiam, & magnificas ejus opes. Avus enim* meus *& pater* ejus *proſcripti ſunt, dum Victorinus Victor imperium obtineret; & cum imperium tranſlatum eſt ad Tetricos. Tunc cum exularet in illis regionibus per quas Aturrus influit* in mare, *& ubi tempeſtates Oceani Tarbellici murmurant;*

NOTÆ.

1. *Avus.*] Maternus, pater nempè illius Æmilii Magni Arborii, de quo ſuperiori carmine, & Æmiliæ Æoniæ matris Auſonii, de quâ 2°. carmine.

2. *Poſt hos.*] Patrem, matrem, avunculum; de quibus tria ſuperiora carmina ſunt.

3. *Alpino quàque Vienna jugo.*] Id eſt, provincia Viennenſis, quæ per Alpes extenditur. Alpium enim jugis à mari interno ad Rhœtos uſque continentur eæ partes provinciæ Viennenſis, quæ quarta & quinta Viennenſes ſunt appellatæ. De eâdem Viennâ Auſonius l. *de claris urbibus*, carmine *de Arelate* ait:

—— *Alpinis opulenta Vienna colonis.*

4. *Victorinus.*] Is ſub Gallieno rem Romanam malè adminiſtrante, poſt interfectos Poſthumum & Lollianum, Galliarum, invaſit imperium, *vir ſtrenuiſſimus*, (inquit Eutropius,) ſed qui, *cum nimia libidinis eſſet, & matrimonia aliena corrumperet*, Coloniæ Agrippinæ, imperii ſui anno ſecundo interfectus eſt. Huic ſucceſſit Tetricus Senator Romanus, *qui* (ut ait Eutropius) *Aquitaniam honore Præſidis adminiſtrans, abſens à militibus Imperator electus eſt; & apud Burdigalam purpuram ſumpſit.* Hujus quoque filius, Tetricus Minor cognominatus, Cæſar appellatus fuit. Vide Trebellium Pollionem in *Triginta tyrannis.*

5. *In Tetricos.*] Patrem & filium, de quibus ſupra. Ii victi ab Aureliano, & in triumphum ducti, magnis poſteà honoribus cumulati ſunt; ut refert Pollio.

6. *Recidit.*] Ἀρχαϊσμῷ primam ſyllabam producit; ut Lucretius in *reducere* & aliis multis.

7. *Aturrus.*] Fluvius in Tarbellis, *l'Adour.*

8. *Tarbelli.*] Tarbelli populi Aquitaniæ ad Oceanum; quorum caput Aquæ Auguſtæ, Tarbellicæ etiam dictæ, *Dacqs.*

Digitized by Google

Graſſantis dudum fortunæ tela paventem
[1] Pauperis Æmiliæ [2] conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæſita pecunia niſu,
Solamen feſſo, non & opes tribuit.
Tu [3] cæli numeros, [4] & conſcia ſidera fati
Callebas, [5] ſtudium diſſimulanter agens.
Non ignota tibi noſtræ quoque [6] formula vitæ,
Signatis quam tu condideras tabulis;
Prodita non unquam: ſed matris cura retexit,
Sedula quam timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitam quum duxeris annos,
Expertus [7] fortis tela cavenda Deæ,
Amiſſum fleſti poſt trina decennia natum.
Saucius, [8] atque uno lumine caſſus eras.

INTERPRETATIO.

cumque reformidaret ictus fortunæ jam diu in ipſum *ſævientis*, *obſtrinxit ſe nuptiis Æmiliæ inopis* fœminæ. *Paulo poſt exigua pecunia*, *quam magno conatu paraverat*, *attulit* ei *defatigato ſolatium*, *non tamen divitias. Tu*, ô ave, *noveras motus cæli*, *atque aſtra quibus nota eſt fors* hominum, *celans illud ſtudium. Tenor etiam meæ vitæ non fuit tibi incognitus*, *quem tu commiſeras tabellis obſignatis*; *qui nunquam fuit manifeſtatus*: *verum ſolertia* meæ *matris aperuit eum*, *quem diligens ſollicitudo avi meticuloſi occultabat. Tu poſtquam vixiſti nonaginta annos*, *& perpeſſus es ictus metuendos Fortunæ*, *ploraſti filium* tuum tibi *ereptum poſt triginta annos. Vulnera-*

NOTÆ.

1. *Pauperis Æmiliæ.*] Æmiliæ Corinthiæ Mauræ, aviæ Auſonii; de quâ proximum carmen V. Hujus filia fuit Æmilia Æonia Auſonii mater.

2. *Conditio.*] Nuptiæ, propriè. Hinc formula repudii: *conditione tuâ non utor.*

3. *Cæli numeros.*] Harmoniam illam cæleſtem ex variis aſtrorum motibus, aſpectibuſque, & Syzygiis conflatam.

4. *Et conſcia ſidera fati.*] Expreſſum ex hoc Virgilii Æneid. 4.

> *Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati*
> *Sidera.*

5. *Studium diſſimulanter agens.*] Quippè quod tunc, quemadmodum & ante, malè audiret in publico, atque etiamnum malè audiat. Ejecti ſæpè Roma Mathematici; de quo genere hominum Tacitus lib. hiſtor. 1. c. 4. *Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax; quod in civitate noſtrâ & vetabitur ſemper, & retinebitur.*

6. *Formula vitæ.*] Thema nativitatis, *γένεσις*, Suetonio *genitura*: undè futuros vitæ caſus prædicere ſe jactant Genethliaei illi.

7. *Fortis Deæ.*] Fortunæ. Fors Fortuna Dea ædem habuit trans Tiberim. Dies ei feſtus erat VIII. Kal. Quintiles. De hac Ovid. Faſt. 6.

> *Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores,*
> *Poſt ſeptem luces Junius actus erit.*
> *Ite, Deam læti Fortem celebrate, Quirites,*
> *In Tiberis ripa munera Regis habet*:

ædem nempè ipſi à Servio Tullo exſtructam.

8. *Atque uno lumine.*]. Lipſius exploſâ Scaligeri conjecturâ *ocle tuo* ex voce corruptâ *oclerno* quæ in vett. editt. erat, *ac lævo* reſtituit & *lævum lumen* intelligit filium quo fuerat orbatus, & qui ei tanquam alter oculorum charus erat: quod Barthius reſpuit, quia filius dextrum potiùs lumen, quàm lævum dicendus eſſet, ſuperſtite tantùm filia. Retineo *atque uno.* liberi, & amici quoque, *oculi* ſæpè appellantur. Quintilianus, l. 6°. *Mihi filius*

Dicebas ſed te ſolatia longa fovere;
  Quod mea præcipuus fata maneret honos.
Et modo [1] conciliis animarum mixte piorum
  Fata tui certè nota [2] nepotis habes.
Sentis quod quæſtor, quod te præfectus, & idem
  Conſul, honorifico munere commemoro.

INTERPRETATIO.

tus eras, & orbatus altero oculo. Verum aiebas te refici longinquo ſolamine: quoniam primaria dignitas deſtinaretur meis fatis. Et nunc, cum *permiſtus* es *cœtibus animarum ſanctorum, profectò perſpectam habes ſortem tui nepotis. Animadvertis* nunc *te officio honorifico celebrari à me*, qui fui *Quæſtor, Præfectus, atque idem Conſul.*

NOTÆ.

minor quintum egreſſus annum, ut in malis agerem, prior alterum è duobus eruit lumen. Apuleius de Critiâ & Carino:

Hoc mihi vos eritis, quod duo ſunt oculi.

1. *Conciliis animarum, &c.*] Cœtibus nempè Beatorum, in Elyſiis campis.

2. *Nepotis.*] Mea fata, qui ſum nepos tuus.

Æmilia Corinthia Maura, avia. V.

164 [1] ÆMiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis;
  Conjux prædicti quæ fuit Arborio.
Nomen huic joculare datum: cute fuſca quod, olim
  Æquales inter [2] Maura vocata fuit.
Sed non atra animo; qui clarior eſſet olore,
  Et non calcata qui nive candidior.
Hæc non deliciis ignoſcere prompta pudendis,
  [3] Ad perpendiculum ſeque ſuoſque habuit.
Hæc me præreptum cunis, & ab ubere matris,
  Blanda ſub auſteris imbuit imperiis.
Tranquillos aviæ cineres præſtate quieti
  Æternum Manes, ſi pia verba loquor.

INTERPRETATIO.

Officioſa ſollicitudo nepotis, memora jam aviam Æmiliam: quæ fuit uxor ſupra memorati Arborii. Impoſitum eſt ei nomen jocoſum: quia erat *ſubnigrâ cute, appellata quondam fuit Maura inter coævas. Verum non fuit nigrâ mente:* quippe *quæ erat nitidior cygno, & purior nive quam nemo* pedibus *trivit. Ea non proclivis ad parcendum turpibus voluptatibus, formavit ſe & ſuos ad amuſſim. Ea me rapuit ab ipſis incunabulis, & à mamma* meæ *matris, atque inſtituit comiter ſub moderamine* tamen *ſevero. O placidi Manes reddite cineres meæ aviæ quietos in perpetuum, ſi* quæ *dico verba, pia* ſunt.

NOTÆ.

1. *Æmiliam.*] Pauperem illam Aquenſem civem, de quâ carmine ſuperiori.

2. *Maura.*] Quaſi è Mauritaniâ eſſet, ubi nigri homines.

3. *Ad perpendiculum.*] Ad normam & amuſſim rectæ rationis, & ſeveræ virtutis. Metaphora eſt à fabris.

Æmilia Hilaria, matertera, [1] *virgo devota.* VI.

165 TUque gradu generis [2] matertera; ſed vice matris,
  Affectu nati commemoranda pio.
Æmilia in cunis [3] Hilarî cognomen adepta,
  Quod læta, & pueri comis ad effigiem,
Reddebas verum non diſſimulanter ephebum,
  More virûm medicis artibus experiens.
Feminei ſexus odium tibi ſemper: & inde
  Crevit devotæ virginitatis amor;
Quæ tibi ſeptennos novies eſt culta per annos.
  Quique ævi finis, ipſe pudicitiæ.
Hæc, quia uti mater monitis & amore fovebas,
  Supremis reddo filius exequiis.

INTERPRETATIO.

Tu quoque quæ es mea *matertera ordine cognationis; ſed* quæ mihi es *loco matris*, mihi *celebranda es pio amore filii*, tu ô *Æmilia quæ conſecuta es nomen Hilarii in ipſis cunis; quia eras hilaris, & blanda inſtar pueri, exhibebas nativâ ſpecie verum puerum, perita* etiam *medicarum artium ad exemplum virorum. Perpetuo averſata es ſexum muliebrem: atque eâ de causâ invaluit* apud te *ſtudium ſanctæ caſtimoniæ; quam ſervaſti per ſexaginta tres annos. Et idem* fuit tibi *finis virginitatis, qui* fuit *vitæ*. Ego quaſi ſim *filius tuus, exhibeo hæc* carmina *tuis noviſſimis inferiis; quoniam complectebaris me charitate, & præceptis* inſtituebas *quaſi mater.*

NOTÆ.

1. *Virgo devota.*] Deo dicata & conſecrata, quæ virginitatem voverat, *ἀσκήτρια* Græcis.

2. *Matertera.*] Soror matris Æmiliæ Æoniæ. *Matertera* Feſto dicitur, quaſi *mater altera.*

3. *Hilari.*] Quia marem potius, quàm feminam ore renidenti referebat, non *Hilaria*, ſed *Hilarius* apellata fuerat.

Cl. Contentus, & Julius Calippio, patrui. VII.

166 ET patruos [1] Elegêa meos reminiſcere cantu:
  Contentum, [2] tellus quem Rutupina tegit;
Magna cui & variæ quæſita pecunia ſortis,
  Hæredis nullo nomine tuta perit.

INTERPRETATIO.

O Elegia fac quoque mentionem meorum patruorum in tuo carmine: Contenti ſcilicet, *quem terra Britannica habes ſepultum; à quo magnæ divitiæ & diverſis negotiationibus partæ, inter*

NOTÆ.

1. *Elegêa.*] Græcum eſt ἐλεγεῖα & ἐλεγεῖον, & diphtonguus ει tam in ê quam in *i* à Latinis verti ſolet. Sic Cytherea, & Thaléa, pro Cythereia & Thaleia.

2. *Tellus quem Rutupina, &c.*] Rutupiæ ῥύτυπιαι Ptolomæo appellatur urbs Cantiorum in Albione, ſeu Britanniâ inſulâ; & Rutupina littora, Britannica apud Lucanum lib. 6°. Pharſ.

Aut vaga cum Tethis, Rutupinave littora fervent,
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Raptus enim lætis, & adhuc florentibus annis,
[1] Trans mare, & ignaris fratribus oppetiit.
Julius in longam produxit fata ſenectam,
Affectus damnis innumerabilibus;
Qui comis, blanduſque, & menſa commodus uncta;
[2] Hæredes ſolo nomine nos habuit.
Ambo pii, vultu ſimiles, joca ſeria mixti,
Ævi fortunam non habuere parem.
Diſcreti quamquam tumulis, & honore jacetis:
Commune hoc verbi munus habete, [3] Vale

Interpretatio.

ciderunt nullius heredis nomine deffenſa. Obiit enim mortem *trans mare*, *&* *fratribus inſciis, ſublatus in ætate adhuc viridi, ac vegeſâ.* At *Julius vitam protraxit ad multam uſque ſenectutem, perpeſſus diſpendia innumera. Qui cum fuerit urbanus, benignus & facilis, menſâ* utens *lautâ, reliquit nos hæredes nomine tenus. Ambo* fuere *pii, ſimiles facie, admiſcentes ſeria jocis*; ſed *non habuerunt ſimilem vitæ ſortem.* O Patrui *tametſi conditi eſtis in ſepulcris diſſitis*, *&* diverſis *exequiis*, nihilominus *accipite muneris loco hanc vocem* utrique *communem* futuram, *Vale.*

Notæ.

1. *Trans mare.*] In terrâ Rutupinâ ſcilicet, id eſt, inſulâ Britanniâ; ubi negotiabatur, & morbo correptus obiit.

2. *Hæredes ſolo nomine.*] Quia *qui ſic vivunt, haud multum heredem adjuvant*, inquit Comicus.

3. *Vale.*] Quo verbo & abeuntes, & mortuos etiam proſequi ſolebant. Virg. Æneid. 11.

—— *Salve æternum mihi maxime*
Palla,
Æternumque vale.

Attuſius Lucanus Taliſius, ſocer. VIII.

167 Qui proceres, veteremque volet celebrare Senatum,
Claraque ab exortu ſtemmata Burdigalæ;
Teque, tuumque genus memoret, Lucane Taliſi;
Moribus ornaſti qui veteres proavos.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore, comis,
Facundo civis major ab ingenio:
Venatu, & ruris cultu, victuſque nitore,
Omne ævum peragens; publica deſpiciens:

Interpretatio.

Quiſquis volet prædicare optimates, & antiquum Senatum, & nobiles proſapias Burdegalæ ab ejus *origine: is prædicare* debet *te, & ſtirpem tuam, ô Lucane Taliſi; qui decori fuiſti priſcis* tuis *proavis vitæ tuæ ratione. Formoſus* fuiſti *decore vultus, quietâ mente, affabilis, civis ingenio & eloquentiâ præſtans: tranſigens totam ætatem venatione, & agriculturâ, ac munditie victus: aſpernans publica* munera: *avens dignoſci inter principes* civitatis, *renuens*

Noſci

Noſci inter primos cupiens, prior eſſe recuſans,
 Ipſe tuo vivens [1] ſegregus arbitrio.
Optabas tu me generum florente juventa:
 Optare hoc tantum, [2] non & habere datum.
Vota probant Superi, meritiſque faventia ſanctis
 Implent fata, [3] viri quod voluere boni.
Et nunc perpetui ſentis ſub honore ſepulcri,
 Quam [4] reverens natæ, quamque tui maneam.
Cœlebs namque gener nunc hæc pia munera ſolvo:
 Nam & cœlebs nunquam deſinet eſſe gener.

INTERPRETATIO.

eſſe primus, ipſe vivens ad tuum libitum ſejunctus à turba. *Tu cupiebas me* tibi *generum*, dum *in flore* eſſem *ætatis: licuit* tibi *ſolùm hoc cupere, non etiam conſequi. Dii optatis annuunt, & fata, benevola piis meritis, perficiunt quod viri probi optaverunt. Et nunc* etiam *ſub munere æterni tumuli percipis, quam obſervans filiæ* tuæ, *& tui* ipſius *pergam* eſſe. *Etenim* ego *gener* tuus *nunc viduus exhibeo tibi hunc pium honorem: gener enim* tuus *etſi cœlebs, nunquam ceſſabit eſſe* gener tuus.

NOTÆ.

1. *Segregus.*] *Segrex* Sidonio Apollinari, eſt ſecretus & remotus ab aliis. Mavult hîc Grævius *ſegregis* legere, ex Latinæ linguæ analogia; ut ſit *tuo ſegregis arbitrio*, hoc eſt, *arbitrio tui ipſius ſegregis*.

2. *Non & habere datum.*] Quippe morte raptus es, antequam id videres.

3. *Viri quod voluere boni.*] Tu, & pater meus: connubium ſcilicet meum cum tuâ filiâ.

4. *Reverens natæ.*] Cui mortuæ aliam ſubſtituere uxorem nolo, ſervans ſepultæ meos amores.

Attuſia Lucana Sabina, uxor. IX.

168 HActenus ut caros, ita juſto funere fletos
 Functa piis cecinit nænia noſtra modis.
Nunc dolor, atque cruces, [1] nec contrectabile fulmen,
 Conjugis ereptæ mors memoranda mihi.
Nobilis à proavis, & [2] origine clara Senatus;
 Moribus uſque bonis clara Sabina magis.

INTERPRETATIO.

Huc uſque lugubre *meum carmen, defunctum piis numeris, celebravit* majores *quemadmodum dilectos, ita* etiam *debitis exequiis ploratos. Jam dolor* adeſt, *& cruciatus, & fulmen non tangendum*, ſcilicet *canendum eſt mihi lethum uxoris ſublatæ. Sabina* fuiſti *clara à majoribus, & illuſtris ortu Senatorio*; ſed *illuſtrior vitâ ſemper probâ. Te flevi juvenis* ex-

NOTÆ.

1. *Nec contrectabile.*] Quod tangere non poſſum, quin illo adurar; *μεταφορικῶς* iſta.

2. *Origine clara Senatus.*] Filia ſcilicet Attuſii Lucani Taliſii Patricii Burdegalenſis, de quo ſuperiori carmine.

Te juvenis primis luxi [1] deceptus in annis,
Perque [2] novem cœlebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum ſenio ſopire dolorem :
Semper crudeſcit nam mihi pœna recens.
Admittunt alii ſolatia temporis [3] ægri :
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita cœlibe canos ;
Quoque magis ſolus, hoc mage mœſtus ago.
Vulnus alit, quod muta domus ſilet, & torus alget;
Quod mala non cuiquam, non bona [4] participo.
Mœreo, ſi conjux alii bona : mœreo contra,
Si mala ; ad exemplum tu mihi ſemper ades.
Tu mihi crux ab utraque venis : ſive eſt mala, quod tu
Diſſimilis fueris : ſeu bona, quod ſimilis.
Non ego [5] opes caſſas, & inania gaudia plango :
Sed juvenis juveni quod mihi rapta viro.
Læta, pudica, gravis, genus inclyta, & inclyta forma,
[6] Et dolor, atque decus conjugis Auſonii.

Interpretatio.

batus te *in primis annis* conjugii, *& te lugeo viduus per novem Olympiadas.* *Nec* mihi *datur ſedare dolorem retuſum ſenectute : nam mihi ſemper renovatur cruciatus recens. Alii laborantes* animo *ſolamen capiunt à tempore :* at *temporis ſpatium reddit hanc meam plagam acerbiorem. Ego ſenectam* meam *orbatam excrucio viduus vivendo : & quò vivo ſolitarius magis, eò* etiam *vivo triſtior.* Hoc *fovet* meum *malum, quod muta domus conticeſcit, & lectus friget ; & quod cum nemine communico mala, neque bona. Lugeo, ſi uxor* eſt *alii bona : contra* verò *lugeo, ſi* eſt *mala ; tu mihi uſque obverſaris* unde *exemplum ſumam. Tu me crucias in utrinſque* cogitatione : *ſeu ſit mala, quòd tu diſſimilis* illi *fueris : ſeu bona, quòd* ei fueris *ſimilis. Ego non queror divitias inanes, & vanas voluptates* tecum amiſſas : *ſed quod* ipſa *juvenis erepta mihi* fuiſti *juveni marito. Hilaris, caſta, gravis, clara natalibus, & pulchritudine inſignis, dolor ſimul, et honor mariti Auſonii. Quæ mox completura quater ſeptem annos, re-*

Notæ.

1. *Deceptus.*] Orbatus. Virg. 4. Æneid.
Poſtquam primus amor deceptam morte feſellit.

2. *Novem Olympiadas.*] Olympia quinto quoque anno recurrente celebrabantur : itaque Olympias, ſeu ſpatium ab Olympiis ad proxima Olympia, quatuor annorum ſolidorum erat ; & novem Olympiades triginta ſex annos conficiebant.

3. *Ægri*] Mente & animo, ſolamen accipiunt lapſu temporis ; juxta illud Senecæ in Agamemnone :
Quod ratio nequiit, ſæpe ſanavit mora.

& illud Diphili :
Λύπης δὲ πάσης γίγνεθ' ἰατρὸς χρόνος.
Omnis mæroris medicus eſt tempus.

4. *Participo.*] Ut faciebam tecum, dum viveres ; & curas omnes, mœrores, gaudia, in ſinum tuum effundebam.

5. *Opes caſſas & inania gaudia.*] Quorum jactura levis eſt & reparabilis.

6. *Et dolor atque decus.*] Expreſſum ex hoc Virgil. 10. Æneid. de Pallante occiſo :
O dolor atque decus magnum rediture parenti.

Google

Quæ modo ſeptenos quater impletura [1] Decembres,
Liquiſti [2] natos, pignora noſtra, duos.
Illa favore Dei, ſicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor ut vigeant : tandemque, ſuperſtite utroque,
[3] Nunciet hoc cineri noſtra favilla tuo.

INTERPRETATIO.

Liquiſti mihi *duos liberos, pignora noſtri* conjugii. *Illi, quemadmodum optabas, vigent benignitate numinis, deſideratis bonis cumulati. Et oro* Deum *ut floreant; ac denique, ambobus viventibus, cinis meus id referat tuo cineri.*

NOTÆ.

1. *Decembres.*] Annos; Synecdoche.

2. *Natos duos.*] Alterum Heſperium; alterum vel Gregorium illum, ad quem mittit Cupidinem cruci affixum; vel, ſi hunc affectu non natura filium (ut ſuſpicatur Vinetus) dicere velimus, filia intelligenda eſt, ex qua nepotem habuit Auſonium, ad quem eſt Protrepticon: nam Auſonius filius, de quo eſt carmen proximum, non videtur matri fuiſſe ſuperſtes.

3. *Nunciet hoc.*] Nempe vivere utrumque, & valere.

Auſonius parvulus, filius. X.

169 NOn ego te infletum memori fraudabo querela,
Primus nate meo nomine dicte puer:
Murmura quem primis meditantem abſolvere verbis,
Indolis ut plenæ planximus exequiis.
Tu gremio in proavi funus commune locatus,
[1] Invidiam tumuli ne paterere tui.

INTERPRETATIO.

Ego non te fruſtrabor queſtu memori non defletum, ô fili, puer qui primus appellatus es meo nomine: quem funere luximus, veluti ætatis perfectæ, licet tunc *conareris* tantum *primis vocculis ſonos perfectos edere. Tu poſitus es in gremio proavi communibus exequiis, ne laborares invidiâ, ſi ſepulchrum tibi* ſeorſum haberes.

NOTÆ.

1. *Invidiam tumuli ne, &c.*] Id eſt, tu conditus es in ſepulchro proavi tui, ne quiſpiam invideret tibi, & perperam eſſe factum diceret, ſi monumentum tibi tantulo puero extructum eſſet ſeorſum.

Paſtor, nepos ex filio. XI.

170 [1]TU quoque [2] maturos, puer immature, dolores
Irrumpis mœſti luctus acerbus avi.
Paſtor chare nepos, [3] ſpes cujus certa fuit res,
Heſperii patris tertia progenies.
Nomine, quod caſus dederat: quia fiſtula primum
Paſtorale melos concinuit genito.
Sero intellectum vitæ brevis argumentum:
Spiritus afflatis quòd fugit è calamis
Occidis emiſſæ percuſſus pondere teſtæ;
Abjecit tecto quam manus [4] artificis.
Non fuit artificis manus hæc: manus illa cruenti
Certa fuit fati, [5] ſuppoſitura [6] reum.
Heu quæ vota mihi! quæ rumpis gaudia, Paſtor!
Illa [7] meum petiit tegula miſſa caput.
[8] Dignior ô! noſtræ gemeres qui fata ſenectæ;
Et quererêre meas mœſtus ad exequias.

INTERPRETATIO.

Tu etiam puer acerbo funere elate, *inſeris te luctibus* meis *ex maturis* funeribus conceptis, tu qui *avo dolenti* cauſa es *gravis planctûs. Paſtor nepos dilecte*, qui *certiſſimam de te ſpem faciebas, tertia proles parentis Heſperii.* Appellatus es *nomine, quod ſors impoſuerat: quoniam tibia cecinit* tibi *recens nato paſtoralem cantilenam. Tardius cognitum* eſt illud fuiſſe *ſignum vitæ anguſtæ: quia flatus effugit ex calamis inflatis. Moreris ictus pondere tegulæ elapſæ; quam manus fabri emiſit è tecto. Non fuit hæc manus fabri: illa fuit manus inevitabilis fati crudelis, quæ* voluit *ſubſtituere* ſuo loco *reum* tuæ mortis fabrum. *Heu qualia vota, quantas voluptates mihi abrumpis, ô Paſtor! Illa tegula conjecta ruit in meum caput. O!* tu *dignior* eras, *qui plorares ſortem meæ ſenectutis; & triſtis plangeres in meo funere.*

NOTÆ.

1. *Tu quoque.*] Quemadmodum mox fecit Auſonius filius.

2. *Maturos dolores.*] Conceptos ex mortibus maturis eorum, qui ſupra celebrati ſunt.

3. *Spes cujus certa fuit res.*] Id eſt, de quo tam certam ſpem conceperam, ut rem ipſam tenere me jam arbitrarer. Opponitur *ſpes rei* in Protreptico infra:

—— *Vel re, vel ſpe, mihi porge fruendum.*

& in profeſſoribus Burdigalæ, carmine 11°. de Herculano ſororis filio:

Spem magis, quàm rem, fruendam præbuiſti avunculo.

Cicero in Verrem l. 3. *Cum in provincia tam locuplete ac referta, non modo rem, ſed ne ſpem quidem ullam reliquam cuiquam feceris.*

4. *Artificis.*] Tectoris.

5. *Suppoſitura.*] Loco fati.

6. *Reum.*] Tectorem, cui tam crudelem pueri mortem fatum malebat tribui, quàm ſibi.

7. *Meum petiit.*] Dum tuum peteret.

8. *Dignior, &c.*] Ætate tuâ, quam par erat meæ eſſe ſuperſtitem.

Julia Dryadia, ſoror. XII.

171 SI qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens
  Eſſe ſuam, [1] ſoror hac Dryadia enituit.
Quin etiam multas habuit, quas ſexus habere
  Fortior optaret, nobilitaſque virûm.
Docta ſatis [2] vitamque colo, famamque tueri;
  Docta bonos mores ipſa, ſuoſque docens.
Et verum vitâ cui carius, unaque cura,
  Noſſe Deum, & [3] fratrem diligere ante alios.
[4] Conjuge adhuc juvenis caruit: ſed [5] ſeria vitam
  Moribus auſteras æquiparavit anus.
Produxit celerem per ſena decennia vitam:
  Inque domo, ac tecto, quo pater, oppetiit.

INTERPRETATIO.

Si virtus aliqua extitit, quàm mulier ſapiens vellet ſuam eſſe, ſoror mea Dryadia hac elaruit. Quin etiam poſſedit plurimas, quas validior ſexus & virorum excellentia cuperet poſſidere. Sat perita nendo ſuſtentare vitam, & famam ſuam; *inſtituta ipſa bonis moribus, & ſuos inſtituens. Et cui unica cura, & vitâ pretioſius erat cognoſcere verum Deum, & amare fratrem præ cæteris. Orbata eſt viro adhuc juvenis: at gravis moribus æquavit vivendi ratione anus ſeveras. Extendit fugacem vitam per ſexaginta annos; & obiit in* iiſdem *ædibus, &* ſub eodem *tecto quo pater* ejus obierat.

NOTÆ.

1. *Soror hac Dryadia enituit.*] Ex emendatione Gronovii eſt lectio hæc, quam puram putam Auſonii exiſtimo: ſenſus planus eſt.

2. *Vitamque colo famamque.*] Virgil. Æneid. 8.

—— Cui femina, primum
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi; famulaſque ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos.

3. *Fratrem.*] Me Auſonium.

4. *Conjuge.*] Pomponio Maximo, de quo eſt carmen 15. infra, ut ſuſpicari eſt ex his illius carminis verſibus:

Conjux namque meæ tu conſociate ſorori;
Ævi fruge tui deſtituis viduam.

qui verſus mirè cum hoc loco conſentiunt.

5. *Seria vitam.*] Negat ſe hæc capere Grævius; quod ego non capio, cum plana ſint & aperta: *Seria vitam* locutione Græca eſt, *ſeria quod ad vitam*, id eſt, *gravis moribus*: quà in re, quanquam adhuc juvenis, æquabat vel ſeveriſſimas anus.

Avitianus, frater. XIII.

172 AVitianum, Muſa, germanum meum
  Dona querela funebri:
Minor iſte natu me, ſed ingenio prior
  Artes paternas imbibit.
Verum juventæ flore læto perfrui,
  Ævique ſupra puberis
Exire metas, vetuit infeſta [1] Atropos.
  [2] Heu quem dolorem fauciis!
Heu quanta vitæ decora, quem cultum ſpei
  Germane pubes deſeris!
Germane carnis lege, & ortu ſanguinis;
  Amore penè filius.

INTERPRETATIO.

O Camœna, impertire Avitianum fratrem meum lugubri Nænia: iſte minor me ætate, ſed major ingenio, didicit artes patrias. At Parca inimica prohibuit eum frui læto flore juventutis, & ſuperare terminos pubertatis. Heu quantum luctum relinquis *afflictis! heu quantos vitæ honores, quantum apparatum ſpei frater pubes derelinquis! frater naſcendi conditione, & ſanguinis origine; propè filius charitate.*

NOTÆ.

1. *Atropos.*] Ex Parcis tribus una, filum vitæ abrumpens, juxta hunc verſum:

Clotho colum retinet, Lacheſis net, & Atropos occat.

2. *Heu quem dolorem, &c.*] Hos tres verſus ex emendatione Gronovii ſic repoſui loco horum:

Heu quanta vitæ decora
Quem cultum ſpei, quem dolorem fauciis!
Germane pubes deſeris!

Sic, levi tranſpoſitione, & ſenſus & metri lex ſibi conſtat. Fruſtra hîc ſe torquent Vinetus, & Scaliger.

Val. Latinus Euronius, geuer. XIV.

173 O Generis clari decus, ô mihi funus acerbum,
  [1] Euroni, è juvenum lecte cohorte gener;
Occidis in primæ raptus mihi flore juventæ,
  Lactentis nati vix benè note pater.
Tu procerum de ſtirpe ſatus, prægreſſus & ipſos,
  Undè genus claræ nobilitatis erat.
Ore decens, bonus ingenio, facundus, & omni
  Dexteritate vigens, præcipuuſque ſide.

INTERPRETATIO.

O ornamentum illuſtris proſapiæ, ô mihi duro letho erepte *Euroni, quem generum elegeram è turba juvenum; mœreris ereptus mihi in flore incipientis juventutis, parens filii* adhuc *lactentis, nondum* ei *cognitus.* Tu *ortus è ſobole optimatum, ſuperaſti eos ipſos, à quibus ortum illuſtrem ducebas. Decorus facie, ingenio pollens, eloquens, & præditus omnimoda ſolertia,*

NOTÆ.

1. *Euroni.*] *Euromi* legendum, vocabulum Græcum ab *εὖ bene* & *ῥώμη robur. Euromius* ergo *robuſtum* ſonat.

Hoc [1] Præfecturæ ſedes, hoc Illyris ora
Præſide te experta eſt, [2] fiſcus & ipſe cliens.
Nil ævi brevitate tamen tibi laudis ademptum:
[3] Indole maturus, funere acerbus obis.

Interpretatio.

ac præſtans fide. Id ſenſit provincia *cui præfuiſti, ad littus Illyricum te Præfecto, & fiſcus ipſe à te defenſus. Nihil tamen laudis tibi ablatum eſt brevitate vitæ: moreris immaturus letho, maturus ingenio.*

Notæ.

1. *Præfecturæ ſedes.*] Quæ fuerit illa præfectura, non poteſt ex his, quæ de illo Euromio extant, deprehendi. Fortaſſe eandem hic intelligit, quam mox ſubjungit, oram Illyrici: ut idem duobus modis expreſſerit.

2. *Fiſcus & ipſe cliens.*] Nempè fuerit ille fiſci advocatus.

3. *Indole maturus.*] Senex moribus, juvenis ætate.

Pomponius Maximus, adfinis. XV.

174 ET te germanum, non ſanguine, ſed vice fratris,
Maxime, devinctum nænia noſtra canet.
Conjux namque meæ tu conſociate ſorori,
[1] Ævi fruge tui deſtituis viduam.
Non domus hoc tantum ſenſit tua: ſenſit acerbum
Saucia proh! caſum curia Burdigalæ;
Te primore vigens, te deficiente relabens,
[2] Inque Valentinum te moriente cadens.
Heu! quare [3] nato, cur fruge & flore [4] nepotum
Ereptus nobis, Maxime, non frueris?
[5] Sed frueris: [6] divina habitat ſi portio Manes;
Quæque futura olim gaudia, noſſe datur.

Interpretatio.

Te quoque carmen meum celebrabit, ô Maxime, non ortu mihi *fratrem, ſed loco fratris conjunctum. Nam tu conjunctus meæ ſorori maritus, deſeris* ipſam *viduam in flore tuæ ætatis. Non ſolum tua domus hoc ſenſit: curia Burdigalæ vulnerata, proh! duram ſortem experta eſt, florens te principe, te moriente retrolabens, & recidens in Valentinum te obeunte. Heu! Maxime, quare ſublatus à nobis non frueris filio, & nepotibus flore* juventutis *vigentibus? at frueris* illis: *ſi* mens *divinæ particula auræ habitat inferos; &* ſi ei *conceditur cognoſcere*

Notæ.

1. *Ævi frugetui deſtituis.*] Id eſt, moriendo in flore ætatis privas uxorem tuam fructu vitæ tuæ.

2. *Inque Valentinum.*] In manus, & ſub auctoritatem Valentini.

3. *Nato.*] Arborio, marito Veriæ Liceriæ, de qua proximo carmine: non autem Herculano, ut vult Vinetus. Hic quippe mortuus quoque erat, nec poſſet de eo dixiſſe Auſonius, *quare nato non frueris?* qui jam non eſſet.

4. *Nepotum.*] Filiorum Megentiræ, Pomponii filiæ; duorum ſcilicet ſuperſtitum ex quatuor, de quibus carmine 23.

5. *Sed frueris.*] Correctio.

6. *Divina portio.*] Anima rationalis,

Digitized by Google

Longior hic etiam lætorum fructus habetur,
[1] Anticipaſſe diu, quæ modo [2] participas.

INTERPRETATIO.

voluptates ſibi *aliquandò venturas. Hæc quoque diuturnior fruitio proſperorum exiſtimatur jam pridem antevertiſſe* ea *quibus nunc frueris.*

NOTÆ.

quam ex ipſa Deorum natura profluxiſſe exiſtimarunt, & divinæ particulam auræ appellarunt.

1. *Anticipaſſe diu, &c.*] Id eſt, quòd prævideris jam dudum honores aliquos, quibus tui nepotes nunc eminent.

2. *Participas.*] Cum ipſis; cum eorum ſenſus ad te uſque, licet mortuum, penetret.

Veria Liceria, uxor Arborii ſororis filii. XVI.

175 TU quoque vel [1] nuruis mihi nomine, [2] vel vice natæ
Veria, ſupremi carmen honoris habe.
Cujus ſi probitas, ſi forma & fama, fideſque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus,
Nunc laudanda forent; procul & de Manibus imis
Accerſenda eſſet [3] vox proavi Euſebii:
Qui quoniam, functo jam pridem conditus ævo,
Tranſcripſit partes in mea verba ſuas;
Accipe funereas neptis defleta querelas,
Conjux [4] Arborii commemoranda mei.
Cui parva ingentis luctus ſolatia linquens
Deſtituis natum, quo magis excrucias.
At tibi dilecti ne deſit cura mariti,
[5] Juncta colis thalamo nunc monumenta tuo.

INTERPRETATIO.

Tu etiam, quæ mihi fuiſti *inſtar nuruis, aut loco filiæ, ô Veria, accipe carmen ultimi officii. Cujus ſi nunc celebranda eſſet probitas, pulchritudo, & fama, ac fidelitas uxoris obſequentis, & manus deditæ lanificio; excitanda eſſet longè & ab imis inferis vox Euſebii proavi* tui: *qui quia, jam dudum perfunctus vitâ* & *tumulatus, vices ſuas tranſmiſit meis vocibus; accipe funebres lamentationes, ô neptis plorata; uxor celebranda mei Arborii, cui relinquens exiguum ſolamen magni mæroris filium deſeris; quo gravius* eum *torques. Verum ne deficiat te cura chari conjugis, nunc habitas ſepulcrum proximum tuo thalamo. Hìc ubi* fuerunt tibi *prima*

NOTÆ.

1. *Nuruis nomine.*] Quia maritum tuum Arborium filii inſtar diligo: quanquam ſit tantum meæ ſororis filius.

2. *Vel vice natæ.*] Quia te ipſam, ut filiam, amo.

3. *Vox proavi Euſebii.*] Sic lego cum Vineto. Euſebius ille orator aliquis fuerit, aut poëta præſtans, proavus Liceriæ.

4. *Arborii.*] Filii Juliæ Dryadiæ (ſororis Auſonii, de qua carmine 12.) & Pomponii Maximi, de quo carm. 15.

5. *Juncta colis thalamo, &c.*] Nempe maritus, deſiderio ipſius, ſepulchrum ipſi prope cubile ſuum exſtruxerat; ut ei quam poſſet, proximus eſſet.

Hic

Hic ubi primus hymen, ſedes ibi mœſta ſepulcri:
[1] Nupta magis dici, quam tumulata potes.

INTERPRETATIO.

connubia, illic eſt nunc *triſtis locus tumuli:* ſicque *potes potius appellari nupta, quàm ſepulta.*

NOTÆ.

1. *Nupta magis, &c.*] Quia penè conjuncta es marito.

Pomponius Maximus Herculanus, ſororis filius. XVII.

176 NEc [1] Herculanum genitum germana mea,
Modulamine nænia triſti
Tacitum ſine honore relinquat:
Super indole cujus adulti,
Magnæ bona copia laudis.
Verum memorare magis, quam
Functum laudare decebit.
Decus hoc matriſque, meumque,
In tempore puberis ævi
Vis perculit invida fati.
[2] Eheu! quem, Maxime, fructum?
Facunde, & muſice, & acer,
Mente bonus, ingenio ingens,
Volucer pede, corpore pulcher,
Lingua catus, ore canorus,

INTERPRETATIO.

Neque carmen noſtrum *mæſtis modulis indictum linquat ſine laude Herculanum, prognatum ſorore meâ: ſuper cujus juvenis ingenio copia ampla* erat *laudis ingentis. Sed melius conveniet* mihi *referre* ſimpliciter dotes tuas, *quàm te prædicare mortuum. Vis invida mortis percuſſit hunc* juvenem qui erat *honor matris ſuæ, & meus in ætate pubertatis. Eheu! ô Maxime, qualem fructum* ex te percepimus? *eloquens, & muſicæ* ſciens, *& promptus* manu, *bonæ mentis, magni ingenii, celer curſu, formoſus corpore, ſubtilis linguâ, canorus ore, accipe*

NOTÆ.

1. *Herculanum.*] Filium Pomponii Maximi, de quo eſt carmen xv. & Juliæ Dryadiæ Auſonii ſororis, de quâ carm. xii.

2. *Eheu! quem, Maxime, fructum? &c.*] Hæc vulgata lectio eſt, cujus ſenſum expreſſi in interpretatione. Placet nihilominus valdè Gronovii correctio, legentis:

Eheu! quàm, Maxime, fruſtra
Facunde, & muſice, & acer!

hoc eſt, quam fruſtra prædite tot dotibus! quàm parum tibi profuit facundum eſſe! &c. Uſitatum lugentibus dolere inutilem fuiſſe mortuis pietatem, facundiam, cæteraſque dotes; quarum ope fati vim effugere non potuerint. Virgil. Æneid. 3.

——— *Nec te tua plurima, Panthû,*
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Cape [1] munus triſte parentum,
Lacrimabilis orſa querelæ;
Quæ funereum modulatus
Tibi mœſtus avunculus offert.

INTERPRETATIO.

mœſtum donum parentum, compoſitionem flebilis næniæ, quam funebre canens avunculus tibi offert mærens.

NOTÆ.

1. *Munus triſte parentum.*] Officium funebre, *Parentalia.*

Fl. Sanctus, maritus Pudentillæ, quæ ſoror Sabinæ meæ.

XVIII.

177 QUi joca lætitiamque colis, qui triſtia damnas,
Nec metuis quenquam, nec metuendus [1] agis;
Qui nullum inſidiis captas, nec lite laceſſis,
Sed juſtam & clemens vitam agis, & ſapiens;
Tranquillos Manes, [2] ſupremaque mitia ſancti
Ore pio, & verbis advenerare bonis:
Militiam nullo qui turbine ſedulus egit;
Præſide lætatus quo [3] Rutupinus ager.
Octoginta annos cujus tranquilla ſenectus
Nullo mutavit deteriore die.
Ergo precare favens; ut qualia tempora vitæ,
Talia & ad Manes otia Sanctus agat.

INTERPRETATIO.

Quiſquis luſibus & gaudio vacas, qui odiſti mœſta, neque ullum times, neque vivis timendus; quiſquis nemini nectis dolos, neque ullum *provocas lite, ſed manſuetus, & ſapiens vitam degis innoxiam; venerare ore pio, & vocibus fauſtis quietam umbram, & lene funus Sancti, qui diligenter militavit abſque ullo adverſo* caſu; *quo præfecto Britannica regio gaviſa eſt. Cujus placida ſenectus, octoginta* ſuos *annos non commutavit ullo pejori die. Igitur opta benignus, ut Sanctus tali fruatur quiete apud Inferos, quali* uſus eſt, *dum viveret.*

NOTÆ.

1. *Agis.*] *Vitam* ſcilicet.
2. *Supremaque mitia.*] τὸ *Suprema* ſubſtantivè poſitum pro *morte.*
3. *Rutupinus ager.*] Britannia. carm. VII. ſuprà; *Tellus quem Rutupina tegit.* Ubi vide quæ notavi.

Nænia Pudentillæ, adfinis. XIX.

178 TUque [1] Pudentillam verbis adfare ſupremis,
Quæ famæ curam, quæ probitatis habes.
Nobilis hæc, frugi, proba, læta, pudica, decora,
Conjugium Sancti jugiter hæc habuit.
Inviolata tuens caſtæ præconia vitæ,
Rexit opes proprias, otia agente viro.
Non ideo exprobrans, aut fronte obducta, marito;
Quod gereret totam femina ſola domum.
Heu! nimium juvenis, ſed læta ſuperſtite nato,
Atque viro, patiens fata ſuprema obiit.
Unanimis noſtræ & quondam Germana Sabinæ,
Et mihi [2] inoffenſo nomine dicta ſoror.
Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat;
Atque Pudentillam [3] fantis honore colit.

INTERPRETATIO.

*Et tu, ô quæ*cunque mulier *curam geris famæ, & probitatis, alloquere verbis noviſſimis Pudentillam. Hæc* ortu *inclyta, frugi, bona, hilaris, caſta, pulchra, manſit ſemper in connubio Sancti; conſervans illibatam laudem morum pudicorum, adminiſtravit ſua bona, dum maritus otiaretur: non* tamen *propterea objiciens viro, aut caperans frontem; quod* ipſa *mulier totam domum ſola gubernaret. Heu! nimis juvenis, ſed* tamen *læta* quòd relinqueret *filium, & maritum ſuperſtites, mortem patienter oppetiit: concors olim & ſoror Sabinæ meæ uxori & à me appellata conſtanti nomine ſoror. Nunc quoque pia cura* mea *reſumit ejus Manes quietos, & funereâ commemoratione veneratur Pudentillam.*

NOTÆ.

1. *Pudentillam.*] Uxorem Sancti, de quo carmine ſuperiori, & ſororem Sabinæ, Auſonii uxoris.

2. *Inoffenſo nomine.*] Quo nomine ſemper digna fuit, & cujus nominis charitatem nullo unquam facto dicto-ve læſi.

3. *Fantis honore.*] Ita Scaliger ex libro vetere. Suſpicabatur Vinetus, *fratris amore colit;* quod mallem. Mire enim conſonat cum ſuperiore pentametro:

Et mihi inoffenſo nomine dicta ſoror.

[1] *Lucanus Taliſius * curam. filii.* XX.

179 [2] NEc jam tu metris, ſpes unica, ephebe Taliſi
Conſobrine, meis immemoratus eris.

INTERPRETATIO.

Neque tu, ô juvenis Taliſi mi cognate, ſola ſpes, jam indictus eris meis verſibus. Sublatus es

NOTÆ.

1. *Lucanus Taliſius * Curam filii.*] Scaliger ſuſpicatur legendum *Lucanus Taliſius levir Att. filius*, hoc eſt, *Attuſii filius.* Tollius vult legi *Lucanus Taliſius Att. Lucani filius.* Erat in veteri libro: *Lucanus Taliſius cura filii:* unde fortaſſe legendum: *Lucanus Taliſius curâ filius;* id eſt, *non naturâ, ſed amore, ſtudio, & curâ filius*, quem Auſonius filii diligebat loco: unde & eum ſpem unicam appellat 1°. verſu.

2. *Nec jam tu metris, &c.*] Sic legendum omnino ex Tollii conjecturâ, non autem

Ereptus primis ævi florentis in annis:
  Jam tamen & conjux, jam [1] properate pater.
Feſtinaſſe putes fatum; ne funus acerbum
  Duceret hoc genitor, tam cito factus avus.

Interpretatio.

è vita *in primis annis vigentis juventa: jam tamen maritus, & propere factus pater. Credas fatum properaſſe; ut ne pater* tuus *exiſtimaret hanc mortem immaturam* eſſe, *cum tam properè evaſiſſet avus.*

Notæ.

nec tantum matris; ut ſit ſenſus, quem in interpretatione expreſſi. Facilis fuit corruptio ex *jam tu* in *tantum*, & *metris* in *matris*; quod ſenſum non efficit planum.

1. *Properate pater.*] Pro *properatus*, antiptoſi vocativi pro nominativo, poëtis ſatis familiari. 2. Æneid.

—— *Quibus Hector ab oris*
Expectate venis?

pro *expectatus*.

Attuſia Lucana Taliſia. Erminiſcius Regulus, adfinis. XXI.

180 NOtitia exilis nobis, Attuſia, tecum,
  [1] Cumque tuo plane conjuge nulla fuit:
Verum tu noſtræ ſoror es germana Sabinæ;
  Adfinis quoque tu, Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam cara vocabula nobis,
  Stringamus mœſti carminis obſequio.
[2] Quamvis Santonica procul in tellure jacentes,
  Pervenit ad Manes exequialis honos.

Interpretatio.

Parva mihi fuit notitia tecum, ô Attuſia, & nulla prorſus cum tuo marito: ſed tu es germana ſoror mea uxoris *Sabina; tu etiam ô Regule appellaris meus affinis. Ergo proſequamur tantiſper officio funebris vania* conjuges *nactos nomina tam dilecta nobis. Funebris honor pertingit ad* veſtros uſque *Manes, quanquam ſepultos longè in terrâ Santonicâ.*

Notæ.

1. *Cumque tuo conjuge.*] Erminiſcio Regulo.

2. *Quamvis, &c. pervenit ad Manes exequialis honos.*] Hinc mos peregrè mortuis, aut demerſis in mari, tumulos in littore inanes extruendi, & ipſorum Manes ter voce vocandi; quo fieri credebant, ut quieſcerent, perinde ac ſi ſepulti eſſent à ſuis.

Severus Cenſor Julianus, [1] *conſocer.* XXII.

181 DEſinite ô veteres, [2] Calpurnia nomina, Frugi
  Ut proprium hoc veſtræ gentis habere decus.

Interpretatio.

O priſci Calpurnii cognomento Frugi, ceſſate exiſtimare hunc honorem peculiarem eſſe veſtræ

Notæ.

1. *Conſocer.*] Conſoceri dicti, quorum alterius filiam filius alterius duxit uxorem.

2. *Calpurnia nomina, Frugi.*] Piſonum cognomentum fuit, *Frugi*; quod, inditum primo L. Calpurnio Piſoni (qui cum Mu-

Digitized by Google

Nec ſolus ſemper [1] Cenſor Cato, nec ſibi ſolus
  [2] Juſtus Ariſtides his placeant titulis.
Nam ſapiens quicunque fuit, verumque fidemque
  Qui coluit, comitem ſe tibi Cenſor agat.
Tu gravis, & comis, cum juſtitiaque remiſſus,
  Auſteris doctus jungere temperiem.
Tu non adſcito tibi me, nec ſanguine juncto,
  Optaſti [3] noſtras conſociare domos.
Nempe aliqua in nobis morum ſimulachra tuorum
  Effigies noſtri præbuit ingenii:
Aut jam Fortunæ ſic ſe vertigo rotabat,
  Ut pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud Manes ſentis, fovet hoc tibi mentem;
  [4] Quod fieri optaras, id voluiſſe Deum.

INTERPRETATIO.

familia. Neque Cato Cenſor ſolus, neque Ariſtides juſtus ſolus ſe jactent ſemper his nominibus. Nam quiſquis fuit ſapiens, & cultor veri ac probitatis, gerat ſe tibi ſocium, ô Cenſor. Tu gravis ſimul, & ſuavis, clemens, & juſtus, gnarus conſociare moderationem ſeveritati. Cum non eſſem tibi devinctus, neque conjunctus genere, voluiſti conjungere noſtras familias. Scilicet imago mea indolis exhibuit tibi aliquam ſpeciem morum tuorum in me: vel Fortuna rota ſic jam ſe vertebat, ut tam bona vota adderent fatis momentum. Si quis tibi ſenſus supereſt apud Inferos, hoc delectat tuum animum; quòd Deus annuerit tuis votis.

NOTÆ.

cio Scævola an. U. C. ſexcenteſimo vigeſimo primo Conſul fuit) ob eximiam ejus virtutem atque integritatem, in totam Calpurniorum familiam tranſiit poſtea.

1. *Cenſor Cato.*] An. U. C. quingenteſimo ſeptuageſimo nono. De hoc vide Livium lib. 39. Vult hîc Auſonius conſocerum ſuum Severum Julianum etiam *Frugi*, prætereaque *Cenſorii*, ac *Juſti* cognomentis dignum videri.

2. *Juſtus Ariſtides.*] Ariſtides cognomento Δίκαιος, Athenienſis fuit, nobilitate & juſtitiâ inſignis; pulſus in exilium à Themiſtocle, à quo diſſentiebat, ac poſtea revocatus metu Xerxis Perſarum Regis cum ingenti exercitu venientis, poſt multos geſtos magiſtratus, in tantâ paupertate obiit, ut vix haberet unde efferretur.

3. *Noſtras conſociare domos.*] Per liberorum noſtrorum connubium.

4. *Quod fieri optaras, id voluiſſe Deum.*] Hinc apparet matrimonium illud filii Auſonii cum filiâ Cenſoris, aut filii Cenſoris cum filiâ Auſonii (neque enim ſatis patet, utro modo conſoceri fuerint) mortuo demum Cenſore, factum eſſe; quod, eo vivo, fuerat deſtinatum.

Digitized by Google

Paulinus & Dryadia, filii Paulini, & Megentiræ ſororis filiæ. XXIII.

182 QUi nomen vultumque patris, Pauline, gerebas,
Amiſſi [1] ſpecimen qui genitoris eras:
Propter quem [2] luctus miſeræ decedere matris
Cœperat; offerret quum tua forma patrem;
Redderet & mores, & moribus adderet illud,
Paulinus caruit quo pater, eloquium:
Eriperis lætis, & pubeſcentibus annis;
[3] Crudaque adhuc matris pectora ſollicitas.
Flemus enim raptam [4] thalami de ſede ſororem,
Heu! non maturo funere, Dryadiam.
Flemus: ego in primis, qui matris avunculus & vos
Natorum tanquam, diligo, progeniem.
Illa [5] manus inter genitricis, & oſcula patris
Occidit, [6] Hiſpanâ tum regione procul.
Quam tener, & primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus, ephebe, genas!
[7] Quattuor ediderat nunc facta puerpera partus:
Funera ſed tumulis jam geminata dedit.

INTERPRETATIO.

Pauline qui habebas nomen & faciem patris, qui eras imago patris mortui: cujus gratiâ mœror infelicis matris cœperat abire, cum tuus vultus exhiberet genitorem tuum, *& repræſentaret mores* ejus, *& adjiceret ad* illius *mores facundiam iſtam, quæ deſiderata eſt in Paulino patre: raperis in ætate lætâ, &* adhuc *pubeſcente: & irritas matris animum* recenti vulnere *adhuc mœrentem. Nam ploramus, heu! Dryadiam ſororem* tuam *ereptam è toro, morte acerbâ. Ploramus: ego præcipue, qui* ſum *avunculus matris* veſtræ, *& amo vos tanquam ſobolem filiorum* meorum. *Illa mortua eſt in ulnis matris, & inter patris oſcula, procul* hinc *in terrâ Hiſpanâ* ubi *tum* degebant. *Quam tener & primâ juventâ carperis, ô flos recens, ô adoleſcens nondum velatus* barbâ *malas rubicundas! Jam enixa protulerat* mater *quatuor natos: ſed jam condidit*

NOTÆ.

1. *Specimen.*] Imago & ſpecies. Ab antiquo *ſpecio*; unde *aſpicio*, & alia.

2. *Luctus.*] De morte mariti patris tui.

3. *Crudaque adhuc.*] Nondum ad cicatricem perductis vulneribus, quæ ex ſororis tuæ Dryadiæ & patris tui Paulini morte pectori ejus erant impreſſa. Metaphora eſt à fructibus.

4. *Thalami de ſede.*] Quæ ipſi, jam maturæ viro, parabatur.

5. *Manus inter, &c.*] Quod ſolatium aliquod morientibus afferebat.

6. *Hiſpanâ tum regione.*] Tarracone, ubi pater ejus Corrector erat; ut carmine ſequenti habetur.

7. *Quattuor ediderat.*] Mater tua.

Sit ſatis hoc, [1] Pauline pater. [2] Diviſio [3] facta eſt:
Debetur matri cætera progenies.

INTERPRETATIO.

ſepulchris duos mortuos. Sufficiat hoc, ô pater Pauline. Partitio peracta eſt: quod ſupereſt natorum, debet ſervari matri.

NOTÆ.

1. *Pauline pater.*] Apoſtrophe ad mortuum.
2. *Diviſio.*] Liberorum.
3. *Facta eſt.*] Te inter & uxorem. Duos ex quatuor tecum habes apud Inferos: relinquere jam debes reliquos duos qui ſuperſunt, matri eorum, quæ tibi ſuperſtes vivit.

Paulinus, ſororis gener. XXIV.

183 QUi lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quique fidem ſancta cum pietate colit;
Paulini Manes mecum veneratus, amicis
Inroret lacrymis, annua liba ferens.
Æquævus, Pauline, mihi; natamque ſororis
Indeptus thalamo: ſic mihi penè gener.
[1] Stirpis Aquitanæ mater tibi. Nam genitori
[2] Coſſio Vaſatum, municipale genus.
[3] Scrinia Præfecti meritus, [4] rationibus inde
Præpoſitus Libycis, præmia opima capis.

INTERPRETATIO.

Qui amat hilarem indolem, & æquabilem vitæ rationem, & qui colit fidem cum ſanctâ pietate; is veneretur mecum cineres Paulini, & irriget eos *amicis fletibus, afferens* ad ejus tumulum *quotannis liba. Æqualis mihi* eras *Pauline, & ſortitus connubio filiam* meæ *ſororis: ſic ferè mihi gener* fuiſti. *Matrem habuiſti originis Aquenſis. Pater autem ortus* erat *Coſſione, municipio Vaſatum. Meritus es Præfecturam Scriniorum, poſtea præfectus rationibus Libyæ, percipis*

NOTÆ.

1. *Stirpis Aquitanæ.*] Propriè dictæ, id eſt, ex Aquis Auguſtis Tarbellorum oppido, (vulgo *d'Acqs*,) ut intelligit Vinetus; à quibus Aquis incolæ Aquitani proprie dicti nomen fecerunt toti Aquitaniæ majori, cujus ipſi exigua pars ſunt.

2. *Coſſio Vaſatum.*] Vaſates, Aquitaniæ majoris illius, quæ minorem, (de quâ ſupra,) & alias provincias multas complectitur, populi ſunt: *Bazadois*, quorum caput Coſſio, *Bazas*.

3. *Scrinia Præfecti.*] Hypallage; id eſt, *Præfecturam Scriniorum.* Hujuſmodi Præfecti *Magiſtri*, & *Comites ſacri ſcrinii*, & *Antigraphari*i, & *Scriniarii* dicebantur.

4. *Rationibus indè præpoſitus Libycis.*] *Rationalis*, dicebatur ejuſmodi præfectus, & *Procurator Cæſaris*, & *Procurator fiſci*.

Nam [1] Correcturæ tibi [2] Tarraco Hibera tribunal
Præbuit, adfectans [3] eſſe clienta tibi.
Tu ſocrum pro matre colens, [4] adfinis [5] haberi
Non poteras; nati cum fruerêre loco.
Inter concordes vixiſti fidus amicos,
Duodeviginti functus Olympiadas.

INTERPRETATIO.

lauta præmia. Nam Tarraco urbs *Hiſpana dedit tibi tribunal Correcturæ, cupiens tibi parêre. Tu venerans ſocrum loco matris, non poteras exiſtimari affinis; cum habereris vice filii. Vixiſti fideliter inter amicos unanimes, peracto* curriculo *octodecim Olympiadum.*

NOTÆ.

1\. *Correctura.*] Paplnianus lege *Legatus* 20. ff. *De efficio Præſidis: Legatus Cæſaris, id eſt præſes, vel corrector provinciæ, abdicando ſe non amittit imperium.* Ejuſmodi Correctorum cognitio in provinciis eadem erat, quæ Præfecti urbi, vel Prætorio, Conſulum etiam, & Prætorum Romæ; ut patet ex lege *Ex omnibus cauſis* 10. ff. dicto titulo *de efficio Præſidis.* Correctoris nomen & munus adhuc in Hiſpania manet in uſu, appellaturque *Corregidor.*

2\. *Tarraco Hibera.*] Urbs ad Iberum amnem, *Tarragona* hodie. Nomen dedit maximæ Hiſpaniæ parti, quæ dicta eſt Tarraconenſis.

3\. *Eſſe clienta tibi.*] Regi à te, & corrigi.

4\. *Adfinis.*] Affinis tantum illius.

5\. *Haberi non poteras.*] Cum in te filii pietas, non affinis modò obſequium animadverteretur.

Æmilia Dryadia, matertera. XXV.

184 TE quoque Dryadiam materteram,
Flebilibus modulis,
Germana genitus, prope filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædiſque jugalibus
Invida mors rapuit:
Mutavitque torum feretri vice
Exequialis honor.
[1] Diſcebas in me, matertera,
Mater uti fieres.
Unde modo hoc mœſtum tibi defero
Filius officium.

INTERPRETATIO.

Colo te etiam ore pio, numeris lugubribus, ô Dryadia Matertera mea, ego *prognatus ſerore tuâ, penè filius.* Te *quam letum invidens eripuit tere, & facibus nuptialibus: & funebris pompa commutavit thalamum tuum ſarcophago. Diſcebas in me, ô matertera, quomodo fieres mater. Ideoque* ego tuus penè *filius, hoc tibi exhibeo triſte obſequium.*

NOTÆ.

1\. *Diſcebas in me, &c.*] Id eſt, animi & charitatis maternæ periculum in me faciebas, experiebaris me amando, quo pacto amares filios tuos; ſi quando nupta eſſes & mater.

Julia

Julia Cataphronia, amita. XXVI.

185 QUin & funereis amitam impartire querelis,
Muſa, Cataphroniam.
Innuba [1] devotæ quæ virginitatis amorem,
Parcaque anus coluit.
Et mihi quod potuit, quamvis de paupere ſumma,
Mater uti, attribuit.
Ergo [2] commemorata, Ave; mœſtumque vocata
Pro genetrice, Vale.

INTERPRETATIO.

Quin etiam, ô Muſa, tribue amitæ Cataphroniæ funebres queſtus. Quæ innupta, & parca anus coluit amorem ſanctæ virginitatis. Et, quaſi mater eſſet, *mihi dedit quod potuit, etſi de tenui ſummâ. Igitur ſalve, celebrata* meis verſibus; *& vale, lugubriter appellata tanquam mater.*

NOTÆ.

1. *Devota.*] Deo promiſſæ, & conſecratæ.

2. *Commemorata, Ave.*] Non fit eliſio, licenter.

Julia Veneria, amita. XXVII.

186 [1] ET amita Veneria properiter obiit:
Cui brevia mela modifica recino;
Cinis uti placidula ſupera vigeat,
[2] Loca tacita celeripes adeat Erebi.

INTERPRETATIO.

Amita quoque Veneria cito mortua eſt: cui canto brevia carmina modulata; ut cinis ejus *quietus ſit supernè,* & ipſa *pernix deſcendat ad ſedes Averni ſilentes.*

NOTÆ.

1. *Et Amita Veneria properiter, &c.*] Celeritatem mortis illius exprimit verſibus, totis ex brevibus ſyllabis conflatis, Pyrrhichicis.

2. *Loca tacita, &c.*] Sic Scaliger verſum hunc reponit, pro: *Celeripes & adeat loca tacita Erebi:* in quo breves omnes ſyllabæ non eſſent, ut in cæteris. *Cinis ſupera* femineo genere, ut apud Catullum & alios. Iſta autem ex veterum opinione; qui non poſſe quieſcere cineres & umbram putabant, niſi, (juſtis omnibus perfectis,) cinis humo, & Manes Inferis conderentur prorsùs.

Julia Idalia, conſobrina. XXVIII.

187 Parva etiam fuit Idalia;
[1] Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et ſpeciem meruit Veneris;
Quæ genita eſt mihi penè ſoror:
Filia nam fuit hæc amitæ,
Quam celebrat ſub honore pio
Nænia, carmine funereo.

INTERPRETATIO.

Fuit quoque parva Idalia, quæ inſignita nomine Paphia Veneris, habuit quoque formam ejus. *Quæ nata eſt mihi ferè germana. Fuit enim hæc filia amitæ meæ, quam carmen* meum *memorat cantu funebri ſub pio officio.*

NOTÆ.

1. *Nomine prædita quæ Paphiæ.*] Veneris ſcilicet, quæ *Cytherea* ab inſulâ Cythero; *Paphia* ab urbe Papho inſulæ Cypri; & *Idalia* ab Idalio oppido, & nemore ejuſdem inſulæ, aut Ida monte.

Æmilia Melania, ſoror. XXIX.

188 Æmilia hos, vix nota mihi ſoror, accipe queſtus,
Debent quos cineri [1] mœſta Elegêa tuo.
Conjunxit noſtras æquæva infantia cunas:
[2] Uno quamvis tu Conſule major eras.
Invida ſed nimium [3] Lacheſis [4] properata peregit
Tempora; & ad Manes funera acerba dedit.
Præmiſſa ergo vale: Maneſque verere parentum;
[5] Qui majore ævo, [6] quique minore venit.

INTERPRETATIO.

Æmilia, germana mea *vix mihi cognita, accipe hæc lamenta, quæ triſtes* mei *elegi debent tuo cineri. Æqualis infantia junxit noſtra incunabula: quanquam tu grandior* me *eras uno anno. Verum Lacheſis invida nimis acceleravit tempus* mortis tuæ; *&* *miſit* te *ad inferos morte immaturâ. Igitur vale* tu *quæ ante* me *miſſa* es: *& venerare umbras parentum* noſtrorum; tum illius *qui grandior natu* ad te *pergit*, tum illius *quæ junior.*

NOTÆ.

1. *Mœſta Elegea.*] ἐλεγεῖα in plurali.

2. *Uno conſule.*] Uno anno; Metonymiâ adjuncti.

3. *Lacheſis.*] Una ex Parcis, cujus nomen à λαγχάνω, *ſortior.*

4. *Properata peregit.*] Quippe adhuc infans obierat; idcirco vix nota Auſonio fratri.

5. *Qui majore ævo.*] Julium Auſonium patrem intellige, qui undecies binas vixit Olympiadas. carm. v. ſupra.

6. *Quique minore.*] Intelligenda Æmilia Æonia mater: carmine ſecundo ſupra.

Pomponia Urbica, conſocrus, uxor Juliani Cenſoris. XXX.

189 UT generis clari, veterum ſic femina morum
Urbica, [1] Cenſoris nobilitata toro;
Ingenitis pollens virtutibus, auctaque & illis
Quas docuit conjux, quas pater, & genetrix:
Quas habuit [2] Tanaquil, quas [3] Pythagorea Theano,
[4] Quæque ſine exemplo eſt in nece functa viri.
Et tibi ſi fatum [5] ſic permutare dediſſet,
Viveret hoc noſtro tempore Cenſor adhuc.
Sed neque tu viduo longum cruciata ſub ævo,
Protinus optato fine ſecuta virum.
Annua nunc mœſtis ferimus tibi juſta querelis,
[6] Cum genero & natis conſocer Auſonius.

INTERPRETATIO.

Urbica mulier ut ſtirpis inclyta, ſic morum antiquorum, illuſtrata connubio Cenſoris; præſtans virtutibus innatis, & locupletata illis quas maritus, & quas pater, ac mater te *docuerunt: quas Tanaquil habuit, quas Theano Pythagorea, & ea quæ in morte mariti mortua eſt abſque exemplo. Tibi quoque ſi fatum conceſſiſſet ita permutare, Cenſor adhuc viveret hac noſtrâ ætate. At neque tu diu cruciata* es *vitam* ducens *cœlibem*, quia *ſtatim ſecuta* es *maritum cupitâ morte. Jam* ego *Auſonius* tuus *conſocer* unà *cum genero & filiis, perſolvimus tibi anniverſarias inferias mœſtis queſtibus.*

NOTÆ.

1. *Cenſoris.*] Severi Cenſoris Juliani, de quo carmine 22.

2. *Tanaquil.*] Uxor Tarquinii Priſci Romæ regis, auguriorum totiuſque Hetruſcæ doctrinæ peritiſſima.

3. *Pythagorea Theano.*] Pythagoræ vel uxor, vel diſcipula; quæ, teſte Diogene Laertio, multa ſcripſit, ex quibus nihil ſupereſt præter epiſtolas paucas.

4. *Quæque ſine exemplo, &c.*] Alceſtin intelligit, quæ ſuâ morte mariti Admeti vitam redemiſſe fertur: videndus Æſchylus in tragœdia Alceſtide. Errat Vinetus, dum Arriam hic putat deſignari Pæti uxorem.

5. *Sic permutare dediſſet.*] Ut dederat Alceſtidi.

6. *Cum genero.*] An Auſonii, an Urbicæ conſocerus ejus, non ſatis liquet.

A U S O N I I
TABULA GENEALOGICA,
ad horum Parentalium carminum intelligentiam, ex Eliæ Vineti Commentariis.

Auſonii Poëtæ

Avus maternus . .	Cæcilius Argicius Arborius	*carm.* 4. *Parental.* & 16. *de Profeſſor.*
Avia materna . .	Æmilia Corinthia Maura	*carm.* 5. *Parental.*
Pater	Julius Auſonius Medicus . .	*carm.* 1. *Parental.* & 30. *Edyll.*
Mater.	Æmilia Æonia	*carm.* 2. *Parental.*
Patrui	Claudius Contentus & Julius Calippio	*carm.* 7. *Parental.*
Amitæ.	Julia Cataphronia.	*carm.* 26. *Parental.*
	Julia Veneria	*carm.* 27. *Parental.*
Avunculus. . . .	Æmilius Magnus Arborius .	*carm.* 3. *Parent.* & 16. *de Prof.*
Materteræ. . . .	Æmilia Hilaria.	*carm.* 6. *Parental.*
	Æmilia Dryadia	*carm.* 25. *Parental.*
Frater	Avitianus	*carm.* 13. *Parental.*
Sorores	Julia Dryadia	*carm.* 12. *Parental.*
	Æmilia Melania, *fratri vix cognita.* . .	*carm.* 29. *Parental.*
Conſobrinus . . .	Lucanus Taliſius	*carm.* 20. *Parental.*
Conſobrina . . .	Julia Idalia	*carm.* 28. *Parental.*
Socer.	Attuſius Lucanus Taliſius	*carm.* 8. *Parental.*
Uxor	Attuſia Lucana Sabina	*carm.* 9. *Parental.*
Uxoris ſorores . .	Namia Pudentilla.	*carm.* 19. *Parental.*
	Attuſia Lucana Taliſia	*carm.* 21. *Parental.*
Uxoris frater. . . .	Attuſius Lucanus Taliſius filius . . .	*carm.* 20. *Parental.*
Affines.	Pomponius Maximus	*carm.* 15. *Parental.*
	Erminiſcius Regulus.	*carm.* 21. *Parental.*
	Fl. Sanctus.	*carm.* 18. *Parental.*
Conſocer	Severus Cenſor Julianus	*carm.* 22. *Parental.*
Conſocrus. . . .	Pomponia Urbica	*carm.* 30. *Parental.*
Sororis gener. . .	Paulinus	*carm.* 24. *Parental.*
Sororis nepotes . .	Paulinus & Dryadia	*carm.* 23. *Parental.*
Filii.	Auſonius.	*carm.* 10. *Parental.*
	Heſperius	*carm.* 11. *Parental.*
Nepotes	Ex Heſperio filio, Paſtor & duo alii . .	*carm.* 11. *Parantal.*
	Ex filia, Auſonius.	*in Protreptico & Genethliaco.*
	Ex ſorore Arborius.	*carm.* 16. *Parental.*
	Ex ſorore P. M. Herculanus.	*carm.* 17. *Parent.* & 11. *Prof.*
Neptes.	Ex ſorore, Megentira	*carm.* 23. *Parental.*
	& uxor Nepotis, Veria Liceria . . .	*carm.* 16. *Parental.*
Gener	Val. Latinus Euromius	*carm.* 14. *Parental.*

Digitized by Google

COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM.

PRÆFATIO.

190 Vos etiam, quos nulla mihi cognatio junxit,
Sed fama, & caræ relligio patriæ,
Et ſtudium in libris, & ſedula [1] cura docendi,
Commemorabo, viros morte obitâ celebres.
Fors erit, ut noſtros manes ſic [2] adſerat olim,
Exemplo cupiet qui pius eſſe meo.

INTERPRETATIO.

Vos quoque celebrabo, viros inclytos fato functos, quos nulla conſanguinitas mecum conjunxit, ſed fama & *charitas dilectæ patriæ, & ſtudium in libris* poſitum, *& aſſidua opera in docendo. Forſan eveniet, ut aliquandò* ab oblivione *vindicet Manes meos* aliquis, *qui volet pius eſſe ad inſtar mei.*

NOTÆ.

1. *Cura docendi.*] Fuerat enim & ipſe Auſonius Rhetoricæ Profeſſor. Ideoque hanc Profeſſorum commemorationem ſubjungit Parentalibus, motus pio in cives, & collegas ſuos affectu.

2. *Adſerat.*] Ab oblivione, idque piâ hujuſmodi commemoratione.

[1] *Tiberius Victor Minervius, Orator.* I.

191 Primus Burdigalæ columen dicêre, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Illuſtres quondam quo præceptore fuerunt
Conſtantinopolis, Roma, dehinc patria,

INTERPRETATIO.

Primus celebraberis à me, ô Minervi, columen Burdigalæ, qui es alter Quintilianus togæ oratoriæ. Quo magiſtro claruerant olim Conſtantinopolis, Roma, & deinde patria, quæ quidem

NOTÆ.

1. *Tiberius Victor Minervius.*] De hoc Euſebius in Chronico ad annum à Chriſto nato 349. *Minervius Burdigalenſis Rhetor Romæ florentiſſimè docet.* Is pater videtur fuiſſe Alethii Minervii, de quo eſt carmen ſextum infra.

Non equidem certans cum majeſtate [1] duarum :
Solo ſed [2] potior nomine, quod patria.
Adſerat uſque licet [3] Fabium [4] Calagurris alumnum :
Non ſit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit [5] hæc [6] juvenes ; bis mille Senatus
Adjecit numero, pupureiſque togis ;
Me quoque : ſed quoniam [7] multa eſt prætexta, ſilebo ;
Teque canam de te, non ab honore meo.
Sive Panegyricos placeat contendere libros,
[8] In Panathenaïcis tu numerandus eris :
Seu libeat [9] fictas ludorum evolvere lites,
Ancipitem palmam [10] Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia : [11] quæ tamen aurum,
Non etiam [12] luteam volveret illuviem.

Interpretatio.

non contendit cum dignitate illarum *duarum* : *ſed* ei *charior* fuit *ſolo nomine*, *quia patria* erat. *Eſto Calagurris vindicet* ſibi *ſemper alumnum Quintilianum : dummodo Cathedra Burdigalæ ei non cedat. Hæc ſuppeditavit foro mille juvenes ; addidit duo millia ordini Senatorum, & togis purpuratis me etiam : verum quia plurimi ſunt prætextâ* togâ inſignes, *tacebo ; & te laudabo à te* ipſo, *non à magiſtratu meo. Seu lubeat conferre orationes Panegyricas* à te ſcriptas cum aliorum orationibus *tu cenſendus eris in Panathenaïcis : ſeu velis explicare confictas ſcholarum controverſias, Quintilianus ambiget de victoriâ. Erat tibi vehemens facundia : quæ nihilominus volveret aurum, non* autem

Notæ.

1. *Duarum.*] Conſtantinopoleos, & Romæ.

2. *Potior.*] Tibi charior.

3. *Fabium.*] Marcum Fabium Quinctilianum, inſtitutionum Rhetoricarum auctorem. De hoc Euſeb. ad annum Chriſti 71. *Marcus Fabius Quinctilianus Romam à Galba perducitur.* Et ad annum 90. *Quinctilianus ex Hiſpania Calagurritanus, primus Romæ publicam ſcholam, & ſalarium è fiſco accepit.*

4. *Calagurris.*] Urbs eſt Vaſconum in Hiſpania, ad Iberum amnem. Hodie *Calahorra*, in finibus Navarræ & Caſtiliæ veteris.

5. *Hæc.*] Burdigalæ cathedra, docente Minervio. Alius liber Tollio laudatus habet *hic* ; quod melius mihi videtur, utpote ad Minervii laudem peculiarius pertinens.

6. *Juvenes.*] Cauſarum patronos.

7. *Multa eſt prætexta.*] Gronovius mavult *nota*, quàm *multa* ; ex quo tamen commodum ſenſum elicui in interpretatione. Poſſet nihilominus hoc adhuc modo exponi : *ſed hic prætermittam mihi fuiſſe multam prætextam*, id eſt, *me geſſiſſe plures magiſtratus* ; ita ut *τὸ quoniam* hic nihil aliud ſonet, quam *quod*.

8. *In Panathenaïcis, &c.*] Id eſt, Panegyrici tui eodem numero cenſendi erunt, ac Panathenaicus Iſocratis Panegyricus, in quo omnes ingenii vires & omnem oratoriæ artis ornatum adhibuit Atticus ille pater eloquentiæ ; cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano, eloquentiæ principes extiterunt innumeri, ut ait Tullius l. 2. de Oratore.

9. *Fictas lites.*] Declamationes quibus in ludis juvenes exercentur.

10. *Quinctilianus.*] Tantâ cum laude in foro verſatus ; qui tamen, tecum compoſitus, non certus erit de victoria.

11. *Quæ tamen aurum.*] Pergit in allegoria torrentis aquæ, arenam volventis.

12. *Luteam.*] Horat. lib. 1. ſatir. 4. de Lucilio ſatirarum ſcriptore :

[1] Et Demoſthenicum, quod ter primum ille vocavit,
    In te ſic viguit, cedat ut ipſe tibi.
An-ne & [2] divini bona naturalia doni
    Adjiciam? memori quam fueris animo?
Audita ut, vel lecta ſemel, ceu fixa teneres;
    [3] Auribus & libris eſſet ut una fides?
[4] Vidimus & quondam tabulæ certamine longo,
    Omnes qui fuerant, enumeraſſe [5] bolos;
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
    Fundunt [6] exciſi per cava buxa gradus:
Narrantem fido per ſingula puncta recurſu,
    [7] Quæ data, per longas quæ revocata moras.

Interpretatio.

ſimul ſordes cœnoſas. Et illa virtus *Demoſthenis, quam ipſe ter appellavit præcipuam* totius artis, *ſic emicuit in te, ut ipſe tibi cedat. Addam-ne etiam dotes naturales* tibi conceſſas *divino munere? quam valueris memoria? quomodo ſcires ea quæ ſemel aut audiveras, aut legeras, tanquam* ea altius *infixiſſes* animo; adeo *ut tam tutò credi poſſet tuis auribus, quàm libris? Vidimus etiam aliquando poſt diuturnum luſum in abaco, te recenſuiſſe omnes jactus, qui fuerant* emiſſi; *quos gradus inſculpti* fritillo *buxeo cavo emittunt alternatim præcipiti verſatione: cum referres fideli repetitione ſingulorum punctorum, quænam miſſa erant, & quænam retracta per longum ſpatium* temporis. *Animus* erat *tibi nullâ acrimoniâ invidens; præterea lingua plu-*

Notæ.

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

1. *Et Demoſthenicum quod ter primum, &c.*] *Actionem* ſeu *pronuntiationem* intelligit. Interrogatus enim Demoſthenes, quid primum eſſet in toto dicendi opere? *actionem* reſpondit: quid ſecundum? *actionem*: quid tertium? *actionem*, ut refert Cicero lib. 3. de Oratore, & Quinctilianus inſtit. oratoriarum lib. 11. cap. 3.

2. *Divini, &c. doni.*] Memoriæ divinitatem quoque tribuit Fab. Quinctil. l. 11. c. 2. *Neſciretur tamen quanta vis eſſet ejus, (memoriæ) quanta divinitas illa, niſi in hoc lumen orandi vim extuliſſet.* Hanc tamen idem non ita à natura pendere ait, quin arte quoque atque exercitatione plurimum confirmetur, atque augeatur.

3. *Auribus, & libris, &c.*] Id eſt, commiſſa tuis auribus, tam diſtinctè, & firmiter auditu infigebantur tuæ memoriæ, quam ſcribendo infigi poſſent chartis; adeo ut tibi poſtea recitanti tam credendum eſſet, quam libro in quo eſſent exarata.

4. *Vidimus, &c.*] Simile eſt quod Quinctilianus, loco citato ſuprà, de Scævola quodam memorat; qui victus in luſu duodecim ſcruporum, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet recordatus, rediit ad eum quocum luſerat; iſque ita factum eſſe confeſſus eſt.

5. *Bolos.*] Teſſerarum jactus, *βόλους* à *βάλλω, jacio.*

6. *Exciſi per cava buxa gradus.*] Nempè pyrgus ille, ſeu fritillus buxeus, per quem mittebantur tali, intus excavatus erat, & exſculptus gradatim; ut agitati concuſſique tali, in graduum oſtendentes ſupercilia, volutarentur, incertiorque jactus eſſet. Unde & Sidon. Apollinaris: *Teſſera frequens eboratis reſultatura pyrgorum gradibus.*

7. *Quæ data, &c.*] Hinc *datorum* luſus apud nos dicitur, *jeu de dez.* Dabant ſcilicet quos volebant valere bolos ſeu jactus; quos verò nolebant valere, revocabant; *ils rompoient les dez.*

Nullo felle tibi mens livida ; tum ſale multo
Lingua dicax , blandis & ſine lite jocis.
Menſa nitens , quam non cenſoria regula culpet ;
Nec nolit [1] Frugi Piſo vocare ſuam.
Nonnunquam pollens natalibus , & dape feſta :
Non tamen anguſtas ut tenuaret opes.
Quanquam [2] hæredis egens , bis ſex quinquennia functus ,
Fletus es à nobis , [3] ut pater , & juvenis.
Et nunc , ſive aliquid poſt fata extrema ſuperſit ,
Vivis adhuc ; ævi quod periit , [4] meminens :
Sive nihil ſupereſt , nec habent [5] longa otia ſenſus ,
Tu tibi vixiſti : nos tua fama juvat.

INTERPRETATIO.

rimâ urbanitate jocoſa , ſuavibus cavillis & abſque rixâ. Menſa tibi erat *elegans , quam edictum Cenſoris non* poſſit *damnare ; &* quam *Piſo Frugi non recuſet appellare ſuam. Aliquando lautior natali* tuo die , *& feſtivis epulis : non* ita *tamen ut minueret tenues* tuas *facultates. Quamvis careres hærede , & ſexaginta annos vixeris , defletus es à nobis tanquam parens , & juvenis. Et nunc , ſive reſtat aliquid poſt ſupremam diem , vivis adhuc , reminiſcens vitæ* hic *anteactæ : ſive nihil reſtat , neque ſupereſt ſenſus* ullus *in longâ* illa *requie , tu vixiſti tibi : nos* verò *gaudemus de tuâ famâ.*

NOTÆ.

1. *Frugi Piſo.*] Vide notas noſtras ad carmen 22. Parentalium ſupra , quod incipit :

Deſinite, ô veteres, Calpurnia nomina, Frugi.

2. *Hæredis.*] *Sui* , ſeu filii qui tibi ab inteſtato hæres eſſet. Neque enim ſic intelligendum , quaſi , qui teſtamento eſſet ab eo ſcriptus , noluiſſet adire ejus hæreditatem.

3. *Ut pater & juvenis.*] Hæc opponit orbitati ejus & ſenectuti , de quibus verſu ſuperiore.

4. *Meminens* ,] Participium à *memini* , ſequioris Latinæ linguæ ætatis. Legitur apud Priſcianum l. 11. & hoc utitur non ſemel Sidon. Apollinaris.

5. *Longa otia.*] Quæ poſt mortem contingunt.

[1] *Latinus Alcimus Alethius , Rhetor.* II.

192 NEc me nepotes impii ſilentii
Reum ciebunt, Alcime :

INTERPRETATIO.

Neque poſteri me accuſabunt inofficioſæ taciturnitatis , ô Alcime : & dicent quidem *me parum*

NOTÆ.

1. *Latinus Alcimus , &c.*] Hujus , & Delphidii , de quo infra carmine v. meminit Hieronymus Euſebii interpres in Chronicis , ad annum Chriſti 360. *Alcimus* , inquit , *& Delphidius Rhetores in Aquitania floruiſſimè docent.* Alcimum Scaliger ex Sidonio obſervat ex Sonnicis fuiſſe , qui Nitiobrigibus vicini erant. Nitiobriges porrò ii erant , quos nunc Aginnenſes , (*d'Agenois* ,) dicimus. *Alcimus* nomen ab ἀλκή , *fortem* ſonat ; *Alethius* ab ἀληθής , *veracem.*

[1] Minuſque

[1] Minuſque dignum, non & oblitum ferent
  Tuæ miniſtrum memoriæ;
Opponit unum quem viris prioribus
  Ætas recentis temporis.
Palmæ forenſis, & Camœnarum decus,
  Exemplar unum in litteris;
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,
  Aut Roma per Latium colit.
[2] Mores-ne fabor, & tenorem regulæ,
  Aduſque vitæ terminum?
Quod laude clarus, quod paratus litteris,
  Omnem refugiſti ambitum?
Te nemo gravior; vel fuit comis magis,
  Aut liberalis indigis:
Danda ſalute, ſi forum res poſceret;
  Studio docendi, ſi ſcholam.
Vivent per omnem poſterorum memoriam,
  Quos tu [3] ſacræ famæ dabas.
Et [4] Julianum tu magis famæ dabis,
  [5] Quam ſceptra, quæ tenuit brevi.
[6] Salluſtio plus conferent libri tui,
  Quam [7] conſulatus addidit.

INTERPRETATIO.

idoneum eſſe præconem tuæ laudis; ſed non dicent me eſſe tui *immemorem*: tui (inquam,) *quem præſens ævum contendit ſolum cum priſcis viris. Ornamentum togæ, & Muſarum, unicum ſpecimen in litteris; quas vel docta Græcia excoluit Athenis, vel* quas *Roma excolit per Latium. An eloquar mores* tuos, *& normam* vivendi *conſtantem*, quam tenuiſti *uſque ad finem vitæ?* dicamne *te inclytum fama*, & *in litteris* ſemper *paratum*, *ab omni ambitione abhorruiſſe? Nemo fuit gravior te, aut ſuavior, aut largior in egenos; defendendo vitam, ſi vocarentur in judicium; erudiendo ſtudioſè, ſi inſtitutione* egerent. Illi *quos tu conſecrabas famæ, vivent per omnem memoriam poſterorum. Et tu magis commendabis fama Julianum, quàm imperium quo potitus eſt per breve* tempus. *Scripta tua plus tribuent* gloriæ *Salluſtio, quam* ei con-

NOTÆ.

1. *Minuſque dignum.*] Sic reſtituit Vinetus ex *munuſque*, quod erat prius.

2. *Mores-ne fabor.*] Sic reſtituit Scaliger.

3. *Sacræ famæ.*] Lege cum Grævio: *Quos tu ſacros famæ dabas*, hoc eſt, *conſecrabas famæ.*

4. *Julianum.*] Apoſtatam illum, cujus hiſtoriam ſcripſerat hic Alcimus; quæ quidem intercidit, contra quam rebatur Auſonius, qui æternos fore libros ejus augurabatur. Aliorum Alcimorum ſunt, quæ ſcripta extant; ut rectè obſervat Vinetus.

5. *Quam ſceptra, quæ tenuit brevi.*] Imperium Romanum, quod hic Julianus Auguſtus rexit (poſt patruelem ſuum Conſtantinum) menſes ad ſummum novem; occiſus à Perſis anno Chriſti 366. ætatis ipſius 32. ut ex Euſebio & Eutropio patet.

6. *Salluſtio.*] Secundo Salluſtio, cujus meminit Ammianus Marcellinus lib. 22. & 23. Is Præfectus Galliarum fuit, & collega Juliani in Conſulatu; proindeque partem in ejus hiſtoria, ab Alcimo hoc ſcripta, habuit non mediocrem.

7. *Conſulatus.*] Cum Juliano quartum Conſule geſtus.

Morum tuorum, decoris, & facundiæ
Formam dediſti filiis.
Ignoſce, noſtri læſus obſequio ſtyli:
Amoris hoc crimen tui eſt;
Quod digna nequiens promere, officium colo,
Injurioſè ſedulus.
Quieſce placidus, & [1] caduci corporis
Damnum repende gloria.

INTERPRETATIO.

ſulatus ſuus *tribuit. Præbuiſti liberis* tuis *exemplar morum tuorum, laudis, & eloquii. Condona* mihi *quòd te offenderim meo ſtylo* rudi, *dum te celebrare cupio. Culpa hæc* refundenda *eſt in amorem quo te* proſequor; *quòd cum non poſſim proferre* te *digna*, *fungor* tamen meo *officio* in te *officioſus* etiam *cum injuria. Requieſce tranquillè, & compenſa famâ* tui *jacturam infirmi corporis.*

NOTÆ.

1. *Caduci corporis damnum repende gloria.*] Conſonum eſt quod ait Tullius, (pro Milone) de gloria; hanc eſſe *quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur*, &c.

Luciolus, Rhetor. III.

193 RHetora Luciolum [1] condiſcipulum, atque magiſtrum,
[2] Collegamque dehinc, nænia mœſta refer;
Facundum, doctumque virum, ſeu lege metrorum
Condita, ſeu proſis ſolveret [3] orſa modis:
[4] Eripuit patri Lacheſis quem funere acerbo,
Linquentem natos [5] ſexui utroque duos:

INTERPRETATIO.

Carmen triſte, memora Luciolum Rhetorem, condiſcipulum meum; *ac* deinde *magiſtrum; poſteaque collegam; virum eloquentem & eruditum, ſive proferret opera ſcripta carminibus ſtrictis, ſive ſolutâ oratione: quem Parca abſtulit patri morte immaturâ, relinquentem duos libe-*

NOTÆ.

1. *Condiſcipulum.*] Sic rectè Vinetus, ex *cum diſcipulo*, quod legebatur.

2. *Collegamque.*] In profeſſione, cum ſcilicet Rhetor factus eſt Auſonius.

3. *Orſa.*] Nihil immutandum; *Orſa* ſunt opera cœpta, ab *ordior*. Statius lib. 1. ſylvarum:

——— *Seu plana ſolutis*
Cum ſtruis orſa *modis: ſeu cum tibi dulcis in artem*
Frangitur, & noſtras curat facundia leges.

Fruſtra ergo Grævius *ora* pro *orſa* reponit; quod cum *condita* cohærere non poteſt: quid enim ſunt *condita ora*?

4. *Eripuit patri.*] Fortaſſe melius *patriæ*.

5. *Sexui utroque.*] *Utroque* pro *utrique* poſitum vult Vinetus. Malim cum Pulmanno *ſexu in utroque duos*, id eſt, marem & feminam; vel duos mares, & duas feminas.

Nequaquam meritis cujus reſponderit hæres,
  Obſcuros quamvis nunc tua fama juvet.
Mitis amice, bonus frater, fidiſſime conjux,
  Nate pius: [1] genitor, pœnitet ut fueris.
Comis convivis, numquam inclamare clientes,
  Ad famulos nunquam triſtia verba loqui.
Ut placidos mores, tranquillos ſic cole Manes;
  Et cape ab Auſonio munus, amice, Vale.

INTERPRETATIO.

ros in utroque ſexu: cujus virtutibus hæredes nullatenus reſponderunt, quamquam nunc tua gloria honori ſit ipſis vitam agentibus *ignobilem. Suavis amice, bone frater, marite fideliſſime, pie fili; pater, cujuſmodi te fuiſſe nollem. Blandus erga convivas, numquam* ſolitus *increpare clientes, nec unquam moleſta verba dicere ſervis. Ut pacatè vixiſti, ſic* etiam *placidè mortuus degas; atque accipias, ô amice, ab Auſonio hoc munus, vale.*

NOTÆ.

1. *Genitor, pœnitet, ut fueris.*] Nempè infelix pater fuerat, qui degeneres, & ſe indignos liberos procrearat.

[1] *Attius Patera pater, Rhetor.* IV.

194 ÆTate quamquam viceris [2] dictos prius,
  Patera fandi nobilis:
Tamen, quod ævo floruiſti proximo,
  Juveniſque te vidi ſenem,
Honore mœſtæ non carebis næniæ,
  Doctor potentum Rhetorum.
[3] Tu Bajocaſſis [4] ſtirpe Druidarum ſatus,
  Si fama non fallit fidem,

INTERPRETATIO.

Quamvis præceſſeris ævo memoratos ſupra, ô Patera clare eloquio: nihilominus, quia vixiſti proximo ſæculo, & ego juvenis te vidi grandævum, non deſtituêris honore lugubris carminis, ô Magiſter ſummorum Oratorum. Tu ortus proſapia Druidarum apud Bajocaſſes, ſi fama non men-

NOTÆ.

1. *Attius Patera pater.*] Hieronymus Euſebii interpres in Chronicis, ad annum Chriſti 339. *Pather Rhetor Romæ glorioſiſſimè docet.* Hic *Pather* idem eſt, qui Auſonio *Patera. Patherius* quoque in epiſtola ad Hedibiam: *Majores tui Patherius atque Delphidius.* Vocis *Patera* etymon ſubjicit Auſonius infra.

2. *Dictos prius.*] Tiberium Minervium, Alcimum Alethium, & Luciolum.

3. *Tu Bajocaſſis, ſtirpe Druidarum.*] Videtur ſcriptum fuiſſe *Bajocaſſi ſtirpe;* ut ultimum *s* vocis *Bajocaſſis* adſumptum fuerit poſtea ex primo *s* vocis *ſtirpe. Bajocaſſum* porrò, vel *Bajocaſſium*, vel *Bajocaſſa*, & *Bajocaſſes* urbs eſt ſecundæ Lugdunenſis (quæ hodie Normannia) cujus nomen *Baieux.* A *Bajocaſſibus* populis, qui iidem videntur eſſe, qui *Bellocaſſi* apud Cæſarem, & *Bellocaſſes* apud Plinium, nomen ſumpſit; amiſſo ſuo, quod quale fuerit, ignoramus. Sic Lutetia à Pariſiis populis appellata eſt *Paris*, amiſſo veteri nomine. Bajocaſſes inter Aremoricas gentes reponit infra carm. x. de Phæbitio, hujus patre, loquens.

4. *Stirpe Druidarum.*] Druidæ, ut norunt

[1] Beleni ſacratum ducis è templo genus:
Et inde vobis nomina:
Tibi Pateræ: ſic miniſtros nuncupant
[2] Apollinaris myſtici.
[3] Fratri, patrique nomen à Phœbo datum:
[4] Natoque de Delphis tuo.
Doctrina nulli tanta in illo tempore,
[5] Curſuſque tot fandi & rotæ.
Memor, diſertus, lucida facundia,
[6] Canore, cultu præditus;

INTERPRETATIO.

titur nobis, *trahis genus ſacrum ex delubro Beleni: atque hinc cognominati eſtis: tu Patera: ſic myſtici appellant miniſtros Apollinis. Cognomen impoſitum eſt fratri, & patri tuo à Phœbo: & filio tuo à Delphis. Nemini tanta fuit eruditio, & tanta volubilitas, & tot circuitus loquendi in illo ævo. Memoria* valens, *facundus, inſtructus claro eloquio,* voce *ſonora, & ora-*

NOTÆ.

omnes qui Cæſaris commentarios legerunt, ſapientes Gallorum erant, & ſacrorum præſides, judiceſque controverſiarum, & juventutis inſtitutores. De his videndus eſt Cæſar comment. l. 6. Plinius nat. hiſt. lib. 16. ſub finem, ubi de viſco agit.

1. *Beleni.*] *Belenus* à *βέλος*, quod *ſagittam* ſignificat; inclinatum nomen Apollinis apud Gallos, qui etiam *Belenium* appellabant herbam, quâ inungebant ſagittas. Hoc quoque nomine apud Aquileiam colebatur Apollo, ut patet ex Herodiano in Maximinis, qui eum Βελὶν vocat, & Julio Capitolino, cujus hæc ſunt verba in Maximinis: *Cum igitur fruſtra obſideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem urbem miſit, quibus populus pene conſenſerat, niſi Menophilus cum collega reſtitiſſet, dicens etiam Deum Belenum per Aruſpices ſpopondiſſe Maximinum eſſe vincendum. Unde etiam poſtea Maximini milites jactaſſe dicuntur Apollinem contra ſe pugnaſſe; nec illam Maximi aut Senatus, ſed Deorum fuiſſe victoriam. Quod quidem idcirco ab his fictum eſſe dicunt, quod erubeſcebant armatos ſe penè ab inermibus victos.* De Beleno plura vide apud Voſſium de Idololatria lib. 11. cap. 16. Ab eodem etymo dictus eſt Apollo ἑκατηβελέτης & ἑκατηβόλος, quod ſagittas, id eſt, *radios*, longè jacularetur.

2. *Apollinaris.*] Id eſt, *Apollinares*, ſecundum veterem ſcribendi rationem; ut *omnis, tris*, &c. pro *omnes, tres*, &c. apud Salluſtium, Tacitum, &c.

3. *Fratri patrique.*] Qui *Phœbicii*, vel *Phœbadii* dicti ſunt; ut videbimus infra ad carm. 10.

4. *Natoque de Delphis tuo.*] Is fuit Attius Tyro Delphidius, de quo carmen ſequens eſt.

5. *Curſuſque tot fandi, & rotæ*] Sic emendavit Scaliger. *Rotæ* ſunt hîc circuitus orationis, ſeu, ut Græca voce appellant Rhetores, *Periodi*.

6. *Canore, cultu præditus.*] *Canore* vocat. à recto *canorus*. Sic ſæpius vocandi caſum cum recto ſimul ponit Auſonius; ut videre eſt paſſim, & maximè in carmine 17. Parentalium, quod eſt de Pomp. Maximo Herculano. Hæc autem lectio ex emendatione eſt Scaligeri. Legebatur prius: *Carere cultum præditus:* quod fortaſſe erat pro *carere cultu præditus*, ſublato *m*. Unde ſenſus elici poteſt, quod *nativa quadam ſimplicitate placere noſſet, abſque artificio.* Sic carm. 1. Parentalium vocem *præditus* jungit cum infinitivo:

Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.

Salibus modeſtus, felle nullo perlitus,
Vini, cibique abſtemius,
Lætus, pudicus, pulcher; in ſenio quoque, ut
[1] Aquilæ ſenectus, aut equi.

Interpretatio.

natu: moderatus jocis, nullo felle madens, temperans in cibo, in potu ſobrius, hilaris, caſtus, formoſus: etiam in ſenectute, qualis eſt ſenectus aquilæ, vel equi.

Notæ.

1. *Ut aquilæ ſenectus, aut equi.*] αἰετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης, *aquilæ ſenectus, galeritæ juventus* in proverbiis; de vivida viridique ſenecta, quæ præſtantior eſt quorumdam juventute. Equos verò in ſenectute caneſcentes canities deformes non facit.

[1] *Attius Tiro Delphidius, Rhetor.* V.

195 Facunde, docte, lingua & ingenio celer,
Jocis amœne, Delphidi,
Subtextus eſto flebili threno patris,
Laudi ut ſubibas æmulus.
Tu penè ab ipſis orſus incunabulis
[2] Dei poëta nobilis,
[3] Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebraſti Jovem.

Interpretatio.

Delphidi diſerte, erudite, velox eloquio & ingenio, jucunde ſalibus, eſto ſubjunctus triſti leſſo patris tui, *quemadmodum ſubjunctus* ei *eras virtutis* ejus *imitator. Tu clarus Dei vates exorſus ferè ab ipſis cunis, geſtans ſertum coronæ Capitolinæ,* adhuc *puer cecinisti Jovem. Deinde*

Notæ.

1. *Attius Tiro Delphidius.*] Filius is eſt Attii Pateræ; de quo, carmine ſuperiori. *Delphidius* à *Delphis* appellatus eſt, ut habetur eodem carmine.

Dei poëta.] *Beleni*, ſeu *Apollinis*: de quo carmine ſuperiori.

3. *Sertum coronæ Olympiæ, &c.*] Laudat Delphidium Auſonius, quòd adhuc puer, recitatis in Jovis laudem verſibus, coronam meruerit in Capitolinis agonibus. *Sertum coronæ Olympiæ* appellat coronam è quernis frondibus lemniſco ſertam, id eſt, vinctam, quæ victori dabatur in illis agonibus. *Capitolina quercus* Juvenali; *Tarpeia quercus* Martiali dicuntur. Agones illi Capitolini, ad exemplum Olympicorum, (unde ſertum coronæ *Olympiæ* hic, pro *Capitolina* dicitur) inſtituti ſunt à Domitiano Imperatore XII. Conſule cum Sergio Cornelio Dolabella. In iis artifices omnis generis certabant, Citharœdi, Poëtæ Scenici; ut fusè probat Scaliger, qui in iis recitaſſe Statium Thebaidem ſuam obſervat, ſed non placuiſſe, & contra eum alios fuiſſe coronatos. Ab his agonibus Poëtarum laureatorum morem manaſſe idem putat. Illi quippe antiquitus ab ipſis Cæſaribus Germanis coronabantur, magnoque in pretio habiti ſemper apud Italos, & Germanos, qui hunc honorem virtute ingenii conſequuti eſſent. Fuit & Albanus agon ab eodem Domitiano inſtitutus, alius à Capitolino, & minus nobilis.

Digitized by Google

Mox inde curſim more torrentis freti,
[1] Epos ligaſti metricum:
Ut nullus æquâ lege liber carminum
Orationem texeret.
Celebrata variè cujus eloquentia
Domi foriſque claruit:
Seu tu [2] cohortis Præſulem Prætoriæ;
[3] Provinciarum aut judices
Coleres, [4] tuendis additus clientibus,
[5] Famæ, & ſalutis ſauciis.

Interpretatio.

conſtrinxiſti poëma metrorum modis raptim, inſtar freti æſtuantis: adeo *ut nemo ſolutus ſimili lege metrorum ſic contexeret orationem. Cujus facundia diverſimodè prædicata inclyta fuit domi, & foris: ſive tu adjungeres te ad Præfectum Prætorio; ſive ad Judices Provinciales, addictus defendendis clientibus periclitantibus de fama aut de capite. Fortunatus, ſi vacares* tantum lit-

Notæ.

1. *Epos.*] Græcis *verbum & verſus; κατ' ἐξοχὴν* verò *poëma heroicum: Epos*, inquit Diomedes, *eſt carmen hexametron, divinarum rerum, & heroicarum, humanarumque comprehenſio.*

2. *Cohortis Præſulem Prætoriæ.*] Præfectum Prætorio, quæ dignitas ab initio militaris tantum & equeſtris fuit. Is enim Præfectus Prætorio dicebatur, qui ſeu Prætorianis, ſeu Præſidiariis militibus præerat; qui Prætorio, ſive tabernaculo Cæſarum, ſacri Principis corporis cuſtodes aderant. Primus Senatoriam iis dignitatem addidit Alexander Severus, teſte Lampridio in ejus vita. Ex quo tempore in tantum aucta eſt dignitas illa, ut jam non armorum tantum, ſed & legum, juriſdictioniſque omnis ſumma penès Præfectum Prætorio tanquam imperii vicarium, fuerit. Vice enim ſacra Principis judicabat, Præſides provinciarum ſuæ cenſuræ ſubditos habebat, pro arbitrio promovebat, & removebat, ab eorumque ſententiis ipſe appellabatur: cum ab eo appellaretur nullus, ſed tantum ſupplicandi Principis licentia ſupereſſet; ut patet ex lege unica Cod. *de ſententiis Præfectorum Prætorio.* Fuit autem initio unus tantum Præfectus Prætorio. Duos poſtea conſtituit Commodus, motus conſpiratione Perennis Præfecti Prætorio, ut habet Herodianus lib. 1. Conſtantinus deinde quatuor creavit, videlicet Præfectum Prætorio Orientis, Præfectum Prætorio Illyrici, Præfectum Prætorio Italiæ, & Præfectum Prætorio Galliarum. Addidit Juſtinianus, ſed amiſſis jam Galliis, Præfectum Prætorio Africæ.

3. *Provinciarum aut judices.*] Quales erant Præſides provinciarum, legati Proconſulum, Procuratores Cæſaris, Præfectus Auguſtalis, Juridicus Alexandriæ, &c.

4. *Tuendis additus clientibus.*] Sic omninò legi poſtulat metri lex & ſenſus; non autem, *addictus clientiis.* Porrò, quam acer cauſidicus fuerit hic Delphidius, agnoſci poteſt ex hoc Ammiani loco initio libri 18. ubi de ſeveritate Juliani in judiciis: *Numerium*, inquit, *Narbonenſis paulo ante rectorem accuſatum ut furem inuſitato cenſorio rigore pro tribunali palam admiſſis volentibus audiebat. Qui cum inficiā ratione defenderet objecta, nec poſſet in quoquam confutari, Delphidius orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamavit: Ecquis, florentiſſime Cæſar, nocens eſſe poterit uſquam, ſi negare ſuffecerit? circa quem Julianus prudenter motus ex tempore: Ecquis, ait, innocens eſſe poterit, ſi accuſare ſufficiet?*

5. *Famæ & ſalutis ſauciis.*] Grævius le-

Digitized by Google

Felix, quietis ſi maneres litteris,
  Opus Camœnarum colens:
[1] Nec odia magnis concitata litibus
  Armaret ultor impetus:
Nec inquieto [2] temporis tyrannici
  Palatio te attolleres.
[3] Dum ſpem remotam ſemper accerſis tibi,
  Faſtidioſus obviæ,
[4] Tuumque mavis eſſe, quam fati, bonum;
  Deſideraſti plurima;
Vagus per omnes dignitatum formulas,
  Merituſque plura, quam gerens.
Unde inſecuto [5] criminum motu gravi,
  [6] Donatus ærumnis patris:
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax,
  Curam feſelliſti [7] patrum;
Minus malorum munere expertus Dei,
  Medio quod ævi raptus es:

Interpretatio.

teris tranquillis, incumbens operi Muſarum: neque ardor vindictæ armaret in te *odia excitata* à te *magnis accuſationibus, neque te eveheres in aula turbata tempore quo* multi *tyrannidem affectarunt. Dum quæris tibi ſemper ſpem longinquam, contemnens oblatam, & mavis tibi* ipſi *acceptum referre bonum* tuum, *quàm fato, concupiiſti multa; diſcurrens per genera omnia Magiſtratuum, & plura conſequutus, quàm* rectè *adminiſtrans. Unde gravi tempeſtate accuſationum ſecuta, condonatus lacrymis patris: tum poſtea Rhetor nequaquam aſſiduus in docendo, decepiſti curam parentum; minus malorum ſenſiſti Dei beneficio, quod ſublatus es* è vivis *mediâ*

Notæ.

git *Famæ, aut ſalutis ſauciis. Fama ſaucius* dicitur, ut *dubius animi*, aliaque ejuſmodi non pauca apud Apuleium alioſque, ſequioris præſertim ævi, ſcriptores.

1. *Nec odia.*] Numerii præſertim Rectoris Galliæ Narbonenſis, contra quem cauſam provinciæ ſuſceperat.

2. *Temporis tyrannici.*] Quo, contendentibus inter ſe de Imperio Conſtantini Magni filiis, Magnentius, Vetranio, Decentius, Nepotianus, Sylvanus, aliique tyranni exorti ſunt.

3. *Dum ſpem remotam, &c.*] Deſultoriam illam cupiditatem benè exprimit Lucretius lib. 3.

> *Sed, dum abeſt, quod avemus; id exſuperare videtur*
> *Cætera: poſt, aliud, cum contigit illud, avemus.*

4. *Tuumque mavis eſſe quam fati bonum.*] Id eſt, mavis induſtriæ tuæ & virtuti felicitatem tuam debere, quam fato; & proptereà faſtidis bona tibi à fortuna oblata, quibus felix eſſe poſſes; ut majora ſecteris, quæ tuis ſolum meritis aſſecutus videaris.

5. *Criminum motu gravi.*] Accuſationum quæ adverſus te intendebantur. Quæ autem & quantæ eſſent illæ ignoratur.

6. *Donatus ærumnis patris.*] Id eſt, lacrymis & precibus patris Pateræ, optimi & doctiſſimi ſenis, quem tua calamitas mœrore conficiebat, remiſſum eſt ſupplicium quo eras afficiendus.

7. *Patrum.*] Qui tibi ſpes ſuas, liberos nempe, in diſciplinam tradiderant; quos tam negligenter inſtituebas.

[1] Errore quod non [2] deviantis filiæ,
[3] Pœnaque læſus [4] conjugis.

INTERPRETATIO.

ætate; quoniam non fuiſti ſauciatus errore filiæ tuæ aberrantis, & ſupplicio tuæ *uxoris.*

NOTÆ.

1. *Errore.*] Priſcilliani hæreſi, qua infecta fuit filia ejus Procula, & uxor Euchrotia, quæ cum Priſciliano aliiſque, capitis damnata eſt, & truncata Treveris; ut ex Sulpitio Severo, Hieronymo, & veteri ſcheda à Scaligero laudata patet. Verba quidem ſchedæ à Scaligero citantur ejuſmodi: *Priſcillianus in Synodo Burdigalenſi damnandum ſe intelligens, ad Imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treveris, ab Evodio Præfecto Prætorio Maximi, gladio addictus eſt cum Euchrotia Delphidis Rhetoris conjuge, & Latroniano, aliiſque erroris conſortibus.* De Priſcillianiſtis agens Sulpitius Severus in fine libri poſterioris hæc habet inter cætera: *A Burdegala per Delphinum* (is erat Epiſcopus) *repulſi*, (Priſcillianus & ſocii) *tamen in agro Euchrotiæ* (hæc uxor vidua erat Delphidii) *aliquantiſper morati, infecêre nonnullos ſuis erroribus. Indè iter cœptum ingreſſi, turpi ſane pudibundoque comitatu, cum uxoribus atque alienis etiam feminis, in queis erat Euchrotia, ac filia ejus Procula; de qua fuit in ſermone hominum, Priſcilliani ſtupro gravidam, partum ſibi graminibus abegiſſe, &c.* & multò poſt: *Ita eo inſiſtente* (Fiſci patrono) *Priſcillianus capitis damnatus eſt, unàque cum eo Feliciſſimus, & Armenius, qui nuper à Catholicis Clerici Priſcillianum ſecuti deſciverant. Latronianus quoque, & Euchrotia gladio perempti, &c.*

2. *Deviantis filiæ.*] Proculæ, ut patet ex allatis ſupra. *Devians* & *devia* pro *aberrantis*, ſequioris ævi eſt, & parum latinum hoc ſenſu. Alio legas apud Horatium, pro *ſemoto*, & non omnibus obvio:

Quis devium ſcortum eliciet domo
Lyden, &c.

3. *Pœnaque.*] Capitali ſupplicio.
4. *Conjugis.*] Euchrotiæ.

[1] *Alethio Minervio, filio, Rhetori.* VI.

196 [2] O Flos juvenum,
Spes læta patris,
[3] Nec certa tuæ
Data res patriæ,

INTERPRETATIO.

O Rhetor Alethi, decus juvenum, jucunda ſpes patris tui, *& bonum tuæ patriæ datum;* ſed

NOTÆ.

1. *Alethio Minervio filio.*] Latini Alcimi Alethii Rhetoris, de quo eſt carmen 2.

2. *O flos juvenum, &c.*] Hos verſiculos in membranis veteribus malè diſpoſitos, in concinniorem ordinem reduxit Scaliger. Sed extremam manum admovit Tollius, ex cujus ſententia excudi eos curavi. Sic autem in vulgatis editionibus leguntur:

O flos juvenum.
Spes læta patris:
Nec certa tuæ
Data res patriæ
Non manſuris
Ornate bonis:
Oſtentatus,
Raptuſque ſimul,
Solſtitialis
Velut herba ſolet,

Rhetor Alethi.
Tu Burdigalæ
Lætus patria
Clara cohortis
Vexilla regens
Pubere in ævo:
* * * * *
Poſtque Patere,
Major utroque:
Tu primævis

Rhetor

Rhetor Alethi.
Tu primævis
Doctor in annis,
Et præceptor
Tempore, quo te
Diſcere adultum
Non turpe foret.
[1] Prætextate
Jam [2] genitori
Conlatus eras.
Ille ſuperbæ
[3] Mœnia Romæ
Fama & meritis
Inclytus auxit.
Tu Burdigalæ
Lætus patriæ,
[4] Clara cohortis
Vexilla regens,
[5] *Poſt Nazarium*,
Poſtque Pateram;
Major utroque,
Non ſine morſu
Gravis invidiæ,
Cuncta habuiſti
Commoda fati.
Non manſuris

INTERPRETATIO.

non ſtabile. Tu fuiſti *doctor in primâ juventâ, & magiſter* illâ *ætate, quâ non dedeceret* te *juvenem diſcipulum eſſe.* Adhuc *prætextam gerens, jam comparatus eras patri* tuo. *Ille illuſtris claritate nominis & meritis, ornavit muros magnæ Romæ. Tu in patriâ tuâ Burdigalâ lætus anteſignanus turbæ* magiſtrorum, *poſt Nazarium, & poſt Pateram; clarior ambobus, poſſediſti omnia bona fortunæ, non ſine morſu acerbæ invidiæ. Cumulatus bonis non duraturis, Fortunæ*

NOTÆ.

Doctor in annis,
Et præceptor,
Tempore, quo te
Diſcere adultum
Non turpè foret,
Cuncta habuiſti
Commoda fati.
Prætextate
Jam genitori
Conlatus eras.
Ille ſuperbæ
Mœnia Romæ
Fama, & meritis
Non ſine morſu
Gravis invidiæ
Inclitus auxit
Floris adulti
Vota tuorum.
Et Rhetoricam
Fruge carentem,
Et connubium
Nobile ſoceri,
Sine pace patris:
Et divitias
Utriuſque, ſine
Herede ſuo
Deſeruiſti.
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, & rapuit.
Quam fatiloquo
Dicte profato
Verſus Horatî:
NIHIL EST AB
OMNI
PARTE BEATUM.

ſenſu ut videre eſt, longè minus expedito.

3. *Nec certa.*] Id eſt, non manſura, non propria.

1. *Prætextate.*] Id eſt, cùm adhuc geſtares prætextam togam, quam excipiebat virilis. Vocativum caſum pro recto promiſcuè ſatis uſurpat in his carminibus Auſonius.

2. *Genitori.*] Latino Alcimo Alethio, de quo carm. 2°.

3. *Mœnia Romæ.*] Intra quæ docuit.

4. *Clara cohortis vexilla.*] Principatum ſcholæ. *Cohors* h[illegible]c Doctorum & Magiſtrorum intelligenda eſt.

5. *Poſt Nazarium.*] Hiatus hic erat in membranis, & ſequens verſiculus ſic legebatur: *Poſtque Petera.* Scaliger ſic hiatum ſupplebat, & emendabat ſequentem verſiculum: *Poſt fata Patris, poſtque Pateræ.* Sed, cum docuiſſe Romæ Patrem, filium verò Burdigalæ ſuperiores verſus demonſtrent; & Pateræ non Alcimum Alethium, ſed Nazarium quendam in munere docendi conjungat Auſonius infra carm. 14 his verſibus.

Gloria Athenæi cognita ſede loci;
Nazario, & claro quondam delata Pateræ,

magis probo conjecturam Tollii, qui ſic lacunam ſupplet: *Poſt Nazarium*, & pro *Petera*, quod in membranis veteribus legitur, *Pateram* reponit; non, ut Scaliger, *Pateræ*. De hoc porrò Patera vide carmen 4. ſupra.

Ornate bonis ;
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, & rapuit.
[1] Solſtitialis
Velut herba ſolet,
[2] Oſtentatus
Raptuſque ſimul ,
Pubere in ævo
Deſeruiſti
Vota tuorum,
Et Rhetoricam
[3] Floris adulti
Fruge carentem ;
Et connubium
Nobile ſoceri ,
[4] Sine pace patris ;
Et divitias
[5] Utriuſque domus
[6] Sine herede tuo.
Quam fatiloquo
Dicte profatu
Verſus Horatî !
[7] Nihil eſt ab omni
Parte beatum.

Interpretatio.

præmatura cuncta tibi dedit , & abſtulit : monſtratus , & ereptus ſimul , ut herba ſolſtitii ſolet , in ætate adultâ deſtituiſti vota tuorum , & Rhetoricam fraudatam fructu puberis tuæ *ætatis , & adfinitatem illuſtrem tui ſoceri ſine veniâ patris : & opes utriuſque domus abſque herede tuo. O carmen Horatii , quàm fatidicâ vaticinatione es pronunciatum ! Nihil eſt fortunatum ex omni parte.*

Notæ.

1. *Solſtitialis.*] Plinius meminit ſolſtitialis herbæ cujuſdam , quam condurdum appellat Nat. hiſt. lib. 26. cap. 5. *Condurdum* , inquit , *herba ſolſtitialis , flore rubeo , ſuſpenſa in collo comprimere dicitur ſtrumas.* Sed de brevitate herbæ hujus nihil habet. Plautus in Pſeudolo , ſolſtitialis herbæ brevis ævi meminit.

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui ;
Repentè exortus ſum , repentinò occidi.

Ubi interpretes *herbam ſolſtitialem* intelligunt eam , quæ tempore ſolſtitii , nocte præſertim frigidiuſculâ & rorulentâ , ſubnaſcitur ; & poſteà calore ſolis diurni , qui tunc maximè ſævit , moritur , aut certè langueſcit. Proverbialiter dicitur de re fugaci , & non diuturnâ.

2. *Oſtentatus raptuſque ſimul.*] Virg. l. 6. Æneid. de Marcello :

Oſtendent terris hunc tantum fata.

3. *Floris adulti fruge carentem.*] Metaphora à plantis quæ poſt florem , frugem ſuam , id eſt , ſemen proferunt , in quo verus eſt earum fructus.

4. *Sine pace patris.*] An *deſeruiſti ſine pace patris ?* an *contractum ſine pace patris ?* id eſt , *ſine veniâ ?* magis placet poſterius.

5. *Utriuſque domus.*] Soceri , & patris.

6. *Sine herede tuo.*] Sine filio à te prognato , is enim *ſuus heres* eſt in jure. Obſerva primam ſyllabam vocis *herede* correptam , contra morem , ab Auſonio.

7. *Nihil eſt ab omni.*] Deſumptum ex Ode 16. lib. 2. carm. Horatii. Sed ut Anapæſticus verſus conſtet , prima ſyllaba vocis *omni* corripitur ob duas liquidas *m.* & *n.* ut in *Clytæmneſtra* : ſic Lucretius lib. 3.

Quum ſemel ex omnibus membris ablata receſſit.

Digitized by Google

Leontinus, Grammaticus, cognomento Laſcivus. VII.

197 QUi colis lætos, hilaroſque mores,
Qui dies feſtos, joca, vota, ludum,
Annuum functi memora Leontî
Nomine threnum.

[1] Iſte LASCIVUS patiens vocari,
Nomen indignum probitate vitæ
Abnuit nunquam: quia gratum ad aures
Eſſet amicas.

Litteris tantum titulum aſſecutus,
Quantus exili ſatis eſt cathedræ;
Poſſet inſertus numero ut videri
Grammaticorum.

Tu meæ ſemper ſocius juventæ,
Pluribus quamvis cumulatus annis,
Nunc quoque in noſtris recales medullis,
Blande Leonti:

Et juvat triſti celebrare cura
Flebilem cantum memoris querelæ:
[2] Munus ingratum, tibi debitumque
Carmine noſtro.

INTERPRETATIO.

Quiſquis delectaris jucundis, & facetis moribus, quiſquis amas *dies feſtos, cavillos, vota, luſum, refer anniverſariam lamentationem nomine Leontii mortui. Hic ſinens ſe appellari Laſcivum, numquam reſpuit nomen malè conveniens probis* ſuis *moribus: quoniam* illud *placebat auribus amicorum. Adeptus in litteris tantum nomen, quantum ſufficit tenui cathedræ; ut poſſet videri inſcriptus ordini Grammaticorum. Tu ſemper comes meæ juventutis, quanquam grandior eſſes natu, nunc etiam reviviſcis in meo pectore, ô ſuavis Leonti: & animus eſt* mihi *canere mæſto officio lugubre carmen lamentationis memoris* tui: quod *munus* eſt mihi *acerbum, & tibi debitum à meis verſibus.*

NOTÆ.

1. *Iſte Laſcivus patiens vocari.*] Non moleſtè ferens quòd cognomentum ipſi Laſcivo eſſet inditum; quia hilariter vitam tranſigebat in ludis & jocis, quanquam probus eſſet. Non enim *laſcivus* ſemper *libidinoſum* ſonat, ſed *petulantem* & *jocabundum*. Sic *laſcivire otio milites*, ſic *laſcivi pueri*, aliaque multa.

2. *Munus ingratum.*] Querelam funebrem, quæ ſemper amico acerba eſt. Interpungendum poſt *ingratum*, ut vox *tibi* ad ſequentem referatur, non ad præcedentem.

Grammaticis Græcis Burdigalenſibus. VIII.

198 [1] ROmulum [2] poſt hos prius, an [3] Corinthi,
Anne [4] Sperchei, pariterque [5] nati
Atticas Muſas memorem [6] Meneſthei
Grammaticorum?

Sedulum cunctis ſtudium docendi;
Fructus exilis, tenuiſque ſermo:
Sed, quia noſtro docuêre in ævo,
Commemorandi.

Tertius horum mihi non magiſter;
Cæteri primis docuêre in annis,
Ne forem vocum rudis, aut loquendi;
Sed ſine cultu.

Obſtitit noſtræ quia, credo, mentis
Tardior ſenſus: neque diſciplinis
Appulit Græcis puerilis ævi
Noxius error.

[7] Vos levis cæſpes tegat, & ſepulchri
Tecta defendant cineres opertos:
At meæ vocis titulus ſupremum
Reddat honorem.

INTERPRETATIO.

An poſt hos dicam prius Romulum, an Græcas Camœnas Corinthi, an Sperchei, ſimulque filii ejus *Meneſthei Grammaticorum? Aſſidua fuit* illis *omnibus cura docendi; emolumentum exiguum, & parva fama: verùm, quoniam meâ ætate docuerunt, celebrandi* mihi ſunt. *Tertius eorum non* fuit *mihi præceptor: reliqui docuerunt me in primâ juventâ, ne eſſem ignarus verborum, aut fandi; ſed abſque ornatu: quia, ut puto, lentior vis ingenii mei obfuit; neque damnoſa aberratio ætatis* meæ *puerilis* me *admovit ad ſcientias Græcas. Terra levis vos operiat, & tectum tumuli protegat cineres* veſtros *conditos: inſcriptio autem mei carminis exhibeat vobis extremum honorem.*

NOTÆ.

1. *Romulum.*] Nomen eſt Grammatici. Deſumptum hoc verſus principium ex Ode 12. lib. 1. carm. Horatii.

2. *Poſt hos.*] Profeſſores ſuperioribus carminibus memoratos.

3. *Corinthi.*] Grammatici à Corintho urbe denominati. Unde crediderim *Corinthium* appellatum; ita ut *Corinthi* pro *Corinthii* ſit poſitum per apocopen.

4 *Sperchei*] A Sperchio Phtiotidis fluvio, qui in ſinum Maliacum influit, dictus hic Grammaticus.

5. *Nati.*] Sperchei.

6. *Meneſthei.*] Mneſteus Μνησθεύς l. 5. Æneid.

Mox Italus Mneſtheus.

& alibi non uno in loco. Libro 10. eadem epentheſi Meneſtheus ponitur ut hic:

—— Lyrneſſius Acmon.
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.

7. *Vos levis cæſpes tegat.*] Precatio mortuis ſolita fieri; *ut ſit terra levis, ut humus cineri non ſit oneroſa, &c.*

Digitized by Google

Jucundo, Grammatico Burdigalenſi, [1]fratri Leontii. IX.

199 ET te, quem cathedram temere uſurpaſſe loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruiſſe putant;
Voce ciebo tamen, ſimplex, bone, amice, ſodalis;
Jucunde, [2] hoc ipſo care magis ſtudio,
Quod quamvis impar nomen tam nobile amaſti,
Et [3] meritos inter [4] commemorande viros.

Interpretatio.

Te quoque appellabo carmine tamen, quem ferunt inconſulte occupaſſe cathedram, neque exiſtimant dignum fuiſſe nomine Grammatici, ô Jucunde, ſimplex, probe, amice, contubernalis, & *mihi charior propter hoc ipſum ſtudium; quia dilexiſti nomen tam clarum, (quanquam ipſi non ſufficeres,) celebrandus es inter viros qui eo digni* fuerunt.

Notæ.

1. *Fratri Leontii.*] Laſcivi, de quo eſt carmen 7.

2. *Hoc ipſo care magis, &c.*] Id eſt, ipſe tuus conatus, atque ipſa ambitio te mihi reddit cariorem, & ideo te laudo: quòd, etſi Grammatici nomen non benè ſuſtinuiſti doctrinâ, tam nobili tamen auſo excidiſti.

3. *Meritos.*] Eos qui doctrinâ ſuâ & ingenio nomen illud & laudes noſtras promeriti ſunt.

4. *Commemorande.*] Pro *Commemorandus*, ut jam ſupra obſervavi carm. *6.* ad vocem *prætextate.*

Grammaticis Latinis Burdigalenſibus Philologis, Macrino, Phœbicio, Concordio, Sucuroni, Ammonio, Anaſtaſio Grammatico Pictaviorum. X.

200 [1] NUnc, ut quemque mihi
Flebilis officii
Relligioſus honor
Surgeret, expediam.
Qui, quamvis humili
Stirpe, loco, ac merito,
Introtulêre tamen
Grammaticæ ſtudium
Ingeniis hominum
Burdigalæ rudibus.
[2] Permaneat ſeries;
Sit Macrinus in his,

Interpretatio.

Jam canam unumquemque, prout cultus religioſus lugubris officii ſuppeditabit meæ memoriæ: *qui quanquam* eſſent *obſcuro genere*, tenui *loco*, *&* exiguo *merito*, *injecerunt tamen ſtudium Grammaticæ imperitis mentibus Burdigalenſium.* Hic *ordo* inter eos *ſervetur*: *Inter illos*

Notæ.

1. *Nunc ut quemque.*] Carmen hoc in duo ſectum in membranis veteribus, & turbato verſiculorum ordine, tenebris ſcatens, in unum compegit & ordinavit, lucique reſtituit Scaliger; cujus emendationem ſequutus ſum in textu ordinando, & in interpretatione.

2. *Permaneat ſeries.*] Hoc vult: quia eorum nullum eſt meritum, neque alius alio præſtantior eſt, ſe ſecuturum ſeriem & ſucceſſiones eorum, atque ætates.

[1] Sobrius & puerorum
Utilis ingeniis.
Huic mea principio
[2] Credita pueritіes.
Nec reticebo [3] ſenem
Nomine Phœbicium;
Qui [4] Beleni [5] æditυus,
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, [6] ut placitum,
Stirpe ſatus Druidum,
[7] Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram
[8] Nati opera obtinuit.
Et tu, Concordi,
Qui profugus patria;
Mutaſti ſterilem
Urbe alia cathedram.
Et libertina
[9] Sucuro progenies;
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas.
Pange & Anaſtaſio
Flebile, Muſa, melum;
[10] Et memora tenuem
Nænia Grammaticum:
Burdigalæ hunc genitum,
Tranſtulit ambitio,
[11] Pictonicæque dedit;

INTERPRETATIO.

los ponatur Macrinus, ſobrius, & idoneus regendis *ingeniis puerilibus. Mea pueritia ei commiſſa eſt initio. Nec ſilebo ſenem Phœbicium nomine, qui præfectus templo Apollinis, nullum ex eo auxilium accepit. Nihilominus tamen, ortus (ut volunt) proſapiâ Druidarum ex populo Aremorico, conſecutus eſt cathedram Burdigalæ beneficio filii. Et tu, ô Concordi, qui exul à patriâ, commutaviſti cathedram tenuem* cathedrâ *aliùs civitatis. Et tu Sucuro generis libertini, qui docebas ignaros pueros primas litteras. Cane etiam ô Muſa lugubre melos Anaſtaſio: &* tu, *ô carmen, refer exilem Grammaticum: hunc, natum Burdigalæ, ambitio* aliò *abduxit, & donavit Picta-*

NOTÆ.

1. *Sobrius, & puerorum, &c.*] Ita lego unico verſu, juxta codicem Lugdunenſem; in aliis verò codicibus legitur:

Sobrius in pueris,
& puerorum;

quam lectionem repudiandam eſſe ipſa ratio convincit.

2. *Credita pueritіes.*] Duas priores ſyllabas vocis *pueritіes*, quæ breves ſunt, conjunge in unam longam diphthongum, ut metri ratio conſtet.

3. *Senem nomine Phœbicium.*] Patrem Attii Pateræ Rhetoris, de quo eſt carm. 4. & avum Delphidii, de quo carm. 5.

4. *Beleni.*] Phœbi Apollinis, de quo vide carm. 4. ſupra; à quo Deo *Phœbicius* eſt appellatus, vel, (ut placet Grævio,) *Phœbadius.*

5. *Æditυus.*] Qui *ædem*, id eſt, templum *tuetur*, & ei præeſt.

6. *Ut placitum, ſtirpe ſatus Druidum.*] Addit *ut placitum*, quia non omnibus credibile videbatur. De eadem re in elogio Pateræ carmine 4. dixit: *Si fama non fallit fidem;* ad quod carmen vide quæ de Druidis dixi.

7. *Gentis Aremoricæ.*] *Bajocaſſiam*, ut patet ex carmine 4. Neque putes Aremoricas gentes eas ſolum fuiſſe, quæ hodie minorem Britanniam, (ut appellamus,) componunt. Cæſar enim Comm. l. 7. civitates Galliæ Oceanum attingentes (qualis eſt Bajocaſſium) Gallorum conſuetudine Aremoricas eſſe appellatas ſcribit.

8. *Nati opera.*] Attii Pateræ, cujus jam Rhetoricam Burdigalæ docentis opera & ſtudio accitus jam ſenex, Grammaticam ibidem docuit.

9. *Sucuro.*] Nomen peregrinum & ſervile, huic Grammatico conveniens; quem libertinæ conditionis fuiſſe ait.

10. *Et memora tenuem.*] Hic incipiebat alterum illud carmen, quod, ut partem prioris, ei redonavit Scaliger. Habebat autem hunc titulum: *Ammonio Anaſtaſio Grammatico Pictaviorum.* Hos duos porrò verſus: *Et memora tenuem, Nænia, Grammaticum* malè expungit Scaliger; cum extent in veteribus membranis à Vineto laudatis.

11. *Pictonicæque dedit.*] Supple *urbi: Poi-*

Digitized by Google

Pauper ubi, & tenuem
Victum habitumque colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, & cathedræ
Perdidit in ſenio :
Doctrina exiguus,
[1] Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem :
Sed tamen hunc noſter
Commemoravit honos.
Relligioſum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ ;
Ne pariter tumulus
[2] Nomen & oſſa tegat.

INTERPRETATIO.

vica urbi; *ubi tenuis, utens victu & veſtitu paupere, amiſit in ſenectute exiguam gloriolam patriæ, & cathedræ : tenuis eruditione, inquietis moribus, ideoque in exiguâ existimatione fuit, ut dignus erat : nihilo tamen minus meum carmen hunc celebravit. Officii enim mei* puto *celebrare Grammaticum popularem meum, ne ſepulchrum abſcondat ſimul nomen* ejus *& cineres.*

NOTÆ.

tiers. Urbs Pictonum, ſeu Pictavorum eſt caput, qui noti Cæſari, Straboni, & aliis veterum multis.

1. *Moribus implacidis.*] Fortaſſe *implacidus*, ut modò : *Doctrina exiguus.*

2. *Nomen & oſſa tegat.*] Id eſt, famam ejus & nomen unà cum corpore obruat, & tradat oblivioni.

Herculano, Sororis filio, Grammatico Burdigalenſi. XI.

201 [1] HErculane, qui profectus gremio de noſtro & ſchola,
[2] Spem magis quàm rem fruendam præbuiſti avunculo,
Particeps ſcolæ, & cathedræ penè ſucceſſor meæ ;
Lubricæ niſi te juventæ [3] præcipitem flexus daret,
[4] Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam :

INTERPRETATIO.

Herculane, qui egreſſus de meo ſinu & de meo *ludo, dediſti avunculo* tuo *potius ſpem quàm rem fruendam, ludi* mei *particeps, & ferè ſucceſſor meæ cathedræ ; niſi propenſio juventutis periculoſa te in præceps raperet, non ſervantem directum iter viæ Pythagoreæ : Sis quietus, &*

NOTÆ.

1. *Herculane.*] Hic eſt Pomponius Maximus Herculanus, de quo carmine 17. Parentalium.

2. *Spem magis quàm rem fruendam.*] Sic carm. 11. Parent. luſit in his voc. *ſpes*, & *res*:

Paſtor chare nepos, ſpes cujus certa fuit res.

Spes eſt in adoleſcentia, *res* in virili ætate : unde in numiſmatibus antiquis Spes juvencula pingitur ; & Cicero ait, in tenerâ ætate *ſpem non rem laudari ſolere.*

3. *Præcipitem.*] In deſidiam & luxum.

4. *Pythagorei, &c.*] Id eſt, non inſiſtentem virtutis viam. Pythagoras quippè Samius Philoſophus, ut rudes animos ad virtutem alliceret, & abſterreret à vitiis, humanæ vitæ ſpeciem littera Y adumbrabat ; cujus baſis, quæ ad diſcrimen bicorne ſeſe extendit, acta infantiæ noſtræ, quæ neque bona neque mala ſunt, ſignificaret : deinde ubi ad bivium perveniſſemus, hoc eſt, ad verum diſcrimen boni ac mali, dicebat nos liberè in utramvis partem vellemus progredi poſſe : ſiquidem in dexteram quæ virtutis eſt, tendere vellemus, ſummà ope primum enitendum eſſe, ſed ad amœna loca nos perventuros : ſin ad ſiniſtram quæ vitiorum eſt, declinaremus, facilem quidem aditum eſſe, ſed duriſſimum inſtare exitum. Vide carmen de hac litterâ Virgiliò attributum, quod incipit :

Eſto placidus, & quietis Manibus [1] ſedem fove,
Jam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

INTERPRETATIO.

tranquillâ umbrâ incole ſepulcrum, tu qui *jam pridem à me celebratus* es *inter nomina parentum* meorum.

NOTÆ.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur, &c.

1. *Sedem fove.*] Sepulchrum. Lib. 6. Æneid.
Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.

[1] *Thalaſſo, Grammatico Latino, Burdigalenſi.* XII.

202 OFficium, nomenque tuum, [2] primæve Thalaſſe,
Parvulus audivi: vix etiam memini,
Quâ formâ, aut merito fueris, quâ ſtirpe parentum.
Ætas nil de te poſterior celebrat.
Grammaticum juvenem te tantum fama ferebat,
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.
Sed quicunque tamen, noſtro quia doctor in ævo
Vixiſti, hoc noſtrum munus habeto, Vale.

INTERPRETATIO.

O Thalaſſe, ego adhuc *parvulus audivi nomen, & munus tuum: at ægrè nunc recordor quo ore aut quibus virtutibus*, aut *quo genere fueris. Ævum poſterius nihil memorat de te. Fama ſolum te dicebat eſſe juvenem Grammaticum; atque* ea quidem *tam parva tunc erat, quàm nunc nulla ſupereſt. Attamen quiſquis es, quoniam vixiſti magiſter meâ ætate, cape hoc meum munus. Vale.*

NOTÆ.

1. *Thalaſſo.*] Forte melius *Thalaſſio*, & in primo verſu *Thalaſſi*, pro *Thalaſſe*. Eſt enim à θάλασσα *Thalaſſius.*
2. *Primæve.*] Id eſt, *qui docuiſti in primo ævo, ſeu juventute tua.* Infra:
Grammaticum juvenem tantum te fama ferebat.

Citario, Siculo Syracuſano, Grammatico Burdigalenſi, Græco. XIII.

203 ET Citari dilecte, mihi memorabere, dignus
Grammaticos inter qui celebrêre bonos.
Eſſet Ariſtarchi tibi gloria, Zenodotique
Grajorum; antiquus ſi ſequeretur honos.

INTERPRETATIO.

Tu *quoque, Citari chare, celebraberis à me, dignus qui prædiceris inter præſtantes Grammaticos. Laus eſſet tibi* par laudi *Ariſtarchi, & Zenodoti Græcorum: ſi* nunc idem *honos habe-*

Carminibus,

Carminibus, quæ prima tuis ſunt condita in annis,
Concedit [1] Cei Muſa [2] Simonidei.
[3] Urbe ſatus Sicula, [4] noſtram peregrinus adiſti:
Excultam ſtudiis quam propè reddideras.
Conjugium nactus cito nobilis, & locupletis,
Invidia fati non genitor moreris.
At nos defunctum memori celebramus honore,
Fovimus ut vivum munere amicitiæ.

INTERPRETATIO.

retur litteris, *qui olim* habebatur. *Muſa Simonidis Cei cedit verſibus, quos ſcripſiſti in primis annis* vitæ tuæ. *Natus in urbe Siciliæ, veniſti extraneus in noſtram, quam pene effeceras eruditam ſtudiis. Adeptus brevi connubium* feminæ *claræ, & divitis, invidente fortunâ mortem obis abſque liberis. At ego mortuum proſequor grato carmine, quemadmodum proſequutus ſum amicitiæ officiis viventem.*

NOTÆ.

1. *Cei.*] Ex Ceo inſula, unà ex Cycladibus; unde oriundus erat Simonides Poëta.

2. *Simonidei.*] Pro *Simonidis*, à recto *Simonideus*; vel Ionico genitivo Σιμωνίδεω.

3. *Urbe ſatus Sicula.*] Syracuſis, ut ex lemmate patet.

4. *Noſtram.*] Burdigalam.

Cenſorio Attico [1] *Agricio, Rhetori.* XIV.

204 ELoquii merito primis æquande, fuiſti
Agrici hic [2] poſitus poſteriore loco:
Ævo qui quoniam genitus functuſque recenti,
Dilatus nobis, non & omiſſus eras.
Quocunque in numero, triſti memorabere threno:
Unus honos tumuli ſerus, & ante datus.
Tam generis tibi celſus apex, quam gloria fandi.
Gloria [3] Athenæi cognita ſede loci;
Nazario, & claro quondam delata Pateræ,
Egregie [4] multos excoluit juvenes.

INTERPRETATIO.

Agrici, qui *eloquentiæ laude æquiparandus* eras *principibus, collocatus fuiſti in poſteriore ordine; qui quia proximo tempore natus & mortuus* es, *remiſſus à me eras* in poſteriorem locum, *non autem prætermiſſus. Quoquo* tandem *ordine, celebraberis mæſtâ lamentatione: eadem eſt laus ſepulcri, ſive tardiùs exhibeatur, ſive citiùs. Tam ſublime tibi eſt faſtigium natalium, quam ſublimis eſt laus eloquii. Laus* illa *nota* eſt vel *ex patriâ* tuâ *Atticâ*; laus tri-

NOTÆ.

1. *Agricio.*] *Agræcius* legitur apud Sidonium lib. 5. epiſt. 10. & ſic legi vult Vinetus, qui ab ἄγροικος deducit, quod ſignificat *agreſtem.*

2. *Poſitus poſteriore loco.*] Secundum ſeriem carminum.

3. *Athenæi loci.*] Athenarum, ubi eloquentes à natura erant.

4. *Multos excoluit juvenes.*] Deeſſe hic aliquid Vinetus ſuſpicatur; fortaſſe *qui* ut ſit: *multos qui excoluit juvenes*, & referatur ad Pateram; quæ conjectura non diſplicet.

V

Digitized by Google

Conjuge nunc, natiſque ſuperſtitibus, generoque,
Majorum Manes, & monumenta foves.

INTERPRETATIO.

buta olim Nazario & illuſtri Patera, qui optimè inſtituit multos juvenes. Nunc colis Manes, & ſepulcra majorum, relictis uxore, liberis, & genero.

Nepotiano Grammatico, eidem Rhetori. XV.

205 FAcete, comis, animo [1] juvenali ſenex,
Cui [2] felle nullo, melle multo mens madens,
Ævum per omne nil amarum miſcuit:
Noſtri medela, Nepotiane, pectoris;
Tam ſeriorum quam jocorum particeps,
Taciturne, [3] Amyclas qui ſilendo viceris.
Te fabulantem non Ulyxes linqueret,
Liquit canentes qui [4] melodas virgines.
Probe, & pudice, parce, frugi, abſtemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens ſtylo,
Et diſputator [5] ad Cleanthen Stoïcon:
[6] Scaurum, Probumque corde callens intimo:

INTERPRETATIO.

Urbane, ſuavis, ſenex mente juvenili, cui animus nullo felle imbutus, ſed *multo melle, nihil habuit admixtum amari per totam vitam: ô Nepotiane, remedium mei animi, quo cum ſeria pariter & jocos communicabam;* adeò *taciturne, ut ſuperare potueris Amyclas tacendo. Ulyſſes, qui fugit puellas ſuaviſſime cantantes, non* poſſet *à te diſcedere, dum loqueris. O bone, caſte, parce, frugalis, ſobrie, eloquens, nemini oratorum inferior genere ſcribendi, & diſputator comparandus Cleanthi Stoico: tenens in intimâ mente* præcepta *Scauri, & Probi: &*

NOTÆ.

1. *Juvenali.*] *Juvinili.* Eodem ſenſu legitur apud Plinium lib. 33. c. 2. *Quum C. Sulpitius Galba juvenalem famam apud Principem popinarum pœnis aucuparetur.*

2. *Felle nullo, melle multo.*] Metonymia, pro *amaritie nullâ, & multâ dulcedine.*

3. *Amyclas.*] *Tacitas illas,* ſeu *taciturnas,* quæ periere ſilentio. Oppidum fuit in Italiâ, teſte Servio ad illud Virg. Æneid. 10. *Et tacitis regnavit Amyclis,* inter Terracinam & Cajetam conſtitutum à Laconibus, qui comites Caſtoris, & Pollucis fuerunt; & ab Amyclis, provinciæ Laconicæ civitate, eſt ei nomen inditum: quæ civitas cum frequenter falsò nuntiantibus hoſtes adeſſe, inani terrore quaſſata eſſet; latâ lege cautum eſt, ne quis unquam nuntiaret hoſtis adventum. Poſtea cum verè hoſtis veniret, nullo nuntiante, ex improviſo capta eſt. Undè *tacitæ Amyclæ.*

4. *Melodas virgines.*] Sirenes.

5. *Ad Cleanthen.*] *τὸ ad* comparationem hic ſignificat. Sic carm. 20. infra:

Grammatice ad Scaurum, atque Probum.

ſic Terent. *Nihil ad noſtram hanc.* Porrò Stoici dialectices in primis ſtudioſi fuerunt, & diſputandi peritiſſimi. Cleanthes hic diſcipulus fuit Zenonis Stoicorum Principis, Magiſter Chryſippi, qui Soriten; (acervalem argumentationem,) fertur inveniſſe.

6. *Scaurum, Probumque.*] Grammaticos nobiles.

Et [1] Epiroτe [2] Cinea memor magis.
Sodalis, & convictor, hoſpes jugiter:
Parum quod hoſpes; mentis agitator meæ.
Conſilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore geſti Præſidatus inclytus,
Decies novenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis;
Dolore multo, tam tuorum, quam meo.

Interpretatio.

memoriâ ſuperans Cineam Epiroten. Mi *contubernalis*, *&* *convictor*, & *perpetuo hoſpes*: ſed *leve* eſt *quod hoſpes* meus fueris, fuiſti etiam *rector mei animi*. *Nemo tam candido pectore dedit conſilia*, *aut profundiori ſecreto occultavit quæ dederat*. *Clarus quòd Præſes fuiſti* provinciæ, *poſtquam per nonaginta annos vixiſti*, *obis diem ſupremum*, *duobus relictis natis*; *cum maximo luctu*, *&* *tuorum* cognatorum, *&* *meo*.

Notæ.

1. *Epiroτe.*] Eliſo ι ſecundæ ſyllabæ ad correptionem: eſt enim ἠπειρώτης *Epiro oriundus*. Quod ſi eſſet ab ει, i Latinum longum eſſet. Eſt ergo ab ἠπειρώτης.

2. *Cinea memor magis.*] Hic Cineas, Pyrrhi Epirotarum Regis legatus, eâ valuit memoriâ, teſtibus Plinio, & Solino, ut poſtero die quam ingreſſus Romam fuerat, & equeſtrem ordinem, & Senatum propriis nominibus ſalutaverit.

Æmilius Magnus Arborius, Rhetor Toloſæ. XVI.

206 Inter cognatos [1] jam fletus, avuncule, Manes:
Inter Rhetoricos nunc memorandus eris.
[2] Illud opus pietas, [3] iſtud reverenda virorum
Nomina, pro patriæ religione habeant.
[4] Bis meritum duplici celebremus honore parentem
Arborium; Arborio patre, & avo Argicio.
Stemma tibi [5] patris Æduici; [6] Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit: ambo genus procerum.

Interpretatio.

O avuncule, *quem jam luxi inter mortuos conſanguineos* meos: *jam* mihi *celebrandus eris inter Rhetores*. *Prius carmen* datum eſt *pietati*, *hoc detur venerandis nominibus virorum* illuſtrium, *pro charitate patriæ*. *Memoremus gemino carmine conſanguineum Arborium*, *meritum* id *duplici* nomine; cui *pater* fuit *Arborius*, *&* *avus Argicius*. *Genus paternum* ducis *ab Æduis*: *mater Maura oriunda fuit ex Tarbellis*; *uterque orti ab optimatibus*. *Sortitus es juvenis*

Notæ.

1. *Jam fletus.*] Carmine 3. Parentalium.

2. *Illud opus.*] Laudationem inter parentes.

3. *Iſtud.*] Laudationem inter Profeſſores.

4. *Bis meritum.*] Quod & avunculus, & profeſſor Burdigalæ.

5. *Patris Æduici.*] Carmine Parent. 4°. *Arborium Æduico ductum de ſtemmate nomen.*

6. *Tarbellica Maura matris origo fuit.*]

Nobilis & dotata uxor, domus, & ſchola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt juveni.
Dum [1] Conſtantini fratres opulenta Toloſa
Exilii ſpecie ſepoſitos cohibet.
[2] Byzantî inde arcem, Threſſæque [3] Propontidis urbem
Conſtantinopolim fama tui pepulit.
Illic dives opum, [4] doctoque ibi Cæſare honorus
Occumbis [5] patribus, Magne, ſuperſtitibus.
In patriam ſed te ſedem, ac monumenta tuorum
[6] Principis Auguſti reſtituit pietas.
Hinc renovat cauſam lacrymis, & flebile munus,
Annuus ingratâ relligione dies.

INTERPRETATIO.

conjugem claram, & locupletem domum, & cathedram, & amicitiâ junctus es cum principibus viris; *cum dives Toloſa teneret fratres Conſtantini relegatos* in eam *genere quodam exilii. Deinde fama tua pervenis ad arcem Byzantii, & Conſtantinopolim civitatem Propontidis Threiciæ. Illic, ô Magne, abundans divitiis, & clarus ob edoctum Cæſarem, moreris; vivis* adhuc *parentibus* tuis. *Verum amor Auguſti Principis* erga te *reddidit te patriæ* tuæ, *& tumulis tuorum conſanguineorum: ideò dies anniverſarius redintegrat mihi acerbâ religione cauſam lacrymarum, & officium lugubre.*

NOTÆ.

Hæc fuit Æmilia Corinthia Maura avia materna Auſonii, de quâ eſt carmen 5. Parentalium. De hac carm. 4. quod eſt de avo Cæcilio Argicio Arborio, Arborii hujus patre, ſic habet:

Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturrus,
Tarbellique furor perſtrepit Oceani,
Graſſantis dudum fortunæ tela paventem
Pauperis ÆMILIÆ conditio implicuit.

1. *Conſtantini fratres.*] Anaballianum, Conſtantium, & Conſtantem; de quorum tamen relegatione in urbem Toloſam nihil alibi legitur, quod ſciam.

2. *Byzanti*] Byzantii, quæ deinde Conſtantinopolis.

3. *Propontidis.*] Maris hodie *de Marmara.* Dicta eſt Propontis quod ſita ſit πρὸ πόντου, id eſt, ante Pontum Euxinum. In Propontidis & Boſphori litiore, quod Thraciam ſpectat, ſita eſt Conſtantinopolis.

4. *Doctoque ibi Cæſare.*] Quis fuerit ille, non ita liquet. Multi enim fuerunt, Conſtantini Auguſti ætate, Cæſares; quatuor ſcilicet ejus filii Criſpus, Conſtantinus, Conſtantius, Conſtans, & Licinius ſororis, ac Dalmatius fratris ejus Anaballiani filius. Hunc poſtremum magis crediderim hic deſignari: quippe cujus patri Anaballiano Toloſæ agenti pridem notus fuerat Arborius, ut ex ſuperioribus patet.

5. *Patribus ſuperſtitibus.*] Utroque parente; Cæcilio Argicio Arborio, & Æmiliâ Corinthiâ Maurâ.

6. *Principis Auguſti.*] Conſtantinum intelligit Vinctus.

[1] *Exuperius, Rhetor Toloſæ.* XVII.

207 EXuperi memorande mihi, facunde ſine arte,
Inceſſu gravis, & verbis ingentibus, ore
Pulcher, & ad ſummam, motuque habituque venuſto.
Copia cui fandi longè pulcherrima; quam ſi
Auditu tenus acciperes, deflata placeret:
Diſcuſſam ſcires ſolidi nihil edere ſenſus.
[2] Palladiæ primum toga te venerata Toloſæ,
Mox pepulit levitate pari. [3] Narbo inde recepit.
Illic [4] Dalmatio genitos, [5] fatalia regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi
Formaſti Rhetor, metam propè puberis ævi.
Cæſareum qui mox indepti nomen, honorem
Præſidis, Hiſpanumque tibi tribuêre tribunal.
Decedens, placidos mores, tranquillaque vitæ
Tempora prædives finiſti [6] ſede Cadurca.
Sed patriæ te jura vocant, & origo parentum,
Burdigalæ ut rurſum nomen de Rhetore reddas.

INTERPRETATIO.

Exuperi celebrande à me, eloquens fuiſti *abſque artificio, gravis greſſu, & grandibus* utens *vocabulis, formoſus vultu, & uno verbo, motu, atque habitu corporis eleganti: cui* fuit *ubertas dicendi longè præſtantiſſima; quam ſi exciperes tantùm auribus*, cum impetu *exhalata* tibi *probaretur*: at ſi eam *exponderes, agnoſceres eam nullum exp'icare ſolidum ſenſum. Primum quidem Palladia Toloſa detulit tibi* honorem *togæ, mox te ejecit eâdem inconſtantiâ. Deinde Narbo te except. Ibi tu Rhetor inſtituiſti, magno docendi præmio, filios Dalmatii, (fatalia nomina Principum,) tunc pueros prope fines ætatis puberis. Qui paulò poſt conſequuti nomen Cæſarum, dederunt tibi munus Præſidis, & tribunal in Hiſpaniâ. Moriens valdè locuples, terminaſti quietos mores, & placidam vitam in urbe Cadurcorum. Sed jus patria* tuæ, *& ſtirps parentum* tuorum *te revocant, ut recenſearis inter Rhetores Burdigalenſes.*

NOTÆ.

1. *Exuperius Rhetor Toloſa.*] Fuit & ejuſdem nominis Toloſæ Epiſcopus.

2. *Palladia Toloſa.*] Cur Toloſa Palladia ſit dicta, expoſui ad carmen tertium Parentalium.

3. *Narbo*] Galliæ Narbonenſis caput. Hanc urbem infra celebrat inter claras urbes Auſonius; ubi plura de eâ

4. *Dalmatio genitos*] Anaballiani nepotes, Dalmatii filios; qui à patruo Conſtantino Imperii hæres unà cum filiis juſſus eſſe, factione Conſtantii patruelis & tumultu militari anno imperii tertio interemptus fuit; anno poſt Chriſtum natum 341.

5. *Fatalia regum nomina.*] Hæc dicit ad funeſtum patris & ipſorum exitum reſpiciens.

6. *Sede Cadurca.*] Apud Cadurcos gentem Aquitaniæ primæ, hodie *Quercis* quorum metropolis apud Ptolomæum *Δουήονα* hodie *Cahors.*

Marcello Marcelli filio, Grammatico Narbonenſi. XVIII.

208 NEc te [1] Marcello genitum, Marcelle, ſilebo;
 [2] Aſpera quem genitrix urbe, domo, pepulit:
Sed fortuna potens citò reddidit omnia, & auxit.
 Amiſſam primum [3] Narbo dedit patriam.
Nobilis hic hoſpes Clarentius indole motus,
 Egregiam natam conjugio attribuit.
Mox ſchola, & auditor multus prætextaque pubes,
 Grammatici nomen, divitiaſque dedit.
Sed nunquam jugem curſum fortuna ſecundat,
 Præſertim pravi nacta virum ingenii.
[4] Verum oneranda mihi non ſunt: memoranda recepi
 Fata. Sat eſt dictum, cuncta periſſe ſimul:
Non tamen & [5] nomen, quo te non fraudo, receptum
 Inter Grammaticos prætenuis meriti.

INTERPRETATIO.

Neque tacebo te filium Marcelli, ô Marcelle: quem mater dura ejecit urbe, & domo: verum fortuna domina rerum *brevi reſtituit* tibi *omnia, & amplificavit.* Ac *primum quidem Narbo reddidit* tibi *patriam quâ excideras. In* eâ urbe *inclytus hoſpes tuus Clarentius impulſus ingenio* tuo, *dedit* tibi *in matrimonium præclaram filiam* ſuam *Exinde cathedra, & frequentia diſcipulorum, & juventus prætextata*, quæ te audiebat, *tribuit* tibi *nomen Grammatici, & opes. At fortuna nunquam præſtat totum curſum* vitæ *felicem, præcipuè ſi incidat in hominem improba natura. Sed non ſunt mihi premenda* vituperatione *fata hominum: inſtitui* tantum *hæc commemorare. Sufficit, ſi dixerim omnia pariter peſſum abiiſſe: non* periit *tamen etiam nomen* tuum, *quod nolim intercepiſſe tibi*, quodque *annumeratum* eſt *Grammaticis laudis perexiguæ.*

NOTÆ.

1. *Marcello genitum.*] Suſpicatur Vinetus Marcellum hunc filium fuiſſe Marcelli viri illuſtris ex magno officio Theodoſii ſenioris, cujus extat liber *de Empiricis* ad filios; quia in illius libri præfatione Auſonii medici meminit, ut ſui civis: Auſonii porrò noſtri pater medicus fuit.

2. *Aſpera quem genitrix.*] Mater novercali in filium animo.

3. *Narbo dedit patriam.*] Te civem ſuum faciendo.

4. *Verum oneranda, &c.*] Corrigit quod inceperat de pravo Marcelli ingenio dicere, & redit in inſtitutum commemorandi, non autem culpandi Profeſſores.

5. *Nomen.*] Grammatici.

Sedatus, Rhetor Toloſanus. XIX.

209 [1] RElligio eſt, tacitum ſi te, Sedate, relinquam:
Quamvis docendi munus [2] indepte es [3] foris.
Communis patria eſt tecum mihi: ſorte potentis
Fati Toloſam nactus es ſedem ſcholæ.
Illic conjugium, natique, opulenſque ſenectus,
Et fama, magno qualis eſt par Rhetori.
Quamvis externa tamen à regione [4] reducit
Te patria, & civem morte obitâ repetit:
Quumque [5] vagantem operam [6] diviſæ impenderis urbi,
[7] Arbitrium de te ſumit [8] origo ſuum.
Eſt tua nunc ſoboles, [9] moremque ſecuta parentis,
Narbonem, ac Romam nobilitat ſtudiis.
* * * * * * * * * * [10] ſed
Fama, velit nolit, Burdigalam referet.

INTERPRETATIO.

Religioni duco te præterire indictum, ô Sedate: etſi ſortitus es docendi provinciam extra patriam. *Eadem eſt patria mihi & tibi: decreto ſortis Fortunæ Toloſa tibi contigit ubi doceres. Ibi* habuiſti *connubium, liberos, & divitem ſenectam, & nomen dignum Rhetore egregio. Patria* tua *revocat te, quanquam ab extraneâ ſede, & repetit* te *civem* ſuum *mortuum: cumque exercueris in remotâ civitate deſultorium* docendi *munus*, locus *tui ortus repetit te pro jure ſuo. Sunt tibi nunc filii*, qui *imitati exemplum patris, illuſtrant Narbonem, & Romam* ſuâ *doctrinâ.* * * * *at fama* ſive *velit*, ſive *nolit*, *aſſeret* te *Burdigalæ.*

NOTÆ.

1. *Relligio eſt tacitum, &c.*] Quia, ut carm. ſequenti ait, hactenus ipſi obſervata ſuit lex commemorandi cives, ſive domi, ſeu docuêre foris.

2. *Indepte es.*] Sic Scaliger legit, ex more ſolenni Auſonii caſum vocativum uſurpandi pro recto.

3. *Foris.*] Toloſæ.

4. *Reducit te patria, & civem, &c.*] Scaliger & Vinetus intelligunt corpus ejus mortui à Burdigalenſibus repetitum, & Toloſâ relatum Burdigalam; ubi etiam in eo loco, qui hodie *Podium Paulini* dicitur, ſaxeam ejus imaginem aiunt locatam fuiſſe barbatam, librum manu tenentem, cum hac inſcript. D. M. SEDATUS. Tollius non de corpore ejus hæc dicta interpretatur, ſed de famâ & nomine, quo Burdigala patria ejus ſuperbit; quanquam in eâ non docuerit, ſed Toloſæ.

5. *Vagantem.*] Extra patriam.

6. *Diviſæ urbi.*] Toloſæ.

7. *Arbitrium de te, &c.*] Hoc eſt, juxta mentem Tollii, gloriam progeniti tam docti civis jure ſuo ſibi vindicat; quem ſenſum verum ac genuinum eſſe puto, & interpretationi Scaligeri anteſero.

8. *Origo.*] Patria Burdigala, ubi originem habuiſti.

9. *Moremque ſecuta parentis.*] Morem ſcilicet ſtudia ſua & doctrinam in alias urbes, quam in quibus nati ſunt, transferendi: cum enim geniti eſſent Toloſæ, Narbone & Romæ docebant.

10. *Sed fama velit nolis.*] Poſtremo hoc diſticho, in quo hiatus eſt magnus, id videtur voluiſſe Auſonius, Toloſam cujus cathedram obtinuit Sedatus, ſibi vindicare eum, non ſolum ut adſcititium, ſed ut civem: at, velit nolit, ſemper famam eum aſſerturam origini ſuæ, hoc eſt, Burdigalæ.

Staphylius Rhetor, civis Auſcius. XX.

210 HActenus obſervata mihi lex commemorandi
Cives, ſive domi, ſeu docuêre foris.
Externum ſed fas conjungere civibus unum
Te, Staphyli, genitum ſtirpe [1] Novempopulis.
Tu mihi quod [2] genitor, quod [3] avunculus; unus utrumque:
Alter ut Auſonius, alter ut Arborius.
Grammatice [4] ad Scaurum, atque Probum, promptiſſime Rhetor,
Hiſtoriam callens [5] Livii & Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita; quantam
Condit ſexcentis [6] Varro voluminibus.
Aurea mens, vox ſuada tibi, tum ſermo quietus,
Nec cunctator eras, nec properante ſono.
Pulchra ſenecta, nitens habitus, procul ira, doluſque;
Et [7] placidæ vitæ congrua meta fuit.

INTERPRETATIO.

Huc uſque ſervavi inſtitutum celebrandi cives meos, *ſive docuiſſent in patriâ, ſive peregrè. Verum liceat ſociare te ſolum civibus* meis, *ô Staphyli, qui ortus es è familia Novempopulana. Tu mihi fuiſti loco patris, & avunculi*; tu *ſolus utriuſque* vicem mihi præſtitiſti: fuiſti mihi *quaſi alter Auſonius, quaſi alter Arborius. Grammaticus* eras *comparandus Scauro, & Probo; Rhetor paratiſſimus, ſciens hiſtoriam Livii & Herodoti. Omne genus eruditionis tibi notum fuit; quantum Varro complectitur innumerabilibus libris. Animus tibi* erat *aureus, vox perſuadens, tum oratio placida, nec tardior eras* loquendo, *nec præceps nimis. Ad ſenectutem uſque vixiſti, optimâ valetudine, ira, doloque expers; vitamque placidam placida mors excepit.*

NOTÆ.

1. *Novempopulis.*] Vide quæ de Novempopulis ſcripſi ad carm. 3. Parentalium.

2. *Genitor.*] Julius Auſonius.

3. *Avunculus.*] Æmilius Magnus Arborius.

4. *Ad Scaurum atque Probum.*] Præſtantiſſimos Grammaticos. *Ad* hic comparationis eſt, ut ſupra carm. 15.

Et diſputator ad Cleanthen Stoïcon.

5. *Livii & Herodoti.*] Græcam, & Latinam; veterem & novam.

6. *Varro.*] Marcus ille Terentius Varro doctiſſimus Romanorum, Tullii ipſius judicio; cujus *de re ruſticâ* & *de linguâ Latinâ* libri aliquot extant.

7. *Et placida vita.*] Sic Grævius reponit pro & *placidæ finis*, quod in Pulmannianâ & aliis editt. legitur. Rectè quidem; *meta* enim *finis* nullius eſt ſenſus, cum optimus emergat, ſi reſcribitur:

Et placidæ vita congrua meta fuit.

Nec aliter ſcribere potuit Auſonius. Ovid.

Conveniens vitæ mors fuit iſta tuæ.

Val. Max. l. 7. c. 1. de Metello Romanorum feliciſſimo: *Hunc vita actum ejus conſentaneus finis excepit.* Antiquus Poëta veriſſimè: *βίου δικαίου γίγνεται καλὸν τέλος.*

Criſpus

Criſpus & Urbicus, Grammatici Latini & Græci. XXI.

211 TU quoque in ævum, Criſpe, futurum
[1] Mœſti venies commemoratus
[2] Munere threni.

Qui primævos, [3] fandique rudes,
Elementorum prima docebas
Signa novorum.

[4] Creditus olim fervere mero,
Ut Virgilii Flaccique locis
Æmula ferres.

Et tibi [5] Latiis poſthabite orſis
Urbice, Grajis celebris, carmen
Sic [6] ἐλελίσω.

INTERPRETATIO.

Tu quoque, ô Criſpe, munus habebis lugubris cantilenæ, hoc meo carmine *futurum in ævum* victurus. *Qui tenellos pueros, & rudes loquendi prima docebas litterarum elementa, quæ nondum attigerant. Creditus es indulſiſſe quandoque vino*, potuſque ſcripſiſſe carmina, *quibus loca obtineres Virgilii, Horatiique* locis *proxima. Et tibi, ô Urbice, Græcis clare litteris, quas Latinis antepoſuiſti*, unà *te lugebo mœſtis verſibus. Tu enim tuo conjunctus Criſpo, eâdem*

NOTÆ.

1. *Mœſti venies, &c.*] Non eo ordine, quem à Scaligero propoſitum cum Vineto ſequimur, legebantur in editione Tornæſianâ hæc Criſpi & Urbici elogia. In eâ enim editione metra ſunt anapæſtica dimetra.

Tu quoque in ævum, Criſpe, futurum.

& trimetra anapæſtica.

Mœſti venies commemoratus munere threni.

2. *Munere threni.*] Threnus Græce θρῆνος, carmen lugubre, unde θρηνῳδοὺς, threnorum cantores in funeribus olim adhibiti. Eorum autem inventor audiit Linus; at videntur propius vero accedere, qui aiunt eum Herculi iratum quòd minùs ad diſcendum aptus foret, à furente & ingrato diſcipulo interfectum, defletum fuiſſe à reliquis diſcipulis eo carmine quod ab ejus nomine & notâ ejulationis Αἴ Ælinum appellarint.

3. *Fandique rudes.*] Ab antiquâ voce *fari*, quæ peopria vatum eſt, qui & inde *Fatui* appellati.

4. *Creditus olim fervere mero, ut Virgilii, &c.*] Ea male videtur intellexiſſe Vinetus, dum refert Bitiæ temulentiam à Virgilio celebratam in fine libri Æneid. 1. atque ebrietatem Horatio laudatam in Epiſt. 4. Vult enim Auſonius Criſpum aliquandò indulſiſſe vino, ſicque ad poeſin accedentem condidiſſe verſus Virgilio & Horatio non indignos. Nec aliter Æſchylus qui Plutarcho lib. 7. Sympoſ. memoratur potus ſuas ſcripſiſſe tragœdias. Propert. lib. 4. El. 6.

Bacche ſoles Phœbo fertilis eſſe tuo.

Horat. lib. 1. Ep. 19.

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

5. *Latiis poſthabite orſis Urbice, &c.*] Id eſt, qui Muſas vel litteras Latinas poſt habuiſti. *Graiis celebris*, Græcis litteris, quòd Græcus duntaxat Grammaticus eſſet.

6. *Ελελίσω.*] Facetè Auſonius, Criſpum alloquens qui Græcas litteras Latinis antepoſuerat, verbum uſurpat Græcum ἐλελίζειν, quod apud Tragicos non rarò reperire eſt. Ελελίζειν ab acclamatione bellicâ ἐλελεῦ, quæ & in funeribus locum obtinuit.

Digitized by Google

Nam tu Criſpo conjunctè tuo
[1] Proſa ſolebas, & verſu loqui
Impete eodem.

[2] Priſcos ut & Heroes olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres:

Dulcem in paucis ut [3] Pliſtheniden,
Et torrentis ceu [4] Dulichii
Ninguida dicta,

Et mellitæ nectare vocis
[5] Dulcia fatu verba canentem
Neſtora regem.

Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes [6] mythωn plaſmata, & hiſtoriam.

Interpretatio.

celeritate ſolebas & ſolutam orationem & numeris aſtrictam ſic *adhibere, ut exprimeres Heroas* tres *priſcos Homeri verſibus celebratos, Pliſtheniden in brevitate ſuâ dulcem, & Dulichium cujus dicta nivoſa torrentis in morem ruebant, regemque Neſtorem verba fundentem mellito nectare dulciora. Ambo ad dicendum faciles* & expediti, *ambo periti omnium formarum carmina con-*

Notæ.

1. *Proſa ſolebas & verſu loqui.*] Nonnulli, ut Scaligero obſervatum eſt, putarunt dicendum *prorſa*. Sed eos falli rectè admonet; utrumque enim probum & Latinum, antiquius verò *proſa*.

2. *Priſcos ut & Heroas, &c.*] Egregium ſanè Urbici encomium, qui, ſi fides Auſonio, Heroas tres apud Homerum eloquentiæ laude excellentes referebat. Fuit enim illius oratio arguta & brevis, ut Menelai; *torrens* ut Ulyſſis; ſuavis & ex utroque miſta, ut Neſtoris.

3. *Pliſtheniden.*] Menelaum Pliſthenis, *Heſiodo, Apollodoro, &c. Homero* autem Iliad. B. & *Odyſſ.* Δ. *Euripidi, Sophocli, & aliis benè multis*, Atrei filium. Sunt qui mediam tenentes viam, Menelaum quidem ex Pliſthene natum, Atrei verò à quo educatus fuerat, filium habitum eſſe aſſeverent. Vide Homeri Scholiaſ. in Iliad. B. Dictyn Cret. lib. 1. &c.

4. *Dulichii ninguida dicta.*] Ulyſſis ſic dicti à Dulichio maris Ionii inſulâ, unâ ex iis quibus ille imperabat, contra oſtium Acheloi ſitâ, non procul ab Ithacâ. *Ninguida dicta* nivibus hybernis ſimilia quæ ubertim ac ſpiſsè decidunt. Expreſſum illud ex Iliad. Γ. ubi iiſdem coloribus depingitur Ulyſſis eloquentia:

Ἀλλ', ὅτε δή ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος εἵη,
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
Οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

5. *Dulcia fatu verba canentem Neſtora regem.*] *Fatu*, vox quæ non alibi, quod ſciam, aut rarò occurrit. *Neſtora regem* Homero Odyſſeos B. Nelei ex Chloride filium, cui, juxta eundem poëtam parebant novem, in Bœotiâ urbes quarum caput Pylus, inde Enneapolis vocata. Ille ad Trojam cum reliquis Græciæ principibus ſe contulit, eorumque rebus plurimùm profuit, tùm ſummâ prudentiâ quam annorum diuturnitate collegerat, tùm eloquentiâ ſingulari: fluebat enim ex ejus ore dulcior melle ſermo, ut canit Homerus Iliad. α.

——— Τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

6. *Mythωn plaſmata.*] Μῦθος, fabula;

Liberi & ambo genus : [1] ſed quos meruiſſe deceret
Nanciſci, ut cluerent patribus ingenuis.

INTERPRETATIO.

dere, *apprimè tenentes fabularum figmenta & hiſtoriam. Ambo liberis* quidem *parentibus* nati, *at quibus par erat* genus ſuum *nanciſci*, *ut* revera *haberentur* orti *patribus ingenuis.*

NOTÆ.

πλάσμα figmentum, à verbo *πλάττειν*, fingere.

1. *Sed quos meruiſſe deceret, &c.*] Ita Scaliger cujus emendatio mihi videtur veriſſima. Senſus eſt Criſpo & Urbico patres quidem liberos fuiſſe, at non potuiſſe probare ſe ingenuos, fortaſſe quòd expoſiti fuiſſent. Nullo ſenſu in editione Tornæſianâ legitur :

—— Quos meruiſſe doceret
Naſci, ut cluerent paribus ingeniis.

Nec melius apud Vinetum legas *naſci* pro *nanciſci*. *Cluerent* à Græco *κλύειν*, quod eſt audire vel dici. Plauto familiare pro *perhiberi*: in Trin. 2. Act. 2. ſc. 4.

Ubi mortuus ſis, ita ſis ut nomen cluet.

Item Lucretius. lib. 2. verſ. 208.

—— Res
Utilis invenietur, & opportuna cluebit.

[1] *Victorio Subdoctori, ſive Proſcholo.* XXII.

212 VIctori ſtudioſe, memor, celer, [2] ignoratis
Aſſidue in libris, nec niſi operta legens;
Exeſas tineis, opicaſque evolvere chartas,
Major quam promptis cura tibi in ſtudiis.
[3] Quod jus Pontificum, quæ fœdera, ſtemma quod olim
Ante Numam fuerat [4] Sacrificis Curibus :

INTERPRETATIO.

O Victori qui ſtudioſus es, memoriâ valens, promptus in diſcendo, *aſſiduus in libris* maximæ hominum parti *incognitis : nec legis niſi res abditas* & occultas : *major tibi cura eſt evolvere libros tineis exeſos, ſituque deformes, quàm paratis incumbere ſtudiis. Quod jus Pontificum, quæ fœdera, quod olim ante Numæ tempora ſtemma fuerat Curibus ſacra facientibus :*

NOTÆ.

1. *Victorio, ſubdoctori, ſive Proſcholo.*] Pro Victorino qui perperam anteà legebatur, Vinetus & Scaliger reponunt *Victorio*; quare & in epigrammate legendum *Victori* : cum antea, repugnante metro, legeretur *Victorine*. *Proſcholus* autem Auſonio dicitur qui à præfecto Scholæ ſecundus eſſet, ejuſque vicem gereret.

2. *Ignoratis aſſidue in libris.*] O rem ridiculam & jocoſam! uſque adeo-ne ſcire illius nihil fuiſſet, ſi eadem ſciviſſet alter?

3. *Quod jus Pontificum.*] Commentarii Pontificum perobſcuri erant, ut pote qui à Numa inchoati eſſent; unde Horat. lib. 2. Ep. 1. fautorem veterum inducit dictitantem eos Albano Muſas in monte locutas. Et Quintilian. Inſtit. lib. 8. cap. 2. *Obſcuritas fit etiam verbis ab uſu remotis : ut ſi commentarios quis Pontificum, & vetuſtiſſima fœdera, & exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his, ut quæ inde contraxerit non intelligantur.* De jure Pontificio ſeptem erant Numæ libri. vide Liv. Hiſt. lib. 40. cap. 29.

4. *Sacrificis Curibus.*] Cures perantiqua Sabinorum Italicæ gentis civitas, Numæ patria; unde forſitan incolas vocat Sacrificos Auſonius, quos Virgilius *Parvos* appellat. Cures hodie *Turre*, Leandro, aliis *Veſcovio*.

[1] Quod Caſtor cunctis de regibus ambiguis, quod
  Conjugis è libris ediderat Rhodope:
[2] Quod jus Pontificum, veterum quæ ſcita Quiritum,
  Quæ conſulta Patrum; [3] quid Draco, quidve Solon
Sanxerit; & [4] Locris dederit quæ jura Zaleucus.
  [5] Sub Jove quæ Minos, [6] quid Themis ante Jovem;
Nota tibi potius quam Tullius, & Maro noſtri,
  Et quidquid Latia conditur hiſtoria.
Fors iſtos etiam tibi lectio longa dediſſet:
  Supremum Lacheſis ni celeraſſet iter.
Exili noſtræ fucatus honore cathedræ,
  Libato tenuis nomine Grammatici:

INTERPRETATIO.

quod Caſtor ſcripſerat *de cunctis regibus ambiguis, quod è conjugis* ſui *libris Rhodope ediderat. Quod jus Pontificum, quæ vetera plebiſcita, quæ Senatuſconſulta, quid Draco vel Solon ſanxerit, & quas leges Zaleucus dederit Locris. Quæ Minos ſub Jove* conſtituerit, *& quid Themis antequam regnaret Jupiter.* Hæc omnia *magis tibi cognita quàm aut Tullius noſter, aut noſter Virgilius, & quidquid Latina produnt hiſtoria. Fortaſſe etiam diuturna lectio tibi præbuiſſet iſtos* evolvendos, *niſi Lacheſis iter ultimum feſtinaſſet. Ornatus exiguo honore cathedræ noſtræ, poſtquam libaſti titulum exilis Grammatici. Poſthac mortuus Romæ in oris re-*

NOTÆ.

1. *Quod Caſtor, &c.*] Illius meminit Stephanus in voce *Βοιωτία*. Quod dicitur ab Auſonio eum ſcripſiſſe libros de Regibus ambiguis, id referendum videtur ad ejus libros *χρονικῶν ἀγνοημάτων*, quorum Suidas mentionem facit. In quibus ſcripſerat de iis quæ falſo jactabantur ſub hoc aut illo Rege facta, & contra temporum rationem errata arguebat.

2. *Quod jus Pontificum.*] Inſulſa repetitio, quam omnes habent editiones, nec MSS. ope emendare licuit.

3. *Quid Draco, quidve Solon ſanxerit.*] Draco vetuſtiſſimus fuit Athenienſium legiſlator, cujus leges, eo quod maximè ſeveræ eſſent, Demades ſolebat dicere non atramento, at ſanguine ſcriptas, & Solon ipſe unus è ſeptem Græciæ ſapientibus, abrogandas curavit, præter eas quæ de cæde erant conſtitutæ. De Solone dicemus in Sapient.

4. *Locris dederit quæ jura Zaleucus.*] Gente Locrenſis, ſtirpe clarus, doctrinâ commendabilis, Pythagoræ diſcipulus multa ſubtiliter invenit, ac ſapienter promulgavit. Vino ægris interdixit injuſſu medici, pœnâ capitis inditâ. Plura ſi cupis, conſule Diodorum lib. 12. p. 85. edit. Wechel. t. 2.

5. *Sub Jove quæ Minos.*] Cretenſium rex nono quoque anno in quoddam præaltum & vetuſtâ religione conſecratum ſpecus ſecedere ſolebat; & in eo moratus, tamquam à Jove, (quo ſe ortum ferebat) traditas ſibi leges prærogabat. Hæc Val. Max. ex Platonis Minoe, leg. 1. Homerum interpretatus. Canit enim divinus poëta Odyſſ. T. Minoem novennalem ſummi Jovis auditorem fuiſſe:

— Κνωσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

6. *Quid Themis ante Jovem.*] Θέμις Græcè *fas*, *æquum* ſignificat; unde Themis dea credita eſt quæ hominibus id præciperet quod fas eſſet, ut ait Feſtus. Fuit autem Cœli ac Terræ filia, Saturno natu major, ut fabulatur Heſiodus. Quamobrem Auſonius, *ante Jovem* Saturni filium, Themidem dicit jura hominibus dediſſe.

Digitized by Google

Longinquis poſthac Romæ defunctus in oris:
Ad quas de Siculo Littore tranſieras.
Sed modo nobilium memoratus in agmine, gaude:
Pervenit ad Manes ſi pia cura tuos.

INTERPRETATIO.

motis, ad quas te contuleras è littoribus Siculis. Sed modò inter inclytos recenſitus lætare, ſi pium officium pervenit ad tuos uſque Manes.

Dynamio Burdigalenſi, qui in Hiſpania docuit, & obiit.

XXIII.

213 SEd neque te mœſta, Dynami, fraudabo querela,
Municipem patriæ cauſidicumque meæ.
Crimine adulterii quem ſaucia fama fugavit;
Parvula quem latebris fovit Ilerda ſuis.
Quem locupletavit conjux Hiſpana latentem;
Namque ibi mutato nomine Rhetor eras.
Rhetor Flavinii cognomine diſſimulatus,
Ne poſſet profugum prodere culpa ſuum.
Reddiderat quamvis patriæ te ſera voluptas,
[1] Mox reſidem rurſum traxit [2] Ilerda domus.
Qualiſcumque tuæ fuerit fuga, famaque vitæ;
Jungeris antiqua tu mihi amicitia.
Officiumque meum, [3] ſenſus ſi Manibus ullus,
Accipe jam verus morte obita Dynami.

INTERPRETATIO.

Sed neque fruſtrabor te mœſtis queſtibus, ô Dynami, qui patria mea municeps es & patronus. Quem fama crimine adulterii imminuta, coegit fugam capeſſere: quem exigua urbs Ilerda excepit intra mœnia ubi latuiſti. *Quem Hiſpana conjux abditum locupletem fecit: namque ibi eras Rhetor mutato nomine, Rhetor*, inquam, *mentito cognomine Flavinii, ne crimen* admiſſum *retegeret profugum ſuum. Etſi voluptas ſera te patria reſtituerat, mox tranquillum te traxit denuò domus Ilerda. Qualiſcumque tua fuga, & tua fama fuerit, tu mihi conjunctus es priſcâ amicitiâ. Et, ſi Manibus ineſt ſenſus* aliquis, *accipe officium* hoc *meum, ô Dynami, qui, jam fato*

NOTÆ.

1. *Mox reſidem rurſum traxit Ilerda domus.*] Tollius capere ſe negat hujuſce verſus ſenſum, qui mihi planus videtur. Dynamis adulterii reus, relictâ Burdigalâ, in urbem Hiſpaniæ Ilerdam ſe receperat; cumque ibi diu latuiſſet, rediit tandem Burdigalam, unde mox repetiit Ilerdam *quæ ſua eſſet domus*, ibi ſcilicet uxore ductâ.

2. *Ilerda.*] Oppidum citerioris Hiſpaniæ, non procul à Sicori fluvio, hodie *Lerida.* Lucan. lib. 4.

——— Super hunc fundata vetuſta
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis.

3. *Senſus ſi Manibus ullus.*] Familiaris Auſonio ſententia. Non abſimile eſt quod legitur apud Tullium orat. pro Archia poëta: *Hæc vero*, (memoria ſempiterna,) *ſive à meo ſenſu poſt mortem abfutura eſt, ſive, ut ſapientiſſimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certè cogitatione quadam ſpeque delector.*

Digitized by Google

Diverſis quamvis jaceas defunctus in oris,
Commemorat mœſtis te pia cura elegis.

INTERPRETATIO.

functus, verus es Dynamis. *Quamvis jaceas mortuus in alienâ terrâ, te pia cura mœſtis verſibus celebrat.*

[1] *Acilio Glabrioni, Grammatico, Jun. Burdigalenſi.* XXIV.

214 DOctrinæ vitæque pari brevitate caducum,
Glabrio, te mœſtis commemorabo elegis.
Stemmate nobilium deductum nomen avorum,
Glabrio Aquilini [2] Dardana progenies.
Tu quondam puero [3] compar mihi diſcipulo: mox
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus.
Inque foro tutela reis, & cultor in agris,
Digne, diu partis qui fruerere bonis.
Commode, læte, benigne, [4] abſtemie, [5] tam bone dandis
Semper conſiliis, quam taciturne datis.
Tam decus omne tuis, quam mox dolor, omnia acerbo
Funere præreptus, Glabrio, deſtituis:

INTERPRETATIO.

Glabrio, mœſtis verſibus celebrabo te, cujus doctrina & vita brevi ævo pariter circumſcripta fuerunt. Nomen tuum deducitur ab avis nobilibus, ô Glabrio, qui Aquilinum Trojanum agnoſcis generis tui auctorem. Tu, cum puer eſſem, meus fuiſti condiſcipulus, mox Grammaticus, ubi ego Rhetor evaſi. Tu reis in foro præſidium, & colonus rure, dignus qui fruerere diu opibus acquiſitis; commodus, hilaris, manſuetus, abſtinens à vino, tam bonus ſemper in dandis conſiliis, quàm, ubi dederas, taciturnus. Tam omne tuorum ornamentum, quàm mox fuiſti *deſiderium,*

NOTÆ.

1. *Acilio Glabrioni, &c.*] Monet Scaliger ſe in priſco codice legiſſe: *Atilio Glabrioni, &c.* At legendum Acilio, idque patere ex veteribus monumentis, in gente enim Aciliâ Glabriones fuiſſe. Et quidem Anicii Acilii Glabrionis meminit vetus ſaxum:

. . D. D. N. N. ÆTERNIS PRINCIPIBUS HONORI . . . ANICIUS. ACILIUS. GLABRIO. FAUSTUS U. C. PRÆF. UR. . . . FATALI CASU. SUBVERSAM. IN FORMAM. PRISCI. USUS.

Hæc ex Tollii omiſ. commiſſ.

2. *Dardanu progenies.*] Id eſt Trojana. Cæterum undecumque Burdigalam veniſſet Glabrionum gens, memoriæ proditum eſt Glabrionem illum quem in ſuo conſulatu quinto Collegam habuit Commodus tyrannus, genus ad Æneam Trojanum, Veneris & Anchiſæ filium retuliſſe. Herod. lib. 2.

3. *Compar mihi diſcipulo.*] Nullus dubito quin legendum ſit *Diſcipulus.* Etenim in vetuſto codice fuit *Diſcipulos*, & facile *u* immutatum eſt in *o*.

4. *Abſtemie.*] Vox facta ab *abſtinentiâ temeti*, id eſt vini: vinum enim priſcâ linguâ *temetum* appellabatur. Quinctil. lib. 1. cap. 7.

5. *Tam bone dandis ſemper conſiliis, &c.*] Laus ſummâ, amice conſiliari, ut verbis utar Horatii, & data conſilia ſilentio premere.

Digitized by Google

Uxore & natis, genitore & matre relictis,
 Eheu [1] quam multis perdite nominibus!
Flete diu nobis, nunquam ſatis, accipe acerbum,
 Glabrio in æternum commemorate, vale.

INTERPRETATIO.

morte crudeli raptus, ô Glabrio cuncta deſeris. Relictis uxore & natis, relictis *parentibus, eheu quàm multis nominibus periiſti! ô Glabrio quem diu luximus, nec unquam ſatis lugebimus, in æternum celebrate, acerbum valè accipias velim.*

NOTÆ.

1. *Quam multis perdite nominibus.*] Mariti ſcilicet, patris, & filii; cum mortuus eſſet ſuperſtitibus uxore, liberis, & utroque parente.

[1] *Coronis.* XXV.

215 Quos legis à prima deductos [2] menide libri,
 Doctores patriæ ſcito fuiſſe meæ.
Grammatici in ſtudio, vel Rhetoris, aut in utroque,
 Quos memoraſſe mihi, morte obita, ſatis eſt.
[3] Viventum inlecebra eſt laudatio. Nomina tantum
 Voce ciere, ſuis ſufficiet tumulis.
Ergo qui noſtræ legis otia triſtia chartæ,
 Eloquium tu ne quære, ſed officium,
Quo claris doctiſque viris pia cura parentat:
 Dum decora egregiæ commeminit patriæ.

INTERPRETATIO.

Scito eos quos legis ab initio libelli ductos extitiſſe patria mea Doctores, aut in Grammatica, aut in Rhetorica, aut in utriuſque ſtudio; quorum, ut pote *mortuorum mihi ſufficis recoluiſſe memoriam. Laudes ſunt vivorum illecebræ. Satis erit* illorum *ſepulcris, eos tantùm nomine appellare. Quicumque igitur legis triſtia hæc carmina otii fœtum, noli* in iis *quærere facundiam, ſed* illud *officium, quo noſtra pietas juſta perſolvit præclaris doctiſque viris, dum nos celebramus viros qui extitere ornamentum egregiæ patriæ.*

NOTÆ.

1. *Coronis.*] Scribit Ariſtophanis Scholiaſtes coronidem eſſe lineam brevem, ſed ab inferiori parte flexam, figurâ ſcilicet unci, aut litteræ V. Hæc nota in librorum calce apponebatur: unde & pro librorum fine uſurpatur. Martial. lib. 10. epig. 1.

Si nimius videar, ſeraque coronide longus,
Eſſe liber: legito pauca, libellus ero.

Hinc natum proverbium *ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, μέχρι τῆς κορωνίδος, ab initio ad coronidem.*

2. *Menide.*] *Menis* Turnebi judicio adverſ. lib. 22. cap. 10. eſt *lunula*, diminutivum à *μήνη luna*, cujuſmodi *menidem*, ſeu *lunulam* videntur antiqui initio operis appoſuiſſe ut *coronidem* in fine, Vinetus deducit à primo verſu Iliados;

Μῆνιν ἄειδε Θεά, &c.

undè pro initio cujuſvis libri ſumpta ſit Menis, ſed non vidit à *μῆνις ira* fieri in genitivo *μήνιος* non *μήνιδος*.

3. *Viventum incelebra eſt laudatio.*] In Præfatione Epicedii in patrem, infra: *Neque verò nunc patrem meum laudo, quòd ille non eget: & ego functum oblectatione viventium onerare non debeo*, id eſt *laude.*

Poëta. XXVI.

216 Valete manes inclytorum Rhetorum:
Valete doctores probi:
Hiſtoria ſi quos, vel poëticus ſtylus,
Forumve fecit nobiles:
Medicæ vel artis, dogma [1] vel Platonicum
Dedit perenni gloriæ:
Et ſi qua cunctis cura viventum placet,
Juvatque honor ſuperſtitum:
Accipite mœſtum carminis cultum mei,
Textum querela flebili.
Sedem ſepulchris ſervet immotus cinis.
Memoria vivat nominum:
Dum remeat illud, [2] judicis dono Dei,
Commune [3] cum Dis ſæculum.

INTERPRETATIO.

Valete umbræ illuſtrium Rhetorum: valete boni Magiſtri: ſi qui ſunt *quos hiſtoria, aut genus ſcribendi poëticum, aut advocatio forenſis commendavit, aut* præcepta *Medicina, aut ſcita Platonicorum cumulavit laude perpetuâ: ac ſi aliqua cura viventium probatur omnibus: & ſi placet honor eorum qui ſuperſunt: accipite triſtem ornatum mei carminis contextum planctu lugubri. Cineres quieti teneant locum* ſuum *in monumentis. Recordatio nominum vivat: donec munere Dei judicis illa ætas revertatur,* quæ futura eſt *nobis communis cum Divis.*

NOTÆ.

1. *Vel Platonicum.*] Philoſophicum, ſynecdoche partis.

2. *Judicis dono Dei.*] Chriſti, vivos mortuoſque judicaturi aliquando.

3. *Cum Dis.*] Sanctis, Divis. Vitam illam immortalem intelligit, quam Ethnici ſuis Heroibus falsò tribuebant, Chriſtiani, poſt hanc mortalem, hæreditatis jura meritò expectant.

EPITAPHIA

EPITAPHIA
HEROUM
QUI BELLO TROICO
INTERFUERUNT.

Auſonius Lectori ſuo S.

217 AD rem pertinere exiſtimavi, ut vel vanum opuſculum [1] materiæ congruentis abſolverem, & libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenſes peregre docuerunt, Epitaphia ſubnecterem, [2] ſcilicet titulos ſepulchrales HEROUM qui bello Troïco interfuerunt. Quæ antiqua quum apud [3] Philologum quendam reperiſſem, Latino ſermone converti, non ut inſervirent [4] ordini perſequendi, ſed ut [5] cohærerent libere, nec aberrarent.

INTERPRETATIO.

Credidi ad rem facere, ut perficerem ſaltem inane opuſculum cujus *materia convenit* cum ſuperioribus, *& volumini, quod continet commemorationem illorum, qui aut cum extranei eſſent,* docuerunt *Burdigalæ, aut, cum eſſent Burdigalenſes, docuerunt foris, ſubjungerem inſcriptiones ſepulchrales Herouum qui fuerunt in expeditione Trojanâ. Quæ vetera cum inveniſſem apud quendam Philologum, verti in orationem Latinam, non* eo animo *ut iis uterer ad ſeriem* operis *continuandam, ſed ut converterentur liberè* cum *ſuperioribus, neque vagarentur* loco minus apto.

NOTÆ.

1. *Materia congruentis.*] Epitaphiorum ſcilicet, quæ eum ſuperiori commemoratione Profeſſorum & Parentalibus ſatis conveniunt.

2. *Sci'icet titulos ſepulchrales.*] Hæc redolent Gloſſema vocis *Epitaphia*, ab alio ſubjectum. Itaque expungenda è textu cenſeo, nec expreſſi in interpretatione.

3. *Philologum quendam reperiſſem.*] Græcis ſcilicet metris conſcripta, eadem fortaſſe quæ poſt C. Plant. & H. Steph. edidit G. Canterus, qui ea firmiter Ariſtotelis cujuſdam libri fragmentum eſſe aſſerit. *Philologus*, litterarum humaniorum amator eſt, quales Grammatici illi Burdigalenſes in titulo carm. 10. de Profeſſ.

4. *Ordini perſequendi.*] Quaſi iſta Epitaphia pars eſſent priorum.

5. *Coharerent.*] Propter congruentem materiam.

Digitized by Google

Agamemnoni. I.

218 [1] REx regum [2] Atrides, [3] fraternæ conjugis ultor,
Oppetii manibus [4] conjugis ipſe meæ.
Quid prodeſt Helenes raptum puniſſe dolentem;
Vindicem [5] adulterii quum [6] Clytemneſtra necet?

Interpretatio.

Ego *Agamemnon Rex Regum*, *vindex uxoris* mei *fratris*, *perii ipſe manibus meæ uxoris. Quid* me *juvat iratum ultum eſſe raptum Helenæ*, *cum Clytemneſtra interficiat me ultorem adulterii?*

Notæ.

1. *Rex Regum.*] Sic de eodem Cicerò ad Dolabellam Epiſt. lib. 9. *Agamemnoni Regum Regi fuit honeſtum habere aliquem in conſiliis capiendis Neſtorem.* Scilicet cum imperaret cæteris Regibus, & Principibus, quos conjurata Græcia ad Trojam miſerat; Menelao, Neſtori, Achilli, Ulyſſi, Diomedi, cæteriſque, non immeritò dictus eſt *Rex Regum.* Ἄναξ ἀνδρῶν apud Homerum dicitur, id eſt, *Rex virorum.*

2. *Atrides.*] Pliſthenes Pelopis & Hippodamiæ filius, cum juvenis moreretur, filios Agamemnonem & Menelaum Atreo fratri commendavit, qui eos filiorum habuit loco: unde *Atridæ* dicti ſunt, quaſi filii Atrei eſſent: quanquam *Pliſthenidæ* potius appellandi erant, ut appellatur à noſtro Menelaus in 21. Profeſſorum.

3. *Fraternæ conjugis.*] Helenæ.

4. *Conjugis ipſe meæ.*] Clytemneſtræ, & adulteri ejus Ægiſthi. Extant porrò hæc duo de Agamemnone Græca Epitaphia inter ea quæ Canterus edidit.

ἘΠῚ ἈΓΑΜΈΜΝΟΝΟΣ
κειμένου ἐν Μυκήναις.

Λεύσσεις Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, ὦ ξεῖνε, τύμβον.
Ὃς θάν᾽ ὑπ᾽ Αἰγίσθου, κ᾽ οὐλομένης ἀλόχου.

Id eſt:

Agamemnoni jacenti Mycænis.
Vides Atridæ Agamemnonis, ò hoſpes, tumulum;
Qui fuit occiſus ab Ægiſto, & perniciosa uxore.

ἝΤΕΡΟΝ.

Μνῆμα τόδ᾽ Ἀτρείδεω Ἀγαμέμνονος, ὃν ῥα κατέκτα
Δῖα Κλυταιμνήστρη Τυνδαρὶς οὐχ ὁσίως.

Id eſt:

Monumentum alterum hoc eſt Atridæ Agamemnonis, quem interfecit
Diva Clytæmneſtra Tyndari filia non juſte.

5. *Adulterii*] A Paride commiſſi.

6. *Clytemneſtra.*] Et ipſa adultera. Obſerva in hac voce, metri cauſâ, diphthongum αι quæ eſt in Græco, Κλυταιμνήστρη, & verti per æ Latinum debuiſſet, in ſimplex e converſam, quod quidem corripitur ante duas liquidas *mn*, ut à Virgilio ſecunda ſyllaba in voce *Polymneſtor*, & in *Polymneïa*, & prima in voce *Tecmeſſa* apud Horatium, & prima vocis *omni* in carmine 6°. Profeſſorum ſupra.

Digitized by Google

Menelao. II.

219 [1] FElix ô Menelae, [2] Deûm cui debita ſedes,
Decretumque piis Manibus Elyſium.
[3] Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
Conjugii vindex, ultor adulterii:
Æterno pollens ævo, æternaque juventa,
Nec leti paſſus tempora, nec ſenii.

INTERPRETATIO.

Beatus es, ô Menelae, cui domicilium Deorum debetur, & cujus piæ umbræ Elyſium deſtinatum eſt. Gener chare Tyndaro, chare Jovi: aſſertor connubii, vindex adulterii: vigens vitâ perpetuâ, & perpetuâ juventute, non expertus es tempus mortis, neque ſenectutis.

NOTÆ.

1. *Felix ô Menelae.*] Deſumptum ex hoc Græco diſticho.

> Ὄλβιος ὦ Μενέλαε σύ τ' ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως,
> Ἐν μακάρων νήσοις γαμβρὲ Διὸς μεγάλου.

Id eſt:

> *Beatus es, ô Menelae, tu & immortalis, & ſenii expers*
> *In Beatorum inſulis, gener Jovis magni.*

2. *Deûm cui debita ſedes.*] Lib. 4. Odyſſeæ Menelao Proteus vaticinatur eum, quia erat Helenæ maritus & Jovis gener, non moriturum Argis, ſed Deos ipſum in Elyſium miſſuros. Iſocrates, in Helenæ laudatione, immortalitatis beneficium ab ipſâ marito conceſſum ait.

3. *Tyndareo.*] Vide ſupra epigramma 56.

[1] *Ajaci*. III.

220 [2] AJacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Inlachrymans buſtis funeris ipſa mei:
Incomptas, lacerata comas, quod pravus [3] Atrides
[4] Cedere me ſtructis compulit inſidiis.

INTERPRETATIO.

Ego *Fortitudo ſimul operior tumulata ſepulchro Ajacis, plorans ipſa ſuper cineribus meis: diſciſſa ſparſos crines, quoniam improbus Agamemnon coëgit me cedere compactis dolis. Jam pro-*

NOTÆ.

1. *Ajaci.*] Telamonis filio.

2. *Ajacis tumulo, &c.*] Duo ſunt in hunc ſenſum Græca epigrammata lib. 3. Anthologiæ. Prius Aſclepiadæ adſcriptum, alterum Antipatri, quæ vide.

3. *Atrides.*] De hac voce vide Epitaph. 1. ſupra.

4. *Cedere me ſtructis, &c.*] Agamemnon virtutem dolis, & inſidiis compulit cedere, cum arma Achillis virtuti Ajacis debita, dolis & facundiæ Ulyſſis adjudicavit unà cum cæteris Græcorum Principibus in lite ſuper iis inter ambos ortâ, ubi *fortis viri tulit arma diſertus*, ut ait Ovidius lib. 13. Metamorphoſeon, quem vide ibidem.

Jam dabo [1] purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem [2] gemitu crimina judicii.

INTERPRETATIO.

ducam ex nobili cruore florem purpureum, ſignificantem querulis litteris *iniquitatem judicii* in me lati.

NOTÆ.

1. *Purpureum florem.*] Hyacinthum. Vide Ovid. dicto loco.

2. *Gemitu.*] His litteris expreſſo, ex *ai*, *ai*, quæ Hyacintho inſcriptæ, querelam Phœbi ſuper mortuo puero, deinde nomen ipſum Ajacis deſignarunt. ſic Ovid.

Purpureum viridi genuit de cæſpite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque, viroque,
Inſcripta eſt foliis: hæc nominis, illa querela.

Achilli. IV.

221 NOn una [1] Æaciden tellus habet, oſſa teguntur
[2] Littore Sigeo, [3] crinem Lariſſa cremavit.
[4] Pars tumuli * * * * * *
Orbe ſed in toto * * * Homer * * *

INTERPRETATIO.

Non unica terra poſſidet Achillem, oſſa ejus *condita ſunt in littore Sigeo; coma ejus combuſta eſt apud Lariſſam.* * * * * * * * * * * * * * * * * *

NOTÆ.

1. *Æaciden.*] Achillem Æaci nepotem.

2. *Littore Sigeo.*] Quod ſic dictum volunt à σιγᾷν quod eſt ſilere, quia Hercules fraudatus præmio à Laomedonte, ibi ſe occultavit, indeque ſilentio reverſus, Trojam repente adortus cepit.

3. *Crinem Lariſſa cremavit.*] Non Lariſſæ, quæ Theſſaliæ civitas eſt, ſed in littore prope Trojam crematam legimus apud Homerum lib. 23. Iliad. Achillis comam unà cum Patrocli cadavere, cujus in manibus eam depoſuerat, cum deſperaſſet de reditu in patriam, videretque ſe non poſſe eam Sperchio amni ſacrare, cui pater eam voverat. Vide locum Homeri verſ. 140:

4. *Pars tumuli.*] Deletum ex hoc poſterius diſtichon, neque ex Græcis epigrammatis reſtitui poteſt: ex his autem: *Pars tumuli * * Orbe ſed in toto * Homer.* * conjicere poſſumus hanc fuiſſe hujus ſententiam: *Partem tumuli Achillis eſſe in Aſiâ, in Sigeo ſcilicet littore, partem in Europâ, apud Lariſſam, at gloriam & nomen ipſius per totum orbem Homeri carmine ſparſam eſſe.* Præter duo autem Epitaphia Græca Achillis à Vineto relata, extat & aliud in Anthologiâ. lib. 3. cap. 14.

Τύμβος Ἀχιλλῆος, &c. quæ vide ibi.

Digitized by Google

[1] *Ulixi.* V.

222 COnditus hoc tumulo [2] Laërta natus Ulixes.
Perlege [3] Odyſſean, omnia noſſe volens.

INTERPRETATIO.

Ulyſſes filius Laërtæ tegitur hoc ſepulcro. Si vis ſcire cuncta quæ geſſit, *evolve Odyſſeam.*

NOTÆ.

1. *Ulixi.*] Afferuntur à Vineto Epitaphia duo Ἐπὶ Ὀδυσσέως κειμένου ἐν Τυῤῥηνίᾳ, id eſt, *Ulyſſi jacenti in Thyrrhenià*, quæ Tuſcia eſt ſeu Hetruria, in qua exulaſſe Ulyſſem pulſum patriâ à procorum, quos occiderat neceſſariis, ſcribit Plutarchus in Græcis quæſtionibus.

2. *Laerta natus.*] Unde Laertiades paſſim appellatur.

3. *Odyſſean.*] Homeri carmen, quo Ulyſſis geſta poſt bellum Trojanum referuntur libris viginti quatuor.

Diomedi. VI.

223 COnditur hic, [1] genitore bono melior Diomedes;
Crimen ob [2] uxoris pulſus [3] dotalibus Argis,
[4] Argyripam, claroſque viris qui condidit [5] Arpos:
Clarior urbe nova, patriæ quam ſede vetuſta.

INTERPRETATIO.

Hic ſepultus eſt Diomedes fortior patre forti; qui Argis quos, in dotem acceperat relictis, propter ſcelus conjugis, ædificavit Argyripam, & Arpos inſignes civibus: illuſtrior novâ ſuâ *civitate, quem veteri domicilio* ſuæ *patriæ.*

NOTÆ.

1. *Genitore bono.*] Tydeo: *bono* autem hic ponitur pro *forti*, *ſtrenuo*, πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ, ut ipſe ait Horat. libro primo Ode 15.

> ——— *Ecce furit te reperire atrox*
> *Tydides melior patre.*

2. *Uxoris.*] Ægialeæ, in quam Venus ob vulnus à marito ejus Diomede acceptum irata, tantum immiſit furorem, ut ait Lycophron, ut cum obviis quibuſque juvenibus turpiſſimè viveret, maximè verò cum Cometâ Stheneli filio: (alii Cyllabarum ſeu Cylloborum vocant,) cui proficiſcens ad bellum Trojanum Diomedes domum & uxorem commiſerat. Cum autem probra ſuæ domus Diomedes Trojâ rediens comperiſſet, in Italiam ſeceſſit relictâ patriâ.

3. *Dotalibus Argis.*] Sic legit Tollius pro *Agris*, quod habent vulgo lib. Imperavit certe Argis illis Diomedes, quorum civitas Argos Hippium, & Hippoboſum & Jaſium dicta eſt. Sed Argi illi dotales fuiſſe videntur matris ipſius Deipylæ, Adraſti Argivorum regis filiæ, quam Pater Tydeus uxorem duxerat, profugus ex Ætoliâ, ubi patrueles Lycopeum, & Alcatheum, & cum illis patruum Melanem, patri Oeneo inſidiantes, interfecerat; non autem Ægialeæ uxoris. Ut ut eſt, ſive *Argis* legas, ſive *Agris*, agri illi non alii fuerunt quam Argivi.

4. *Argyripam, &c.*] Dauniæ, ſeu Apuliæ urbem, ad mare Ionium, *Lampen* prius dictam. Quam cum Diomedes muris cinxiſſet, ac muniviſſet, *Argos Hippium*, nomine civitatis Peloponneſiacæ in quâ regnaverat, appellavit. Quod vocabulum poſtea vetuſtate corruptum, in *Argyripam* mutatum eſt. Virg. l. 11 Æneid. de hoc Diomede:

> *Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis*
> *Victor Gargani condebat Japygis agris.*

5. *Arpos.*] In quod vocabulum *Argyripa* degeneravit. *Argyripa*, & *Arpi* idem. Inſulas etiam maris Ionii tenuit Diomedes, ab eo *Diomedeas* appellatas, in quarum unâ ſepultus fuit, ut ex veteri ejus Epitaphio Græco patet.

Digitized by Google

Antilocho. VII.

224 CONſiliis, belloque bonus, [1] quæ copula rara eſt,
Carus & [2] Atridis, carus & [3] Æacidis:
Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
[4] Servato Antilochus Neſtore patre, obii.
[5] Non hic ordo fuit: ſed juſtius [6] ille ſuperſtes,
Troja capi ſine quo [7] perfida non poterat.

INTERPRETATIO.

Ego *Antilochus aptus conſilio & militiæ, quæ duo rarò conjunguntur, dilectus Atridis, & dilectus Æacidi: mortuus ſum, cum aſſecutus eſſem præmia fortitudinis ſimul & pietatis, conſervando patrem Neſtorem.* Id *contigit præter ordinem* naturæ: *verùm æquius* fuit ut ille *ſupereſſet, ſine quo perjura Troja non poterat expugnari.*

NOTÆ.

1. *Quæ copula.*] Prudentiæ, & fortitudinis.

2. *Atridis.*] Agamemnoni & Menelao.

3. *Æacidis.*] Achilli, Ajaci, Teucro, & Patroclo, qui omnes Æaci nepotes erant.

4. *Servato Neſtore patre obii.*] Idem teſtatur Pindarus carmine 6. Pythiorum; & Epitaphium Græcum Antilochi.

Μνῆμ' ἀρετῆς υἱοῦ τοῦ Νέστορος Ἀντιλόχοιο,
Ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.

Id eſt:

*Monumentum virtutis filii Neſtoris Antilochi
Qui obiit in Troja cum liberaſſet patrem.*

Memnonis porro manu interfectus eſt Antilochus, ut habetur Odyſſ lib. 4.

5. *Non hic ordo fuit.*] Naturæ, ut filius ante patrem moreretur.

6. *Ille ſuperſtes.*] Neſtor pater, ſine cujus conſiliis capi Troja non potuiſſet.

7. *Perfida.*] Ob negatam Diis à Laomedonte promiſſam mercedem, & Herculi Heſionem, & ob receptum ac defenſum cum Helenâ raptorem ejus Paridem.

Neſtori. VIII.

225 HOc tegor in tumulo [1] quarti jam prodigus ævi
Neſtor, conſilio clarus, & eloquio.

INTERPRETATIO.

Ego *Neſtor conditus ſum hoc ſepulchro, jam quartæ ætatis,* ideoque vitæ *prodigus, inclytus*

NOTÆ.

1. *Quarti jam prodigus ævi.*] Qui, peractis jam tribus hominum ætatibus, quartam nolui peragere, ſed ejus prodigus ſum, & eam libenter abjeci, vitæ ſatur. Tres vixiſſe hominum ætates Neſtorem canit Homerus Iliad. 1. ſed, quot annorum una quæque fuerit, controvertitur inter commentatores. Tres opiniones varias affert Euſtathius ad verſum 249. lib. 1. Iliados. At alia eſt Ovidii qui Metam. lib. 12. fab. 4. ſic inducit Neſtorem loquentem:

——Vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Ubi ætates ſingulas centum annorum facit, longioris quidem ſpatii quam quo ab Euſtathio afferuntur, ſed quæ melius conveniant cum his quæ infra habet Auſonius: *Tam longum ut nobis.*

Digitized by Google

Objecit ſeſe cujus pro morte peremptus
[1] Filius: & nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur fatis diſponere ſic placet ævum,
Tam longum, ut nobis; tam breve, ut Antilocho.

INTERPRETATIO.

prudentiâ, & facundiâ. Pro cujus fato filius expoſuit ſeſe, & *interfectus* eſt: *& filii plaga ſervatus ſum* ego *genitor. Heu! quare viſum eſt fatis ita diſtribuere vitam, tam diuturnam, ut mihi; tam curtam, ut Antilocho?*

NOTÆ.

1. *Filius.*] Antilochus: vide Epitaph. ſuperius.

Pyrrho. IX.

226 [1] ORbe tegor medio, major [2] virtute paterna,
[3] Quod puer, & [4] regis Pyrrhus [5] opima tuli.
[6] Impius ante aras quem fraude peremit Oreſtes.
Quid mirum, [7] cæſa jam genitrice furens?

INTERPRETATIO.

Ego *Pyrrhus ſepultus ſum in medio orbe, præſtans patri* meo *virtute, quoniam ego adhuc puer retuli* ſpolia *opima de Rege.* Ego, inquam, *quem impius Oreſtes dolo interfecit coram altaribus. Neque mirum* videri debet, *cum furerem ob matrem jam à ſe interfectam.*

NOTÆ.

1. *Orbe tegor medio.*] Delphis ſitum Pyrrhum innuit hoc Epitaphio Auſonius, ubi eum Apollini ſacrificantem ante ipſas aras interfecerat Oreſtes, ob ereptam ſibi ab eo ſponſam Hermionem Menelai & Helenæ filiam, ut habetur lib. 3. Æneidos. *Orbe medio* dixit, quia Delphos orbis eſſe medium, ac veluti umbilicum, veteres credidere. Antiquus poëta apud Varronem lib. 6. de linguâ Latinâ, & Ciceronem lib. 2. de divinatione:

O Sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obſides,
Unde ſuperſtitioſa primum ſæva evaſit vox fera.

Cujus rei fundamentum afferunt fabulam quandam: Emiſſas ſcilicet à Jove Aquilas duas, (alii cygnos, alii corvos dixerunt) unam ab ortu, alteram ab occaſu, Delphos concurriſſe. Unde illatum eſt medium illum orbis locum eſſe.

2. *Virtute paterna.*] Achillis, cujus filius fuit ex Deidamiâ Lycomedis Scyri inſulæ regis filiâ, quam, inter puellas deliteſcens ne ad bellum Trojanum iret, compreſſit. Non deſunt tamen qui ex Iphigeniâ Agamemnonis filiâ genitum dicant, minus apte ad temporum belli Trojani rationem.

3 *Quod puer.*] Unde etiam Neoptolemus eſt dictus, quod valde juvenis, ac puer ad bellum eſſet ductus. Occiſo nempe Achille patre, & ſatis aliquem ex gente Æaci ad Trojam capiendam poſcentibus, Græci Pyrrhum adhuc puerum evocarunt.

4. *Regis.*] Priami quem occidit ante aras, ut habetur lib. 2. Æneid.

5. *Opima.*] Spolia, quæ dux auſpiciis ſuis bellum gerens hoſtium duci detraxerat.

6. *Impius ante aras, &c.*] Virg. lib. 3. Æneid. de Pyrrho:

Aſt illum erepta magno inflammatus amore
Conjugis, & ſcelerum furiis agitatus Oreſtes,
Excipit incautum, patriaſque obtruncat ad aras.

7. *Cæſa jam genitrice.*]. Clytemneſtrâ, quam, ad ulciſcendum patrem Agamemnonem, interfecit. Vide ſupra Epitaph. 1. Agamemnonis Atque ob cædem matris agitatum furiis poetæ in theatra ſua induxerunt.

Digitized by Google

[1] *Euryalo.* X.

227 NEc me non dignum titulo [2] Pleuronia credit :
Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo, & Sthenelo. Nam [3] tertius hoc ego regnum
Poſſedi : de quo nunc ſatis eſt tumulus.

INTERPRETATIO.

Me quoque Pleuronia non putat indignum epitaphio, cui Euryalo dicto *eadem familia fuit ; ac Diomedi, & Sthenele. Ego enim tertius tenui hoc regnum : de quo ſepulchrum jam* mihi *ſufficit.*

NOTÆ.

1. *Euryale.*] Meciſtei filio, qui frater erat Adraſti, ex cujus Adraſti filiâ Deipylâ & Tydeô ortus Diomedes Argivorum regnum tenuit.

2. *Pleuronia.*] Sic appellatur à Strabone lib. 10. pars Ætoliæ, ab urbe Pleurone in eâ ſitâ. At aliam urbem Pleuronem Tzetzes memorat in Peloponneſo ſitam, quæ videtur appellata à Pleurone quodam Peloponneſi Rege ; Ledæ proavo, cujus meminit Pauſanias, nobile ejus monumentum memorans, in Laconicis. Pleuronia igitur hic non alia eſt, quam Argiva regio, Diomedis, Stheneli, & Euryali Regnum. Lycophron quoque Caſſandræ verſu 143. Helenam appellat *Pleuroniam*, quam Homerus Ἀργείαν, *Argivam* appellarat. *Pleuronem* Ætoliæ *Meleagriam* apud Statium dictam reperio :

Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron.

Eſt & apud Ovidium l. Metam. 14. Fab. 4. *Pleuronius Agmon*, unus è Diomedis ſociis, qui in aves mutati ſunt.

3. *Tertius.*] Priores duo fuerunt Diomedes & Sthenelus.

Guneo. XI.

228 [1] GUnea pontus habet, [2] tumulus ſine corpore nomen.
Fama homines inter ; cœlum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune ſepulchrum.
Quæ? cœlum, & tellus, & mare, & ora virûm.

INTERPRETATIO.

Mare tenet Guneum, ſepulchrum habet *nomen ejus, abſque cadavere. Gloria* ejus *volat inter homines ; mens* ejus *reverſa eſt in cœlum. Omnia elementa ſunt tumulus communis tam egregii imperatoris. Quænam* ſunt illa? *cœlum* nempe, *& terra, & pelagus & ora hominum.*

NOTÆ.

1. *Gunea Pontus habet.*] Ex hoc Græco Anthologiæ.

ΕΠΙ' ΓΟΥΝΕ'ΩΣ.

Σῆμα τὸ μὲν Γυνῆος ὁρᾷς· ψυχὴ δὲ θανόντος
Ἀέρ' ἐς ὑγρὸν ἔβη, σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

De Guneo

Monumentum hoc quidem Gunei vides, anima autem mortui
Aërem in liquidum abiit ; corpus vero pontus habet.

Hic Guneus Teſte Homero lib. 2. Iliad. ad Trojam ex Cypho Theſſaliæ civitate cum viginti duabus navibus venerat. Lycophron verſu 897. Caſſandræ ſcribit, eum in Africam delatum fuiſſe poſt captum Ilium. De ſepulchri ejus loco nihil compertum habeo, quod afferam.

2. *Tumulus.*] Κενοτάφιον *tumulus inanis.*

Proteſilao.

Proteſilao. XII.

229 [1] FAtale adſcriptum nomen mihi Proteſilao.
Nam primus Danaûm bello obii Phrygio,
Audaci ingreſſus Sigeïa littora ſaltu,
Captus pellacis [2] Laërtiadæ inſidiis.
Qui, ne Trojanæ [3] premeret pede littora terræ,
Ipſe [4] ſuper proprium deſiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant;
Tale mihi nomen quum pater impoſuit.

INTERPRETATIO.

Nomen fatale mihi impoſitum eſt Proteſilao. Ego enim primus Græcorum mortuus ſum in bello Trojano, cum inſiluiſſem confidenter in littus Sigeum, deceptus dolis Ulyſſis fallacis. Qui, ne calcaret pedibus littus telluris Trojanæ, inſiliit ipſe in parmam ſuam. At *quare conqueror? fata mea mihi jam tunc prædicebant mortem hanc, cum genitor* meus *tribuit mihi nomen ejuſmodi.*

NOTÆ.

1. *Fatale adſcriptum, &c.*] Supra epigrammate 20.

Proteſilae, tibi nomen ſic facta dederunt,
Victima quod Trojæ prima futurus eras.

ubi vide notas noſtras.

2. *Laertiadæ.*] Quatuor ſyllabis legendum, ut metri ratio conſtet, duabus primis vocalibus coaleſcentibus in unam diphtongum. *Laertiades* eſt Ulyſſes Laertæ filius.

3. *Premeret pede, &c.*] Sicque, ne mortem oraculo pronunciatam ei qui primus littora Trojana tetigiſſet, ſibi ar ceſſeret.

4. *Super proprium clypeum.*] Quem prius in terram abjecerat. Quo quidem in clypeo catus Laertiades tamdiu conſtitit, donec multos è Græcis in littus jam deſcendiſſe, & terram contigiſſe pedibus videret.

[1] *Deiphobo.* XIII.

230 PRoditus ad pœnam, [2] ſceleratæ fraude Lacenæ,
[3] Et deformato corpore Deiphobus,

INTERPRETATIO.

Ego *Deiphobus traditus ſupplicio, dolo ſceleſtæ Lacedæmoniæ, & corpore fœde laniato, non ha-*

NOTÆ.

1. *Deiphobo.*] Priami filio, qui, mortuo Paride, Helenam duxerat.

2. *Scelératæ fraude Lacenæ.*] Helenæ Lacedæmoniæ, quæ, qua nocte captum fuit Ilium, Menelao fores thalami aperuiſſe, & dormientem Deiphobum tradidiſſe interficiendum dicitur apud Hyginum. & Virgilium lib. 6. Æneid. unde deſumpta hæc ſunt ab Auſonio.

3. *Et deformato corpore.*] Virg. loco ſupra dicto.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit: lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas, populataque tempora, raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Non habeo tumulum [1] niſi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, & Maro compoſuit.

INTERPRETATIO.

beo ſepulchrum, præter illud quod pius Æneas, & Virgilius mihi extruxit voce conclamantis me.

NOTÆ.

1. *Niſi quem mihi voce vocantis, &c.*] Apud Virgilum Æneas Deiphobo :

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem,
Conſtitui & magna manes ter voce vocavi.
Nomen, & arma locum ſervant, &c.

Hectori. XIV.

231 HEctoris hic tumulus : [1] cum quo ſua Troja ſepulta eſt.
[2] Conduntur pariter, qui periere ſimul.

INTERPRETATIO.

Hoc ſepulchrum eſt *Hectoris : cum quo Troja ipſius tumulata eſt. Simul jacent qui una interierunt.*

NOTÆ.

1. *Cum quo ſua Troja ſepulta eſt.*] Egregia Hectoris laus, quod eo ſtante ſteterit patria, cadente corruerit. Sic poëta alter (Pentadius) in tumulo Hectoris:

Occubuit telo violenti victus Achillei.
Occubuere ſimul ſpeſque, ſaluſque Phrygum.

2. *Conduntur pariter.*] Id eſt Trojani omnes, cum ſepultus eſt Hector, una cum eo ſepulti ſunt, quoniam ipſo mortuo ſtare diutius non potuerunt.

[1] *Aſtyanacti.* XV.

232 [2] FLos Aſiæ, [3] tantaque unus de gente ſuperſtes,
Parvulus, Argivis ſed jam [4] de patre timendus,
Hic jaceo Aſtyanax: [5] Scæis dejectus ab altis.

INTERPRETATIO.

Ego *Aſtyanax flos Aſiæ, & ſolus relictus ex tam amplâ familiâ, parvus admodum, ſed jam formidabilis Græcis propter patrem* meum, *hic ſitus ſum, præceps miſſus è ſummâ Scæâ* portâ.

NOTÆ.

1. *Aſtyanacti.*] Hectoris & Andromachæ filio.

2. *Flos Aſiæ.*] Pulcherrimus, & nobiliſſimus Aſiæ puer.

3. *Tantaque unus de gente.*] De familia Priami, cui utriuſque ſexus liberi quinquaginta quatuor, & ex iis nepotes multi fuerunt, in quos omnes vario pœnarum genere, ſervitio, exilio, morte, Græci ſævierunt.

4. *De patre.*] Hectore, qui mala multa Græcis intulerat dum viveret, metumque eis fecerat, ne ſi ſupereſſet ex liberis ejus aliquis, patris mortem atrocem ulciſceretur aliquando virtute à paterna non degenere.

5. *Scæis ab altis.*] *Scæam portam*, & *Scæas portas* habet Virgilius. Σκαιὰς πύλας Homerus. Hæc Trojæ porta fuit, ex qua dejectus Aſtyanax. Hyginus è muro dejectum tradit.

Digitized by Google

Prô dolor ! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt [1] aliquid crudelius Hectore tracto.

INTERPRETATIO.

Proh dolor ! muri Trojani à Neptuno exſtructi *viderunt aliquid magis dirum quam Hectorem raptatum.*

NOTÆ.

1\. *Aliquid crudelius Hectore tracto.*] Melius ſpectaculum erat, quam Hector, ſcilicet Aſtyanactem inſontem puerum è ſummis mœnibus dejectum ; quod crude-

—— *Raptatus bigis, aterque cruento*
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes,

Sarpedoni. XVI.

233 SArpedon [1] Lycius, [2] genitus Jove, [3] numine patris
Sperabam cœlum ; ſed tegor hoc tumulo,
[4] Sanguineis fletus lachrymis : prô ferrea fata !
[5] Et patitur luctum [6] qui prohibere poteſt ?

INTERPRETATIO.

Ego *Sarpedon Lycius, filius Jovis, ſperabam* me conſequuturum *cœlum ob divinitatem patris* mei ; *at operior hoc ſepulchro ploratus fletibus ſanguineis. O fati duritiam ! Etiam ille luget, qui poteſt* id *impedire ?*

NOTÆ.

1\. *Lycius.*] Lyciæ rex.

2\. *Genitus Jove.*] Et Laodamiâ Bellerophontis filiâ, ut habetur Iliad. 6°. qui Trojanis contra Græcos auxilium tulit, & à Patroclo fuit occiſus. Hunc eundem eſſe ac Sarpedonem Jovis & Europæ filium qui Cretâ pulſus à fratre Minoe, in Lycia regnavit, auctor eſt Apollodorus lib. 3. Bibliothecæ. Fuit & alius Sarpedon Neptuni filius, Thraciæ rex, ab Hercule interfectus, ut habet ſcholiaſtes Argonauticorum Apollonii.

3\. *Numine patris.*] A quo impetraverat ut tres hominum ætates viveret, ut ait idem Apollodorus.

4\. *Sanguineis fletus lacrymis.*] A Jove patre, qui, ut habetur Iliad. lib. 16. cum videret non poſſe ſe ſervare filium cariſſimum Sarpedonem, fatis id vetantibus,

Αἱματοέσσας ψιάδας κατέχευεν ἔραζε.
Sanguineas guttas effundebat humi.

5\. *Et patitur.*] Hæc cum indignatione legenda. Grævius pro *&* legit *en.*

6\. *Qui prohibere poteſt.*] Nempe pater Jupiter, qui ut ſummus deorum deberet poſſe me morti eripere.

Naſti & Amphimacho. XVII.

234 [1] NAſtes, Amphimachuſque, Nomionis inclyta proles,
[2] Ductores quondam, pulvis & umbra ſumus.

INTERPRETATIO.

Nos *Naſtes, & Amphimachus, clara propago Nomionis, olim imperatores,* nunc *ſumus* tantum *cinis & umbra.*

NOTÆ.

1\. *Naſtes Amphimachuſque.*] Ad verbum ex illo Homeri Iliad. 2.

Νάστης Ἀμφίμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.

2\. *Ductores quondam.*] Cariæ militum, quos pro Trojanis ad bellum duxerant. Horum Amphimachum ab Achille occiſum ſcribit Homerus. Alium quoque Amphimachum Græcum hominem memorat ab Hectore interfectum lib. 13. Iliad.

Troilo. XVIII.

235 HEctore proſtrato, nec dis, nec viribus æquis
[1] Congreſſus ſævo Troïlus Æacidæ,
Raptatus bigis, [2] fratris [3] conjungor honori.
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

INTERPRETATIO.

Ego *Troilus, pugnans cum crudeli Achille neque diis faventibus, neque pari robore, poſt interfectum Hectorem, tractus curru bijugo, in partem venio honoris fratris. Cujus exemplo ſupplicium* hoc *mihi* ſit *levius.*

NOTÆ.

1. *Congreſſus ſævo Troïlus Æacidæ.*] De hoc Virgilius lib. 1. Æneid. picturam rerum Trojanarum in Junonis templo apud Carthaginem enarrans, ſic habet:

Parte alia fugiens amiſſis Troïlus armis,
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani,
Lora tenens tamen. Huic cervixque comæque trahuntur
Per terram: & verſa pulvis inſcribitur haſta.

2. *Fratris.*] Hectoris, cujus frater erat Troilus, Priami & Hecubæ filius.

3. *Conjungor honori.*] Raptatus bigis ut Hector.

Polydoro. XIX.

236 [1] CEde procul, [2] myrtumque iſtam fuge neſcius hoſpes,
[3] Telorum ſeges eſt [4] ſanguine adulta meo.
Confixus jaculis, & ab ipſa cæde ſepultus,
[5] Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.

INTERPRETATIO.

Diſcede longe, ô Hoſpes, & fuge hanc myrtum, ignorans quid ea ſit, ea *eſt ſeges jaculorum quæ crevit ex meo cruore. Ego Polydorus confoſſus telis, & ipſâ* meâ *cæde tumulatus, bis te-*

NOTÆ.

1. *Cede procul, &c.*] effictum hoc Epitaphium ex iis quæ de Polydoro habet Virgilius initio lib. 3. Æneid.

2. *Myrtumque iſtam.*] Virg. dicto loco:

Forte fuit juxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta, & denſis haſtilibus horrida Myrtus, &c.

3. *Telorum ſeges.*] Virgilius.

Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum ſeges, & jaculis increvit acutis.

4. *Sanguine adulta meo.*] Virg.

——*Haud cruor hic de ſtipite manat.*

5. *Condor in hoc tumulo bis.*] Semel cum à Polymneſtore jaculis eſt obrutus; & iterum, cum ab Æneâ eſt aggeſtâ terrâ tumulatus. Virg. dicto loco:

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, &c.

Scit pius Æneas, & tu, [1] rex impie: quod me
[2] Thracia pœna premit, [3] Troïa cura tegit.

INTERPRETATIO.

gor hoc in ſepulchro. Novit hoc pius Æneas, & tu quoque rex ſcelerate: quoniam ſupplicium à Thracibus de me ſumptum, me *obruit; at pietas Trojanorum me tumulat.*

NOTÆ.

1. *Rex impie.*] Apoſtrophe ad Polymneſtorem Thraciæ regem, cui Polydorum filium Priamus auri cum pondere magno furtim mandarat alendum cum jam diffideret armis Dardaniæ. Ille ut opes fractæ Teucrûm & fortuna receſſit, fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro vi potitur, ut narrat Virgilius.

2. *Thracia pœna premit.*] Jaculis figendo.

3. *Troïa cura tegit.*] Funus inſtaurando, ludit in Iſocolo.

Euphemo. XX.

237 [1] EUphemum Ciconum ductorem Troïa tellus
[2] Condidit haſtati Martis ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo inciſiſſe ſepulchri;
Inſuper & frontem mole onerant ſtatuæ.
Ocyus iſta ruunt, quæ ſic cumulata locantur:
[3] Major ubi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

INTERPRETATIO.

Terra Trojana humavit ante ſimulacrum Martis haſtati Euphemum ducem Ciconum. Neque contenti ſunt inſcripſiſſe lapidi tumuli epitaphium; præterea imponunt fronti ſignum ingens. Hæc quæ ſic invicem aggeruntur, citius cadunt: ubi major honor eſt, magnus caſus ſubſequitur.

NOTÆ.

1. *Euphemum Ciconum ductorem.*] Hujus meminit Homerus inter eos qui Trojanis auxilio venerant lib. 2. Iliad.

2. *Condidit haſtati, &c.*] De hoc Euphemi ſepulcro apud Auſonium ſolum mentio eſt.

3. *Major ubi eſt cultus, &c.*] Frigidiora hæc paulo. Id vult auctor ſepulchrum Euphemi ideo citius à Græcis captâ Trojâ fuiſſe everſum, quia altius erat & ſtatuâ ejus inſigne: unde irati victoris vim brevi ſenſit. Senſus collatione Epitaphii ſequentis magis patebit.

Hippothoo, & Pyleo in horto ſepultis. XXI.

238 [1] HIppothoum, Pyleumque tenet gremio infima tellus;
Caulibus, & malvis terga ſuperna virent.

INTERPRETATIO.

Ima terra complectitur ſinu Hippothoum, & Pylæum: dorſum ſuperius vireſcit caulibus, &

NOTÆ.

1. *Hippothoum Pyleumque*] Hos fratres facit Homerus Pelaſgorum & Lariſſæorum ductores in Trojanis partibus lib. 2. Iliad. & lib. 17. Hippothoum ab Ajace Telamonio occiſum memorat. Sed de eorum ſepulchro nihil niſi hic. Pylæum porro ex Homero legendum eſſet, ſed more ſuo diphtongum elidit, metri cauſâ, poëta noſter.

[1] Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu molle holus excolitur.

INTERPRETATIO.

malvis. Neque cultus horti ſollicitat oſſa quieſcentia: dum olus molle colitur leni manu.

NOTÆ.

1. *Nec vexat cineres horti cultura quietos.*] Hoc vult poëta, Hippothoi & Pylei cineres, in horto conditos abſque tumuli & Epitaphii honore, tutos fuiſſe & inviolatos; cum Euphemi cineres (de quo Epitaphio ſuperiore,) ſuperbo tumulo conditi, diſperſi ac diſſipati à Græcis fuerint.

Ennomo, & Chromio. XXII.

239 [1] ENnomus hîc, Chromiuſque jacent; [2] queis Myſia regnum,
[3] Queis pater Alcinus, Oceanuſque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quo clarius iſtis
Eſt genus, hoc mortis conditio gravior.

INTERPRETATIO.

Hic ſiti ſunt Ennomus & Chromius; qui regnaverunt in Myſia, qui habuerunt patrem Alcinum, & atavum Neptunum. Quid prodeſt tanta claritas natalium? *quò illuſtrior eſt illis proſapia, eo moleſtior eſt illis conditio mortis.*

NOTÆ.

1. *Ennomus hic Chromiuſque.*] Ἔννομος & Χρόμις Homero lib. 2. Iliad. ſub finem. Sed Χρόμιον quoque dici, auctor eſt Euſthatius. Hinc eſt *Chromius.*

2. *Queis Myſia.*] Fuerunt in Europâ duæ Myſiæ ſeu Mœſiæ in Illyrico Orientis; ſuperior, & inferior; in Aſiâ duæ Myſiæ, major & minor. Myſia hic Aſiæ intelligenda eſt.

3. *Queis pater Alcinus.*] Adde ex Homero Ennomum fuiſſe augurem. Sic enim ille loco dicto:

Μυσῶν δὲ Χρόμις ἦρχε, καὶ Ἔννομος οἰωνιστής.
Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν,
Ἀλλ' ἐδάμη ὑπὸ χερσὶ ποδώκεος Αἰακίδαο, &c.
Myſis autem Chromis præerat, & Ennomus Auguri,
Sed non auguriis depulit mortem nigram,
Verum domitus eſt manibus velocis Æacidæ, &c.

Priamo. XXIII.

240 HIc Priami non eſt tumulus, nec condor in iſta
Sede: caput Danai diripuere meum.
Aſt ego [1] quum lacerum ſine nomine funus haberem,
Confugi [2] ad cineres Hectoreos genitor.

INTERPRETATIO.

Hic non eſt ſepulchrum Priami, neque tumulatus ſum in hoc loco: Græci diſcerpſerunt meum caput. Ego vero cum laniatum eſſet meum cadaver, *neque haberem titulum ſepulchri, recepi*

NOTÆ.

1. *Quùm lacerum ſine nomine funus, &c.*] De hoc Virg. lib. 2. Æneid.
—— *Jacet ingens littore truncus,*
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.

2. *Ad cineres Hectoreos.*] In ſepulchro, quod ipſi exſtruxerat Priamus, conditos, ubi non corpore quidem, ſed animo totum fuiſſe ſe innuit.

[1] Illic & natos, Trojamque, Aſiamque ſepultam
Inveni, & noſtrum quicquid ubique jacet.

INTERPRETATIO.

me ad oſſa Hectoris cum *pater* ſim illius. *Ibi reperi & filios, & Trojam, & Aſiam tumulatam, & quidquid ex meis rebus ubique ſparſum eſt.*

NOTÆ.

1. *Illic & natos, &c.*] Vide ſupra epitaphium Hectoris, quod eſt XIV.

Item Priamo. XXIV.

241 QUi tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante.
[1] Ille meus, nato quem prius ipſe dedi.
Hectoris, & patris ſimul eſt commune ſepulchrum,
Amborum quoniam juncta ruina fuit.

INTERPRETATIO.

Quiſquis quærit ſepulchrum Priami, legat prius epitaphium *Hectoris. Illud* ſepulchrum *meum eſt quod ego prius extruxi filio. Tumulus communis eſt ſimul Hectoris, & patris* ipſius. *Quia caſus utriuſque conjunctus fuit.*

NOTÆ.

1. *Ille meus, nato, &c.*] Quaſi dicat jam rem ſepelivi, & dolor jam tum cum ipſo ſum mortuus ſum, cum mortuum Hecto- me contumulavit.

Hecubæ. XXV.

242 QUæ regina fui, quæ claro [1] nata Dymante,
Quæ Priami conjunx, Hectora quæ genui;
Hîc Hecuba injectis perii ſuperobruta ſaxis.
[2] Sed rabie linguæ me tamen ulta prius.
[3] Fidite ne regnis, & prole & ſtirpe parentum:
Quicunque [4] hoc noſtrum σῆμα κυνὸς legitis.

INTERPRETATIO.

Ego Hecuba, quæ fui *regina, quæ* fui *filia inclyti Dymantis, quæ* fui *uxor Priami; quæ peperi Hectorem; hic interfecta ſum oppreſſa lapidibus in* me *miſſis. Sed tamen ulta ſum me* maledictis *linguæ rabida. Quicumque hoc meum ſepulchrum caninum legitis, ne confidite regnis, & liberis, & proſapia majorum.*

NOTÆ.

1. *Nata Dymante.*] Juxta Homerum lib. Iliad. 16. At Euripides in *Hecubâ*, patrem ei fuiſſe Ciſſeum ait. Apollodorus lib. 3. Bibliothecæ, Sangarium.

2. *Sed rabie linguæ.*] Hinc fabulati ſunt eam in canem converſam, quia oblatrare maledictis non deſinebat.

3. *Fidite ne regnis.*] Expreſſa iſta ex his Senecæ, initio Troadis:

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me videat, &c.

4. *Hoc noſtrum σῆμα κυνὸς*] *Sepulchrum canis.* Hujus ſepulchri Hecubæ meminit Strabo lib. 13. Geographiæ, & in Cherſoneſo illud collocat; & Mela lib. 2. de eâdem Cherſoneſo Thraciæ loquens, *Eſt* Cynos ſema, *inquit, tumulus Hecubæ; ſive ex figurâ canis, in quam converſa traditur, ſive ex fortunâ, in quam deciderat, humili nomine accepto.*

Polyxenæ XXVI.

243 [1]TRoas [2] Achilleo conjuncta Polyxena buſto,
Malueram nullo cæſpite functa tegi.
Non bene [3] diſcordes tumulos miſcetis, Achivi.
Hoc [4] violare magis, quam ſepelire fuit.

INTERPRETATIO.

Ego Polyxena Trojana, juncta ſepulchro Achillis, maluiſſem nullâ terrâ operiri mortua. Male conjungitis ſepulchra inimica invicem, *ô Græci: hoc fuit potius violare* manes meos, quam me tumulare.

NOTÆ.

1. *Troas.*] Trojana, filia Priami & Hecubæ, quam Græci capto Ilio ad Achillis tumulum immolaverunt.

2. *Achilleo conjuncta, &c.*] De hac apud Virgil. 3. Æn. Andromacha:

O felix una ante alias Priameïa Virgo,
Hoſtilem ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori, &c.

3. *Diſcordes tumulos.*] Achillis & meum; me tumulando in ejus ſepulchro.

4. *Violare magis.*] Signatè de ſepulchris, & mortuorum cineribus *violare* dicitur.

ALIQUOT ALIORUM EPITAPHIA.

[1] *Niobæ, in Sipylo monte juxta fontem ſepultæ.* XXVII.

244 THebarum regina fui, [2] Sipyleia cautes
Quæ modo ſum; [3] læſi [4] numina Latoidum.

INTERPRETATIO.

Ego *fui Regina Thebarum, quæ nunc ſum rupes Sipyleïa: offendi Deos Latonâ genitos.* Cum

NOTÆ.

1. *Niobæ.*] Hæc Tantali filia fuit Phrygiæ Regis, & uxor Amphionis Regis Thebarum, quam, propter ſuperbiam ex natorum numero conceptam, iis interfectis ab Apolline & Dianâ ſpretam Latonam matrem ulciſcentibus, in marmoream rupem converſam fuiſſe fabulati ſunt. Vide Ovid. lib. 6. Metamorph. fab. 2. Apollodorum Biblioth. lib. 3. Aulum Gell. ultimo Noctium Atticarum, & Ælian. lib. Hiſtor. 12. Varia quoque epigrammata leguntur in Anthologiâ in caſum, formam, & imaginem Niobes.

2. *Sipyleia cautes.*] Sipylus urbs fuit Phrygiæ, & mons in quo marmoream formam ex ſtupore induit Niobe, quæ propterea *genitrix Sipyleia* Statio dicitur.

3. *Læſi.*] Superbiâ. Cum enim Thebani omnes Latonæ ſacrificarent, ſola eſt inventa Niobe cum ſeptem filiis maribus totidemque puellis, quæ numen Deæ aſpernaretur.

4. *Numina Latoïdum.*] Apollinem, & Dianam Jovis & Latonæ filios.

[1] Bis

Digitized by Google

[1] Bis ſeptem natis genitrix læta atque ſuperba,
Tot duxi mater funera, quot genui,
Nec ſatis hoc divis: duro circundata ſaxo,
[2] Amiſi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obſtructis quamquam [3] vitalibus, hæret:
[4] Perpetuaſque rigat fonte pio lachrymas.
Prô facinus! [5] tantæne animis cœleſtibus iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago perit.

Interpretatio.

eſſem *mater ovans & ſuperba quatuordecim liberis, totidem ſepelivi corpora, quot genitrix peperi. Neque ſatis* fuit *hoc Diis. Circumvoluta durâ caute, perdidi figuram corporis humani. Verum quanquam occluſi ſint* mihi *vitales* meatus, *dolor* in me *remanet; & effundit pio latice fletus æternos. Proh nefas! an tam ſævæ ira* inſunt *mentibus cælicolarum? figura matris abolita eſt*, & tamen *fletus* ejus *adhuc durat.*

Notæ.

1. *Bis ſeptem, &c.*] Septem maribus & feminis totidem, ut habent Hygin. fab. 2. & Apollod. lib. 3. quibus concinit Ovid. lib. 6. Met. Plures numerant Heſiod. Sappho, Bacchyl. Pindarus: pauciores Hom. & Herodotus.

2. *Amiſi, &c.*] Per ſaxum in quo mutata eſt, intellige dolorem quo confecta diriguerit, juxta illud Tullii 3. Tuſc. *Niobe fingitur lapidea propter æternum, credo, in luctu ſilentium.* Et D. Hieronymi in Epitap. Nepotiani: *Unde & Nioben, quia multum fleverit, in lapidem, & diverſas in beſtias commutatas finxit Antiquitas.* Poſſis etiam per ſaxum intelligere lapideam ſtatuam, quam, ut refert Palæphatus, liberis orba ſibi erexit in monumentum.

3. *Vitalibus.*] Meatibus ciborum, ſpiritûs, & ſanguinis.

4. *Perpetuaſque rigat.*] Hyginus de eâdem Niobe: *At genitrix liberis orba, flendo lapidea facta eſſe dicitur in monte Sipylo: ejuſque hodie lacrymæ manare dicuntur.*

5. *Tantæne animis, &c.*] Ex 2. Æneid.

Eidem. XXVIII.

245 [1] Vivebam: ſum facta ſilex; quæ deinde polita
Praxitelis manibus, [2] vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu.
Hunc ego, quum læſi numina, non habui.

Interpretatio.

Ego Niobe vivebam, facta ſum lapis. Quæ poſtea expoſita manibus Praxitelis, rurſus vivo. Manus fabri mihi *reſtituit cuncta, verum abſque ſenſu. Ego hoc carui, cum offendi Deos.*

Notæ.

1. *Vivebam, &c.*] Expreſſum ex hoc incerti auctoris lib. 4. Anthologiæ.

> Ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
> Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

Id eſt:

> *Ex viva me Dii fecerunt lapidem, ex lapide vero*
> *Vivam Praxiteles denuo fecit.*

2. *Vivo iterum.*] Id eſt tam affabre ſum facta, ut vivere videar. Sic Virg. Æneid. 6.

> *Excudent alii ſpirantia mollius æra,*
> *Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.*

Eidem. XXIX.

246 [1] HAbet ſepulchrum non id intus mortuum.
Habet nec ipſe mortuus buſtum ſuper.
Sibi [2] ſed eſt ipſe hic ſepulchrum, & mortuus.

Interpretatio.

Hoc monumentum non habet interius cadaver. Neque ipſum cadaver habet monumentum deſuper. Sed ipſum hoc ſibi eſt monumentum, & cadaver.

Notæ.

1. *Habet ſepulchrum, &c.*] Lib. 3. Anthologiæ perquam ſimile epigramma extat Agathiæ ſcholaſtico tributum à ſcholiaſte Sophoclis ad Electram.

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον.
Ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

Id eſt:

Tumulus hic intus non habet mortuum:
Mortuus hic foris non habet tumulum:
Sed ipſe ſuus mortuus eſt, & tumulus.

Quod ſi Agathiæ illius ſcholaſtici eſt quem Paulo Silentiario, & Triboniano æqualem facit Suidas; expreſſum fuerit ex Auſoniano hoc; cum, illi Juſtiniano Imperatore vixerint; Auſonius vero, qui Gratiano Cæſare conſul erat jam ſenex, eos annis plus centum præceſſerit. Ut expreſſum Auſonianum ex hoc Græco credetem, faceret, quod *mortuum* pro muliebri cadavere habeat, more Græcorum, qui τὸν νεκρὸν, pro cujuſvis ſexus cadavere dicunt. Sed uſitatum quoque Latinis hoc ſenſu *mortuum* probant veterum Juriſconſultorum fragmenta in Pandectis paſſim & præcipue toto titulo *De mortuo inferendo & ſepulchro ædificando.*

2. *Sed eſt ipſe hic ſepulchrum & mortuus.*] Nempe Niobe, ſuo ipſius lapide involuta, ſibi ipſi ſepulchrum eſt.

Didoni. XXX.

247 INfelix Dido, nulli benè nupta marito:
[1] Hoc pereunte [2] fugis, [3] hoc fugiente peris.

Interpretatio.

Dido infortunata, neutri marito bene conjugata: hoc moriente aufugis, hoc aufugiente moreris.

Notæ.

1. *Hoc pereunte.*] Sichæo, in Phœniciâ.

2. *Fugis.*] In Africam, opibus in naves impoſitis, cum Pygmalionem fratricidam timeres. Vid. lib. 1. Æneid.

3. *Hoc fugiente.*] Æneâ, quem ipſi connubio jungit Virgilius, ex cujus ſententiâ hic Auſonius loquitur.

Diogeni Cynico, in cujus ſepulchro, pro titulo, Canis ſignum eſt. XXXI.

248 [1] DIc, canis, hic cujus tumulus? [2] Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? [3] Non obiit, ſed abît.
Diogenes, cui [4] pera penus, [5] cui dolia ſedes,
Ad Manes abiit? [6] Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat qua [7] ſtella Leonis,
Additus eſt [8] juſtæ nunc canis Erigonæ.

INTERPRETATIO.

Dic, ô Canis, cujus eſt hoc ſepulchrum? Canis. Sed quis eſt hic Canis? Diogenes. Mortuuſne eſt? Non mortuus eſt, ſed exceſſit. An Diogenes ille, *cui ſacculus* erat pro *cellâ promptuariâ, & dolium pro domo, exceſſit ad inferos? Cerberus* eum *prohibet* illuc *ire. Quonam ergo* abiit? *Nunc adjectus eſt canis juſta Erigonæ,* quâ parte cœli *ſidus micantis leonis ardet.*

NOTÆ.

1. *Dic canis.*] Interrogat hoſpes quiſpiam canem marmoreum impoſitum Diogenis Cynici tumulo, juxta Corinthi portam quæ in Iſthmum ferebat erecto, ut refert in ejus vitâ Laërtius. Simile eſt Græcum lib. 3. Anthologiæ:

Εἰπὲ κύον, &c.

2. *Canis.*] Hoc canis ille marmoreus hoſpiti reſpondere intelligendus eſt. Totum enim hoc epigramma colloquium eſt inter hoſpitem interrogantem, & canem reſpondentem. De Diogene cane & ejus Cyniſmo vide Laërtium in ejus vitâ.

3. *Non obiit, ſed abit.*] Id eſt non mortuus eſt, ut cæteri, neceſſitate fati coactus; ſed ſponte vitam deſeruit. Hunc Athenæus lib. 8. Dipnoſoph. ſcribit obiiſſe alvo nimis ſolutâ. Laërtius in ejus vitâ varias affert de ejus morte opiniones. Probabiliorem tamen, & neceſſariorum ejus teſtimonio confirmatam ait, ipſum ſpiritum continendo animam exhalaſſe. Quod ſuſpicati ſunt eum feciſſe deſiderio migrandi ex vitâ. Atque hoc mire convenit huic Auſonii loco

4. *Pera penus.*] Per metonymiam *penus* hic ſumitur pro *cellâ* penum, id eſt cibaria, continente. Sic etiam de ipſo Laërtius: Πήραν τε ἐκομίσατο ἔνθα αὐτῷ τὰ σιτία ἦν. *Peramque tulit in quâ cibos ferebat.*

5. *Cui dolia ſedes.*] Laërtius: Ἐπιστείλας δέ τινι οἰκίδιον αὐτῷ προνοήσασθαι, καὶ βραδύνοντος, τὸν ἐν τῷ μητρῴῳ πίθον ἔσχεν οἰκίαν. *Quum ad quendam ſcripſiſſet* (Diogenes) *ut ſibi pararet cellulam, & ille tardius id exequeretur, dolium quod in Metroo* (Phrygiæ Deæ ſacrum illud erat Athenis) *erat, pro domo habuit.*

6. *Cerberus ire vetat*] Ne alter ſit præter eum canis apud inferos.

7. *Stella Leonis.*] Quintum Zodiaci ſignum.

8. *Juſtæ nunc canis Erigonæ*] Canicula, ſidus prope Virginem, ſextum ſignum Zodiaci, Erigone dicta, ab aliis Aſtræa: unde *juſta* meritò addidit Auſonius, cum juſtitia ipſa crederetur Aſtræa illa. Erigone porro Icarii filia fuit, qui & ipſe Arctophylax ſidus eſt. Sed totam Erigones, Icarii patris, & canis Meræ fabulam ex Hygino non pigebit adſcribere. *Cum Liber pater* (inquit Hyginus) *ad homines eſſet profectus, ad Icarium & Erigonam in hoſpitium devenit. Iis utrem plenum vini muneri dedit, juſſitque ut in reliquas terras propagarent. Icarius plauſtro onerato cum Erigone filia, & cane Mera in terram Atticam ad paſtores devenit, & genus ſuavitatis oſtendit. Paſtores cum immoderatius biberent, ebrii facti, conciderunt; qui arbitrantes Icarium ſibi malum medicamentum dediſſe, fuſtibus eum interfecerunt. Icarium autem occiſum canis ulu-*

Notæ.

lans Mera Erigonæ monſtravit ubi pater inſepultus jaceret. Quo cum veniſſet, ſuper corpus parentis in arbore ſuſpendio ſe necavit, ob quod factum Liber pater iratus, Athenienſium filias ſimili pœna affixit. De ea re ab Apolline reſponſum petierunt; quibus reſponſum eſt, quod Icarii, & Erigones mortem neglexiſſent. Quo reſponſo, de paſtoribus ſupplicium ſumpſerunt, & Erigonæ diem feſtum oſcillationis, peſtilentiæ cauſa, inſtituerunt, & ut per vindemiam de frugibus Icario, & Erigonæ primum delibarent, qui Deorum voluntate in aſtrorum numerum ſunt relati. Erigone ſignum Virginis, quam nos Juſtitiam appellamus: Icarius Arcturus in ſideribus eſt dictus: canis autem Mera, Canicula. Hæc Hyginus fab. 130. Similia habet poëticôn Aſtronomicôn libro 2. ubi de Arctophylace. Vult hic Auſonius cum Græco epigrammate ſuperius relato, Diogenem poſt mortem in cœlum migraſſe, & eſſe canis cæleſtis ſidus. Certe Cercidas Megalopolita, ſive Cretenſis, referente Laertio in vita Diogenis, in eundem ſenſum dixerat in Meliambis,

——ἦν γὰρ ἀλαθέως
Διογένης Ζανὸς γόνος, οὐράνιός τε κύων.

Id eſt:

——*Erat enim vere*
Diogenes Jovis filius, & cæleſtis canis.

Sedecenni matronæ. XXXII.

249 OMnia quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
[1] Ante quater plenum conſumpſit Anicia luſtrum.
[2] Infans lactavit. Pubes & virgo adolevit.
Nupſit, concepit, peperit, jam mater obivit.
Quis mortem accuſet? [3] Quis non accuſet in iſta?
Ætatis meritis anus eſt, ætate puella.

Interpretatio.

Anicia ante impleta quatuor luſtra conſummavit cuncta, quæ optantur in diuturno vitæ ſpatio. Lac ſuxit infans, facta eſt pubes, & puella adulta, nupſit, concepit, enixa eſt, mortua eſt jam genitrix. Quis incuſet mortem? Quis eam non incuſet in hac? Vetula eſt merito ætatis, puella ætate.

Notæ.

1. *Infans lactavit.*] Id eſt *lac ſuxit*, quod *lactere* ſæpius dicitur, cum *lactare* de matre dicatur potius quam de infante. Apud Nonium tamen Livius Tereo: *Ego puerum ancillæ ſubdam lactantem mea ne fame perbitet.* Et Serenus Sammonicus de præcordiis ſanandis:

Quin etiam catulum lactantem adponere membris
Convenit.

2. *Ante quater plenum luſtrum.*] Ante vigeſimum annum ætatis.

3. *Quis non accuſet in iſta? Ætatis meritis.*] Scaliger reponebat: *in iſto Ætatis? meritis, &c.* Nihil mutandum. *Ætatis meritis* procul dubio ſcripſit hic noſter, qui epigram. 19. dixit:

Scire Ævi meritum, non numerare decet.

Apud Q. Curtium libro nono capite 6. Alexander moriens: *Verum ego, qui non annos meos, ſed victorias numero, ſi munera fortunæ computo, diu vixi.*

Glauciæ immatura morte prævento. XXXIII.

250 LÆta bis octono tibi jam ſub Conſule pubes
Cingebat teneras, Glaucia, adulte genas.
Et jam deſieras puer, an ne puella, videri:
Quum properata dies abſtulit omne decus.
Sed neque functorum ſocius miſcebere vulgo:
Nec metues Stygios flebilis umbra lacus.
Verum aut [1] Perſephonæ Cynireïus ibis Adonis:
Aut [2] Jovis Elyſii tu catamitus eris.

INTERPRETATIO.

Florens lanugo tibi jam veſtiebat molles malas ſub ſeno deno conſule à tuo ortu, ô Glaucia juvenis. Et jam ceſſaras apparere ambiguus puer an puella: quando feſtinata dies lethi *eripuit* tibi *omnem pulchritudinem. At neque permiſceberis plebeculæ mortuorum* ut eorum *comes: neque triſtis umbra formidabis ſtagna Averni. Sed eris vel Adonis Cynireius Proſerpinæ: vel tu eris Ganymedes Jovis Inferni.*

NOTÆ.

1. *Perſephonæ Cynireïus ibis Adonis.*] Proſerpina te in locum Adonidis amaſium ſibi adſciſcet. Adonis Cinyræ, ex filiâ Myrrhâ filius, à Venere dum viveret amatus, dilectus fuit Proſerpinæ apud inferos, teſte Orpheo in Hymnis, & Auſonio in Cupidine cruci affixo.

2. *Jovis Elyſii.*] Jovis inferi (id eſt Plutonis) catamitus eris, ut Superi Ganymedes.

Callicrateæ. XXXIV.

251 [1] VIginti atque novem genitrici Callicrateæ
Nullius ſexus mors mihi viſa fuit.
Sed centum & quinque explevi bene meſſibus annos,
Intremulam baculo non ſubeunte manum.

INTERPRETATIO.

Ego Callicratea mater viginti & novem liberorum *nullius* eorum *neque maris, neque feminæ aſpexi lethum. At peregi omnino centum, & quinque annos,* totidem *meſſibus* peractis. *neque tamen fulſi ſcipione dextram trementem.*

NOTÆ.

1. *Viginti atque novem, &c.*] Expreſſum hoc videtur ex Græco epigrammate incerti auctoris lib. 3. Anthologiæ:

Εἴκοσι Καλλικράτεια, καὶ ἐννέα τέκνα τεκοῦσα,
Οὐδ' ἑνὸς, οὐδὲ μιᾶς ἐδρακόμην θάνατον.
Ἀλλ' ἑκατὸν καὶ πέντε διηνυσάμην ἐνιαυτοὺς,
Σκίπωνι τρομερὰν οὐκ ἐπιθεῖσα χέρα.

Id eſt:

Viginti Callicratea, & novem filios enixa,
Nullius maris, nullius feminæ vidi mortem.
Sed centum & quinque peregi annos,
Scipioni tremula non appoſita manu.

[1] *Equo admirabili, juſſu Auguſti.* XXXV.

252 [2] PHoſphore, [3] clamoſi ſpacioſa per æquora Circi
[4] Septenas ſolitus victor obire vias:
[5] Improperanter agens primos [6] à carcere curſus,
Fortis prægreſſis ut potereris equis.
Promptum & veloces erat anticipare quadrigas:
Victores etiam vincere, laus potior.
Hunc titulum vani ſolatia ſume ſepulchri,
Et gradere [7] Elyſios præpes ad alipedes.
[8] Pegaſus hic dexter currat tibi. [9] Lævus Arion
Funalis. [10] Quartum det tibi Caſtor equum.

INTERPRETATIO.

O Phoſphore, tu qui *conſueveras perficere victor ſeptem circuitus per vaſtam planitiem Circi: non feſtinanter peragens primos curſus* ubi exieras *à carcere*, *ut validus aſſequereris equos præcedentes. Facile* tibi *erat etiam prævertere citos* currus *quadrijugos: gloria* quoque *major* erat *ſuperare victores ipſos. Accipe hoc epitaphium ſolamen tumuli inanis*, *& perge celer ad* veloces *equos Elyſii. Illic Pegaſus currat tibi à dextrâ. A ſiniſtrâ Arion ſit funalis. Caſtor ſuppeditet tibi quartum equum* ad quadrigam complendam.

NOTÆ.

1. *Equo admirabili, juſſu Auguſti.*] Plinius Natur. Hiſt. lib. 8. cap. 42. *Fecit & Divus Auguſtus equo tumulum, de quo Germanici Cæſaris carmen eſt.* De hoc exiſtimo eſſe hoc epigramma.

2. *Phoſphore.*] Φωσφόρος *Lucifer.*

3. *Clamoſi.*] Ob clamorem populi mirantis, plaudentis, & animos addentis certantibus.

4 *Septenas, &c.*] Certamina Curulia ſepteno metarum circuitu peragi ſolita, vel hinc diſcas.

5. *Improperanter.*] Lentè primum curſum incipiens.

6. *A carcere.*] *A carceribus.* Carceres erant unde curſuri emittebantur equi: metæ ad quas currebant, & quibus ſuperatis ad carceres per alteram Circi partem recurrebant.

7. *Ad Elyſios alipedes.*] Ad equos illos celebres, quorum Manibus Elyſium, veluti Heroum umbris, tribuit.

8. *Pegaſus hinc dexter, &c.*] Salmaſius ad Solinum, pag 899. vult jugales equos, id eſt, qui ad ipſum curſus temonem in quadrigis conjugati erant, minoris dignationis fuiſſe quam funarios, ſeu funales, hoc eſt, eos qui à latere jugalium hinc atque hinc funibus ad currum religati erant, & hunc locum ſic legit:

Pegaſus hinc dexter currant ibi lævus Arion,
Funi ſed quartum det tibi Caſtor equum.

Vinetus aliud cenſet, & Gronovius ſpretâ Salmaſii ſententiâ, illius opinioni accedit. Et jugalibus primum, atque inter eos ſiniſtro præcipuum tribuit honoris gradum. Atque his aſſentior, & ex vett. codd. cum Vineto lego:

Pegaſus hinc dexter currat tibi, lævus Arion
Funalis. Quartum det tibi Caſtor equum.

Auſonius hic Phoſphorum ponit in jugo ad lævam qui locus ideo præcipuus erat, quod aurigæ à carceribus profecti, metas ad lævam haberent, quas operæ pretium erat ſic evitare, ut tamen quàm proximè raderentur; ſic enim compendium viæ fiebat. Hoc autem ab ejus maximè equi ſolertiâ pendebat, qui ad jugum ab eâ parte erat, quæ reſpiciebat metas, cum ejus maximè eſſet temonem gyrando fle-

NOTÆ.

ſtere. Phoſphoro igitur, ut dixi, primum locum aſſignat in lævâ parte jugi, dextrum in eodem jugo locat Pegaſum alatum equum, funales autem ſtatuit ſiniſtrum Ariona, dextrum Cyllarum Caſtoris equum.

9. *Lævus Arion.*] Hic Ἀρείων, equus eſt ex Neptuno in equum transformato, & Erynni genitus. Lapræo regi Haliarti Bœoticæ urbis Neptunus eum dedit; ille autem Herculi, qui deinde Adraſto regi Argivorum. De hoc Homerus Iliad. 23. verſ. 347.

> Οὐκ ἔσθ' ὅς κέ σ' ἕλῃσι μετάλμενος οὐ-
> δὲ παρέλθῃ,
> Οὐδ' εἴ κεν μετόπισθεν Ἀρείονα δῖον
> ἐλαύνοι
> Ἀδρήστου ταχὺν ἵππον ὃς ἐκ θεόφιν γέ-
> νος ἦεν.

Id eſt:

> *Non erit qui te aſſequatur tranſiliens,*
> *neque prætereat,*
> *Non ſi à tergo Arionem divinum impelleret*
> *Adraſti velocem equum, qui ex deo genitus erat.*

Hujus meminit Apollodorus lib. 3. Biblioth. & Statius Thebaidos lib. 4. & 6.

10. *Quartum det tibi Caſtor equum.*] Cyllarum, de quo Virg. lib. 3. Georg.

> *Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis*
> *Cyllarus.*

Ubi Servius obſervat Pollucem pro Caſtore, fratrem pro fratre poſitum licentiâ poëticâ. Hos equos memorat Auſonius in extremâ gratiarum actione: *Quæ enim memoria unquam tranſcurſum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis, commenta eſt? Pegaſus volucer actus à Lyciâ, non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque ſenuerunt.*

In tumulo hominis felicis. XXXVI.

253 SParge mero cineres, [1] bene olentis & unguine nardi,
Hoſpes, & adde roſis balſama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illachrymabilis urna.
Et commutavi ſæcula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ:
[2] Seu meminiſſe putes omnia, ſive nihil.

INTERPRETATIO.

Conſperge oſſa mea vino, & unguento nardi ſuave fragrantis, ô advena, & junge Balſama roſis rubicundis. Urna mea nequaquam luctuoſa degit ver æternum. Et permutavi vitam, non autem *ſum mortuus. Nullas amiſi voluptates priſtinæ vitæ: ſive exiſtimes me recordari omnium, ſive nihili.*

NOTÆ.

1. *Bene olentis & unguine nardi.*] Unguen eſt unguentum. Uſus eſt hac voce Valerius Flaccus Argonaut. lib. 6.

> ——— *Pingui fluit unguine nardus.*

Et pleraque in *entum* verbalia, in *en* quoque deſierunt. *Fundamentum*, fundamen, *momentum*, momen, *tormentum*, tormen, &c. Malo ergo retinere hanc lectionem quæ eſt veteris codicis, quàm cum Vineto legere: *& odore perlue nardu.*

2. *Seu meminiſſe putes, &c.*] Id eſt ſive remaneat poſt mortem ſenſus aliquis, & memoria præteritorum gaudiorum, hoc ipſo felix ero: ſive nullus ſit in functis ſenſus, non ero infelix.

Sepulchrum Cari vacuum. XXXVII.

254 [1] ME ſibi, & uxori, & natis commune ſepulchrum
Conſtituit ſeras Carus ad exequias.
Jamque diu monumenta vacant, ſitque [2] iſta querela
Longior: & veniat ordine quiſque ſuo,
Naſcendi qui lege datus: placidumque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior

INTERPRETATIO.

Carus exſtruxit me commune monumentum ſibi, & conjugi, & liberis ſuis *ad tarda funera. Et jam dudum tumulus* hic *inanis eſt, &* utinam *hæc* mea *querimonia ſit diuturnior: atque* illi *veniant* ad me *ſinguli ſuo ordine, qui præſcriptus eſt conditione naſcendi: & qui præcedit ætate, ille prior* apud me *ſepeliatur per tranquilla ſæcula.*

NOTÆ.

1. *Me ſibi, &c.*] Expreſſum ex hoc Græco incerti auctoris l. 3. Anthologiæ.

Αὑτῷ, καὶ τεκέεσσι, γυναικί τε, τύμβον ἔδειμεν
Ἀνδροτίων· οὔπω δ' οὐδενός εἰμι τάφος.
Οὕτω καὶ μείναιμι πολὺν χρόνον. εἰ δ' ἄρα καὶ δεῖ,
Δεξαίμην ἐν ἐμοὶ τοὺς προτέρους προτέρους.

Id eſt:

Sibi, & liberis, & uxori tumulum ſtruxit
Androtion. Nondum autem ullius ſum ſepulcrum.
Sic quoque maneam multo tempore. Si autem forte etiam oportet,
Excipiam in me priores, priores.

Ubi *Androtion* nominatur, qui hîc *Carus.* In utroque epitaphio tumulus loquitur.

2. *Iſta querela.*] *Sepulchri:* queri poſſe videbatur ſepulchrum, quod tamdiu vacuum remaneret; at ex officio pietatis optat ut diu querendi locus ſibi detur, nec, niſi poſt longæ vitæ ſpatia, ad ſe veniant ii quibus eſt extructum.

[1] *Ex ſepulchro Latinæ viæ.* XXXVIII.

255 NOn nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum ſum, cinis, oſſa, nihil.
[2] Non ſum, nec fueram: genitus tamen è nihilo ſum.
Mitte, nec exprobres ſingula, talis eris.

INTERPRETATIO.

Ne quæras meum *nomen, nec quis* mihi fuerit *pater, nec quæ patria,* neque *quid geſſerim:* Ego *ſum mutus in æternum, pulvis, oſſa, nihil. Non ſum, neque* quidquam *fueram: ſum tamen procreatus è nihilo. Miſſum* me *fac, neque objicias* mihi *ſingula, talis* enim *eris* aliquando, qualis nunc ſum.

NOTÆ.

1. *Ex ſepulchro Latinæ viæ.*] Ad quam, ut ad cæteras publicas vias, crebra ſepulcha. Hinc illa in epitaphiis uſitata: *Mane viator, Aſta viator,* & ſimilia Juvenalis ſatyra 2.

——— *experiar quid concedatur in illos*
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

2. *Non ſum, &c.*] Confictum hoc putat Scaliger ex vulgatis monumentorum inſcriptionibus, in quibus talia ſæpe proponebantur. Et tale quoddam affert Lactorate à ſe lectum: D. I. M. NON. FUI. FUI. MEMINI. NON. SUM. NON. CURO. DONNIA. ITALIA. ANNORUM. XX. HIC. QUIESCO. C. MUNATIUS. C. DONNIA. CALISTE. LIBERTE. PIISSIME.

AUSONII

AUSONII
DE
XII. CÆSARIBUS,
PER
SUETONIUM TRANQUILLUM
SCRIPTIS.

Auſonius [1] *Heſperio filio, S. D.*

256 CÆSAREOS proceres, in quorum regna, [2] ſecundis
Conſulibus, dudum Romana potentia ceſſit,
Accipe bis ſenos, ſua quemque monoſticha ſignant,
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim
Nomina, res geſtas, vitamque obitumque peregit.

INTERPRETATIO.

Accipe duodecim Cæſares, in quorum Imperium potentia Romana jam pridem tranſiit, conſulibus tenentibus *ſecundas* partes. *Singuli verſus notant ſingulos, quorum Suetonius quondam perſcripſit nomina, facta, vitamque & mortem pleno ordine.*

NOTÆ.

1. *Heſperio filio.*] Hujus meminit in carmine undecimo Parentalium, quod eſt de Paſtore nepote ex ipſo Heſperio.

2. *Secundis Conſulibus.*] Sub Cæſaribus quippe Imperatoribus Conſules, qui primas olim in Republicâ partes tenebant, ad ſecundas rejecti, lapſu temporis nomen ſine re obtinuerunt.

Monoſticha de ordine XII. *Imperatorum.*

257 PRimus regalem patefecit JULIUS aulam
Cæſar, & [1] AUGUSTO nomen tranſcripſit, [2] & arcem.

INTERPRETATIO.

Julius Cæſar primus aperuit aulam regiam, & transmiſit Auguſto nomen, & Imperium. Poſt

NOTÆ.

1. *Auguſto nomen tranſcripſit, &c.*] Teſtamento, quo eum heredem ſcripſit, ſororis Juliæ filium.

2. *Et arcem.*] Metaphorice Imperium intellige, ſeu ſummam rerum.

Digitized by Google

Privignus poſt hunc regnat [1] Nero Claudius, à quo
Caius, [2] cognomen Caligæ cui caſtra dederunt.
Claudius hinc potitur regno. Poſt quem Nero ſævus
Ultimus Æneadûm. Poſt hunc tres, nec tribus annis;
Galba ſenex, [3] fruſtra ſocio confiſus inerti:
Mollis Otho, infami per luxum degener ævo:
Nec regno dignus, [4] nec morte Vitellius ut vir.
His decimus, fatoque accitus Vespasianus.
Et Titus imperii felix brevitate. Secutus
[5] Frater, quem Calvum dixit ſua Roma Neronem.

Interpretatio.

hunc Nero Claudius cjus *privignus imperat. Poſt quem Cæſar, cui milites impoſuerunt cognomentum Caligulæ. Deinde Claudius poſſidet imperium. Poſt quem crudelis Nero extremus Æneadûm. Poſt hunc tres* imperarunt *minus tribus annis, ſenex Galba incaſſum fretus ignavo ſocio: Otho effœminatus, degenerans vitâ probroſâ per luxum: Vitellius nec dignus Imperio, nec virili nece. Decimus his, & fato vocatus fuit Veſpaſianus. Et Titus fortunatus quod brevi regnaverit. Excepit eum frater, quem Roma ipſius* urbs *appellavit Calvum Neronem.*

Notæ.

1. *Nero Claudius.*] Tiberius Nero è Claudiorum familiâ, Liviæ Druſillæ & Tiberii Neronis filius: quam Liviam Auguſtus à marito prægnantem abduxit, teſte Suetonio in ejus vitâ & Tacito.

2. *Cognomen Caligæ.*] Cæſar Caligula, à Caligis calceamentis militaribus, cujuſmodi ipſe inter milites educatus utebatur. Sueton. in ejus vitâ: *Caligulæ cognomen caſtrenſi joco traxit: quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Similia Tacitus habet.

3. *Fruſtra ſocio confiſus inerti.*] Piſoni, quem in caſtra perductum pro concione adoptaverat.

4. *Nec morte Vitellius ut vir.*] Vide quæ dicemus infra ad ejus tetraſtichon.

5. *Frater quem Calvum, &c.*] Domitianus de quo Juvenalis ſatira 4.

Quum jam ſemianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus; & Calvo ſerviret Roma Neroni

Tempus imperii XII. *Cæſarum.*

258 Julius, ut perhibent, divus [1] trieteride regnat.
Augustus [2] poſt luſtra decem ſex prorogat annos.
Et [3] ter ſeptenis geminos Nero Claudius addit.
[4] Tertia finit hyems graſſantia tempora Caii.

Interpretatio.

Julius Cæſar imperat, ut ferunt, triennio. Auguſtus producit ſex annos ſupra decem luſtra. Et Claudius Nero adjicit duos poſt ter ſeptem. Tertius annus finem imponit crudeli regno Caii.

Notæ.

1. *Trieteride regnat.*] Ab ἔτος *annus*, eſt τριετηρὶς *trium annorum ſpatium* ſeu *triennium.*

2. *Poſt luſtra decem*] Luſtrum quinque annorum ſpatium complectitur. Decem igitur luſtra quinquaginta anni ſunt.

3. *Ter ſeptenis geminos addit.*] Id eſt, regnat annos viginti-tres.

4. *Tertia hyems.*] Tertius annus. Synecdoche, ut & infra *tertia æſtas.*

CLAUDIUS [1] hebdomadem duplicem trahit : & NERO dirus
Tantumdem : [2] ſummæ Conſul ſed defuit unus.
GALBA ſenex, OTHO laſcive, & famoſe VITELLI,
Tertia vos Latio regnantes neſciit æſtas,
Interitus dignos vita properante probroſa.
Implet fatalem decadem ſibi VESPASIANUS.
[3] Ter dominante TITO cingit nova laurea Janum :
[4] Quindecies, ſævus potitur dum FRATER habenis.

INTERPRETATIO.

Claudius regnat per annos bis ſeptem : & Crudelis Nero per totidem : niſi quod defuit unus annus ſummæ. O vetule Galba, impudice Otho, & infamis Viteli, tertius annus non vidit vos imperantes in Latio, quia vestra vita turpis acceleravit vobis *meritam mortem. Veſpaſianus peragit decennium ſibi deſtinatum à fatis. Imperante Tito nova laurus ter coronat Janum, & quindecies, dum ejus frater crudelis imperat.*

NOTÆ.

1. *Hebdomadem duplicem.*] Quatuordecim annos. Ab *ἑπτὰ ſeptem*, eſt *ἕβδομος ſeptimus*, & *ἑβδομὰς ſeptimana*, & *ſeptenarius numerus.*

2. *Summæ Conſul ſed defuit unus.*] Id eſt tredecim tantum annos regnavit. *Conſul unus* pro uno anno, per metonymiam.

3. *Ter dominante Tito cingit, &c.*] Ex more priſco annos imperii Titi deſcribit. Solebat quippe, cum novus Conſul Kalend. Januarii novum annum aperiret, nova laurea Jani ſtatuæ imponi, vetere demptâ ; unde Sidon. Apollinaris carmine 11.

——Tuque, ô, cui laurea, Jane,
Annua debetur, religa torpore ſoluto
Quavis fronde comas, ſubita nec luce paveſcas
Principis.

Innuit hic Auſonius tertium annum imperii inchoaſſe ſaltem Titum, quem certum eſt non abſolviſſe. De eo ſic Suetonius. *Exceſſit in eâdem, quâ pater villâ, Idibus Septembris, poſt biennium ac menſes duos, dieſque viginti, quam ſucceſſerat patri, altero & quadrageſimo ætatis anno.* Ex quo loco patet non eſſe omnino verum quod hîc ait Auſonius, nec potuiſſe ipſo imperante ter cingi novâ laureâ Janum, cum in imperii ejus tempus geminæ tantum Kalendæ Januariæ inciderint, ut patet Suetonii locum perpendenti.

4. *Quindecies, &c. dum frater.*] Domitianus, qui, ut refert Sueton. *Occiſus eſt XIV. Kal. Octob. anno ætatis quadrageſimo quinto, imperii decimo quinto.*

De mortibus eorum.

259 JULIUS interiit CÆSAR [1] graſſante Senatu.
Addidit AUGUSTUM divis matura ſenectus.
Sera ſenex [2] Capreis exul NERO fata peregit.

INTERPRETATIO.

Julius Cæſar interfectus eſt ſenatu impetum faciente in eum. *Senium provectum adjunxit Auguſtum Diis.* Tiberius *Nero ſenex obiit tardam mortem Capreis*, ubi velut *exul* erat.

NOTÆ.

1. *Graſſante Senatu.*] Senatoribus certè non paucis, in quibus Brutus & Caſſius principes erant.

2. *Capreis.*] Ubi, veluti ſpontaneo exilio relegatus, agebat Tiberius. Capreæ inſula Neapoli vicina.

Exegit pœnas [1] de CÆSARE [2] Chærea mollis.
[3] CLAUDIUS ambiguo concluſit fata veneno.
[4] Matricida NERO [5] proprii vim pertulit enſis.
GALBA ſenex periit, ſævo proſtratus OTHONE.
Mox [6] Otho famoſus, clara ſed morte potitus.
[7] Prodiga ſuccedunt perimendi ſceptra VITELLI.
Laudatum imperium, [8] mors lenis VESPASIANO.
At TITUS, orbis amor, rapitur florentibus annis.
[9] Sera trucem perimunt, ſed juſta piacula, [10] FRATREM.

INTERPRETATIO.

Effœminatus Cherea ſumpſit ſupplicium de Caio *Ceſare. Claudius vitam finiit dubio veneno. Nero matricida ſenſit vim ſui* ipſius *gladii. Senex Galba obiit interfectus ab Othone crudeli. Deinde Otho infamis, exitum tamen habuit illuſtrem. Secutum eſt imperium prodigum Vitellii* violentâ *morte tollendi. Veſpaſianus laudabiliter regnavit, & miti fato conceſſit. Verùm Titus orbis deliciæ, moritur in flore ætatis. Tardum ſed juſtum ſupplicium tollit* ejus *fratrem* orbi *intolerandum.*

NOTÆ.

1. *De Caſare.*] Caio Cæſare Caligulâ.

2. *Cherea mollis.*] Suetonius in Caligulæ vitâ: *Cum placuiſſet Palatinis ludis ſpectaculo egreſſum meridie aggredi, primas ſibi partes Caſſius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depopoſcit: quem Caius ſeniorem jam ut mollem & effœminatum denotare omni probro conſueverat, & modo ſignum petenti, Priapum, aut Venerem dare, &c.*

3. *Claudius ambiguo, &c.*] De hoc ita Sueton. in ejus vitâ: *Et veneno quidem occiſum convenit: ubi autem, & per quem dato, diſcrepat. Quidam tradunt epulanti in arce cum Sacerdotibus, per Halotum ſpadonem prægustatorem; alii domeſtico convivio per ipſam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidiſſimo talium ciborum obtulerat.*

4. *Matricida Nero.*] Quidam *Matriquecida*, male. *Matricida* Auſonianum purum putum eſt, qui ſecundam hujus vocis ſyllabam, poſcente id metro, producere non dubitavit, ut & ſecundam vocis *Parricida* infra in Severo.

Ut parricidæ regna adimat Didii.

5. *Proprii vim pertulit enſis.*] Quidam *proprio ſe perculit enſe* De eo Sueton. *Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat ut vivum eum attraherent. Quod ut ſenſit . . . . ferrum jugulo adegit juvante Epaphrodito à libellis.*

6. *Otho famoſus, clara ſed morte potitus.*] De hoc Sueton. *Poſt hæc ſedata ſiti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, & exploratâ utriuſque acie, cum alterum pulvino ſubdidiſſet, foribus adopertis arctiſſimo ſomno quievit, & circa lucem demum expergefactus uno ſe trajecit ictu infra lævam papillam: irrumpentibuſque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus eſt, &c.* Et infra: *Tanto Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit, &c.* Et poſt: *Per quæ factum putem, ut mors ejus minime congruens vitæ, majori miraculo fuerit.* De eodem Othone noſter: *Fine tamen laudandus erit, &c.*

7. *Prodiga, &c.*] Prodigalitatis, & gulæ notatus eſt vitiis Vitellius. Vide Sueton.

8. *Mors lenis Veſpaſiano.*] Non enim ferro ut plerique Cæſares, ſed alvo uſque ad defectionem ſolutâ extinctus eſt.

9. *Sera.*] Quippe quæ non niſi decimo quinto imperii ejus anno contigerunt.

10. *Fratrem.*] Domitianum.

EJUSDEM AUSONII TETRASTICHA,

à Julio Cæſare uſque ad tempora ſua.

260 NUnc & prædictos, & regni ſorte ſequentes
Expediam, ſeries quos tenet imperii.
[1] Incipiam ab Divo, percurramque ordine cunctos;
Novi Romanæ quos memor hiſtoriæ.

INTERPRETATIO.

Jam perſequar & ſuperius memoratos, & eos qui poſt ipſos *regnarunt, qui ordine numerantur Imperatores. Incipiam à Divo* Julio, *& percurram ex ordine omnes, quos novi recordans hiſtoriam Romanam.*

NOTÆ.

1. *Incipiam ab Divo.*] *Julio Cæſare*, per Antonomaſiam; cæteri enim Cæſares Divi quoque dicti ſunt, ſed poſt illum.

Julius Cæſar. I.

261 IMperium, binis fuerat ſollemne quod olim
[1] Conſulibus, Cæſar Julius obtinuit.
Sed breve jus regni, [2] ſola trieteride geſtum,
Perculit armatæ [3] factio ſæva togæ.

INTERPRETATIO.

Julius Cæſar occupavit ſolus *Imperium, quod quondam ſolebat dividi inter duos Conſules. At crudelis conſpiratio ſenatûs armati deſtruxit breve* ipſius *imperium, adminiſtratum per tres duntaxat annos.*

NOTÆ.

1 *Conſulibus, Cæſar, &c.*] Non tamen Magiſtratum hunc è Rep. ſuſtulit, ſed reliquit ſimulacrum quoddam Conſulatus, & magni nominis umbram; cum ipſe totam ad ſe imperii vim tranſtuliſſet.

2. *Sola trieteride, &c.*] Vide ſupra carmen de tempore imperii duodecim Cæſarum.

3. *Factio ſæva togæ.*] Vide ſupra carmen de mortibus Cæſarum.

Octavius Auguſtus. II.

262 ULtor, ſucceſſorque dehinc Octavius, idem
Cæſar: at [1] Auguſti nomine nobilior.

INTERPRETATIO.

Deinde Octavius fuit *vindex* ejus mortis, *&* ipſius *ſucceſſor, idem Cæſar* quoque ap-

NOTÆ.

1. *Auguſti nomine nobilior.*] Quàm Octavii, aut Cæſaris.

Longæva, & nunquam dubiis violata poteſtas,
In terris poſitum credidit eſſe deum.

INTERPRETATIO.

pellatus: *ſed notior* adhuc *cognomine Auguſti. Poteſtas* ejus *diuturna, & nunquam læſa periculis, perſuaſit* eum *eſſe Deum degentem in terrâ.*

Tiberius Nero. III.

263 PRænomen Tiberî nactus Nero, prima juventæ
Tempora laudato geſſit in imperio.
Fruſtra dehinc ſolo Caprearum clauſus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

INTERPRETATIO.

Nero cui fuit prænomen Tiberius, laudabiliter imperavit primo juventutis tempore. Deinde concluſus in ſpecu ſolitariâ Caprearum, incaſſum putat tegi poſſe *locorum* ſecreto *flagitia quæ ibi profert.*

Caïus Caligula. IV.

264 POſt hunc [1] caſtrenſis caligæ cognomine Cæſar
Succeſſit ſævo ſævior ingenio:
Cædibus, inceſtiſque dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum qui ſuperavit [2] avum.

INTERPRETATIO.

Huic ſucceſſit Cæſar cognominatus à caligâ militari, crudelior crudeli illius *indole: qui* fuit *contaminatus cædibus, & mox inceſtis ſtupris, & vicit* flagitiis *avum omni ſcelere inquinatum.*

NOTÆ.

1. *Caſtrenſis caligæ, &c.*] Vide locum Suetonii ſupra relatum ad Monoſticha de ordine XII Imperatorum.

2. *Avum.*] Tiberium, Germanici Caligulæ patris patruum, eundemque patrem per adoptionem ipſius, juſſu Auguſti factam.

Claudius Cæſar. V.

265 [1] CLaudius [2] irriſæ privato in tempore vitæ,
In regno ſpecimen prodidit [3] ingenii.

INTERPRETATIO.

Claudius qui *deriſus* fuerat *dum privatus viveret, exhibuit ſpecimen indolis* ſuæ *in impe-*

NOTÆ.

1. *Claudius irriſæ, &c.*] Duobus modis legitur, nempe *Claudius irriſus privata in tempore vitæ,* quam lectionem in interpretatione ſequutus ſum; & *Claudius irriſæ privato in tempore vitæ:* quod ſic verti poteſt: *Claudius cujus vita contempta, & deriſa fuit, dum privatus eſſet, &c.* Quod eodem recidit.

2. *Irriſæ, &c.*] De hoc Suetonius: *Mater Antonia portentum eum hominis dictitabat, nec abſolutum à natura, ſed tantum inchoatum: ac ſi quem ſocordiæ argueret, ſtultiorem aiebat filio ſuo Claudio. Avia Auguſta pro deſpectiſſimo ſemper habuit, &c.*

3. *Ingenii.*] Varii quidem, ſed quod cum paucis malis multum haberet boni admixtum.

[1] Libertina tamen, [2] nuptarum & crimina paſſus;
Non faciendo nocens, ſed patiendo fuit.

INTERPRETATIO.

rio. Tolerans tamen ſcelera libertorum, & conjugum, noxius fuit non agendo, ſed tolerando.

NOTÆ.

1. *Libertina.*] Narciſſi præſertim, & Pallantis.

2. *Nuptarum.*] Meſſalinæ, & Agrippinæ. De hoc ſimiliter Suetonius: *His* (libertis,) *ut dixi, uxoribuſque addictus, non principem ſe, ſed miniſtrum egit. Compendio cujuſque horum, vel etiam ſtudio, ac libidine honores, exercitus, immunitates, ſupplicia largitus eſt, & quidem inſciens plerumque, & ignarus, &c.*

Nero. VI.

266 [1] ÆNeadûm generis, qui [2] ſextus & ultimus heres,
[3] Polluit, & [4] clauſit [5] Julia ſacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ.
Diſce ex [6] Tranquillo, quæ [7] meminiſſe piget.

INTERPRETATIO.

Nero qui fuit ſextus & poſtremus heres ſtirpis Æneadûm, inquinavit, & finiit ſacra Julia gentis. Quot nomina pietas Juliorum habuit, *totidem* ipſe *habet vitæ flagitia.* Ea tu *pete ex* Suetonio *Tranquillo; ego enim horreſco memorare.*

NOTÆ.

1. *Æneadûm.*] Gentis Juliæ, quæ ab Iulo Æneæ filio ortum ducere credita eſt.

2. *Sextus.*] Imperator.

3. *Polluit.*] Fœdâ vitâ.

4. *Clauſit.*] Morte violentâ.

5. *Julia ſacra.*] Succeſſionem Juliorum Cæſarum. Metonymiâ adjuncti. Sacra ſua quæque gens habebat, quorum faciendorum onus & impenſa ad heredes una cum hereditate tranſibant. Hinc proverbialiter *hereditatem ſine ſacris* pro lucro ſine onere dicebant. Hinc etiam præclarum illud inventum coemptionalium ſenum ad ſacra extinguenda.

6. *Tranquillo.*] Suetonio in vitâ Neronis.

7. *Quæ meminiſſe.*] Tollius *me meminiſſe* ? bene.

Servius Galba. VII.

267 [1] SPem fruſtrate ſenex, [2] privatus ſceptra mereri
Viſus es; imperio proditus inferior:
Fama tibi melior juveni: ſed juſtior ordo eſt,
Complacuiſſe dehinc, diſplicuiſſe prius.

INTERPRETATIO.

O ſenex qui fefelliſti ſpem Romanorum, dum *privatus* eſſes, *exiſtimatus* es *dignus Imperio: ſed imperando oſtendiſti te imparem* ei eſſe. *Fama* fuiſti *meliore juvenis: at æquior ordo* fuiſſet *diſplicuiſſe primùm*, ac *deinde placuiſſe.*

NOTÆ.

1. *Spem.*] Omnium de te conceptam.

2. *Privatus ſceptra mereri viſus: at imperio, &c.*] Hæc ex Tacito deprompta videri poſſunt. Sic ille lib. 1. Hiſtor. cap. 49. de Galba loquens: *Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit: proconſul Africam moderate, jam ſenior citeriorem Hiſpaniam pari juſtitia continuit; major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax Imperii, niſi imperaſſet.*

Digitized by Google

Marcus Otho. VIII.

268 [1] ÆMula polluto geſturus ſceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
[2] Fine tamen laudandus erit: qui morte decora
[3] Hoc ſolum fecit nobile, quod periit.

INTERPRETATIO.

Otho, qui imperaturus erat ad exemplum ſpurci Neronis, opprimitur ſublatus citâ nece. Laudabilis tamen eſt exitu: qui pulchrè moriens hoc tantum fecit laude dignum, quod mortuus eſt.

NOTÆ.

1. *Æmula, &c. ſceptra Neroni.*] Cui per Libertinam Aulicam inſinuatus, facile ſummum inter amicos locum tenuerat, congruentiâ morum; ut ait Suetonius. *Creditus eſt etiam*, inquit Tacitus, *de celebranda Neronis memoria agitaviſſe, ſpe vulgum alliciendi. Et fuere qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibuſdam diebus populus & miles, tanquam nobilitatem, ac decus aſtruerent,* NERONI OTHONI *acclamavit. Ipſe in ſuſpenſo tenuit, vetandi metu, vel agnoſcendi pudore.*

2. *Fine tamen laudandus.*] Supra in carmine de mortibus Cæſarum:

Mox Otho famoſus, clara ſed morte potitus.

Ad quem locum vide quæ notavi.

3. *Hoc ſolum fecit nobile quod periit.*] De eo Tacitus: *Duobus facinoribus altero flagitioſiſſimo*, (occupatione ſcilicet Imperii,) *altero egregio* (morte ſibi ipſi fortiter illatâ,) *tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ.* Similiter de Sardanapalo Juſtinus: *Victus in Regiam ſe recipit, & ſe, & divitias ſuas in incendium mittit; hoc ſolo imitatus virum.*

Aulus Vitellius. IX.

269 [1] VItæ ut ſors, [2] mors fœda tibi, nec digne Vitelli,
Qui fieres Cæſar: ſic ſibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii: quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non niſi dignus habet.

INTERPRETATIO.

Quemadmodum vita tibi fuit turpis, ita & mors, ô Vitelli, neque dignus eras qui fieret Cæſar. Sic fortuna ludos facere amat Habuiſti *tamen ſolùm brevem umbram Imperii: quia ſæpe indignus* aliquis *accedit ad Imperii honorem*, at illum diu *tenere non niſi dignus* poteſt.

NOTÆ.

1. *Vitæ ut ſors.*] Particulam *ut*, quæ in vulgatis deeſt, ſupplevit Gronovius, quem libenter ſequor.

2. *Mors fœda.*] *Religatis* enim *poſt terga manibus*, ut ait Sueton. *injecto cervicibus laqueo, veſte diſciſſa, ſeminudus in forum tractus eſt, inter magna rerum, verborumque ludibria per totum viæ ſacræ ſpatium, reducto coma capite, ceu noxii ſolent, atque etiam mento mucrone gladii ſubjecto, ut viſendam præberet faciem, neve ſubmitteret: quibuſdam ſtercore, & cœno inceſſentibus, aliis incendiarium & patinarium vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante, &c. Tandem apud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus, atque confectus eſt, & inde unco tractus in Tiberim.*

Divus

Divus Veſpaſianus. X.

270 [1] QUærendi attentus, [2] moderato commodus uſu,
Auget nec reprimit Veſpaſianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam,
[3] Rarum aliis, princeps tranſtulit in melius.

INTERPRETATIO.

Veſpaſianus intentus parandis opibus, *at liberalis in uſu* earum *moderato, accumulat divitias, nec tamen eas retinet. Qui* (*quod rarò* contigit *aliis*) factus *Imperator mutavit in melius famam*, quæ *prius ſuſpecta* erat, *dum privatus eſſet.*

NOTÆ.

1. *Quærendi attentus.*] Sueton. in ejus vitâ: *Sola eſt, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas, &c.*

2. *Moderato commodus uſu.*] Idem Sueton. *Quidam natura cupidiſſimum tradunt, &c. Sunt contra qui opinentur ad manubias, & rapinas neceſſitate compulſum, ſumma ærarii, fiſcique inopia, &c. Quod & veriſimilius videtur, quando & male partis optimo uſus eſt. In omne hominum genus liberaliſſimus, &c.*

3. *Rarum aliis.*] Sic reponit Gronovius pro Vulgato, *Par aliis*; bene meâ quidem ſententiâ. Rarò quippe evenit, ut qui dubiâ famâ privati fuerunt, principes facti famam in melius transferant cum poteſtas ſumma mores malos citò prodat, qui in privato latuerant; quin & eum, qui innocenter prius vixerat, nonnumquam corrumpat voluptatum illecebris & impunitate peccandi. Porrò quod hic de Veſpaſiano dicit Auſonius, de filio ejus Tito dici meritò poſſet. Sic enim de illo Sueton. *Titus, cognomine paterno, amor & deliciæ generis humani, (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis, vel fortunæ ſuperfuit: &, quod difficillimum eſt, in imperio: quando privatus, atque etiam ſub patre Principe ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit,) &c.*

Titus Veſpaſianus. XI.

271 FElix imperio, [1] felix brevitate regendi,
Expers civilis ſanguinis, orbis amor.
[2] Unum dixiſti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

INTERPRETATIO.

O Tite *fortunatus* fuiſti *quod imperaveris, fortunatus quod non diu imperaveris, incontaminatus cruore civium, deliciæ generis humani; dixiſti moriendo te unius* tantum *criminis tibi eſſe conſcium. At nemini credidimus* dicenti hoc *de te, ac ne tibi quidem.*

NOTÆ.

1. *Felix brevitate regendi.*] Quia corrupiſſet fortaſſe mores tuos Imperii diuturnitas, & eo majus reliquiſti civibus tui deſiderium, quod citò eos deſeruiſti.

2. *Unum dixiſti moriens te crimen habere.*] De hoc Suetonius: *Deinde ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum, multumque conqueſtus: Eripi ſibi vitam immerenti: neque enim extare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto dumtaxat uno: id quale fuerit, neque ipſe tunc prodidit, neque cuiquam facile ſuccurrit. Quidam opinantur ꝯconſuetudinem recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuiſſe perſancte Domitia jurabat, haud negatura, ſi qua omnino fuiſſet, immo etiam gloriatura: quod illi promptiſſimum erat in omnibus probris,*

Digitized by Google

Domitianus. XII.

272 HActenus edideras dominos gens, Flavia, juſtos.
Cur [1] duo quæ dederant, [2] tertius eripuit?
Vix tanti eſt habuiſſe illos: quia dona bonorum
Sunt brevia; æternum, quæ nocuere, dolent.

INTERPRETATIO.

O ſtirps Flavia, hucuſque produxeras juſtos Imperatores. Quare tertius abſtulit bona; *quæ duo* priores *dederant? Mallemus penè illos non habuiſſe: quoniam proborum munera facile elabuntur; quæ* autem *noxia fuerunt, perpetuum doloris ſenſum relinquunt.*

NOTÆ.

1. *Duo quæ dederant.*] Veſpaſianus, & Titus.

2. *Tertius.*] Domitianus.

Nerva. XIII.

273 PRoximus extincto moderatur ſceptra tyranno
Nerva ſenex, princeps nomine, [1] mente parens.
Nulla viro ſoboles. Imitatur [2] adoptio prolem,
Quam legiſſe juvet, [3] quam genuiſſe velit.

INTERPRETATIO.

Primus poſt interfectum Tyrannum Imperium regit ſenex Nerva, nomine imperator, animo pater. Nulli ipſi erant *liberi. Adſciſcit ſibi adoptione filium, quem gaudet elegiſſe, & quem vellet procreaſſe.*

NOTÆ.

1. *Mente parens.*] Hunc Dion Caſſius teſtatur ad ſuſtentandam civium vitam decies & quinquagies centena millia nummûm erogaviſſe, & quoſdam ſenatorii ordinis delegiſſe, qui agros emerent, eoſque egenis dividerent. Plin. in Paneg. Nervam appellat Imperatorem, & parentem generis humani.

2. *Adoptio.*] Marci Ulpii Trajani, quem, etſi Hiſpanum genere, & peregrinum, adoptavit, exiſtimans, ut ait idem Dion, virtutem hominis, non genus aut patriam ſpectari oportere.

3. *Quam legiſſe juvet.*] Vide Panegyricum Plinii Secundi Trajano dictum.

Trajanus. XIV.

274 AGgreditur regimen [1] viridi Trajanus in ævo,
[2] Belli laude prior, cetera patris habens.

INTERPRETATIO.

Trajanus ſuſcipit habenas Imperii in flore ætatis, præſtantior patre *gloriâ militari, & ſi-*

NOTÆ.

1. *Viridi in ævo.*] Anno ætatis quadrageſimo ſecundo, teſte Dione.

2. *Belli laude prior.*] Nervâ adoptivo patre.

Digitized by Google

Hic quoque prole carens, [1] ſociat ſibi ſorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

INTERPRETATIO.

milis in reliquis. Hic etiam deſtitutus liberis, adjungit ſibi adoptione principem, *quem fatearis bonum* eſſe, at *neges* ei *eſſe parem.*

NOTÆ.

1. *Sociat ſibi ſorte legendi.*] Non ipſe Hadrianum vivens adoptavit, teſte Dione Caſſio, ſed Cæſarem eum & Imperatorem, cum Trajanus ſine liberis è vita exceſſiſſet, Tatianus municeps ejus, & Cæſaris procurator factione Plotinæ Trajani uxoris, quæ illius amore flagrabat, declaravit. Quæ ficta adoptio ut procederet, mortem Trajani idem Dio narrat aliquot dies occultam fuiſſe & litteris à Trajano ſuper ea re ad ſenatum datis, non ipſum Trajanum qui mortuus jam erat, ſed Plotinam ſubſcripſiſſe, quod in nullo alio antea fecerat. De eodem Hadriano Spartianus: *Nec deſunt*, inquit, *qui factione Plotinæ, mortuo jam Trajano, Hadrianum in adoptionem adſcitum eſſe prodiderint, ſuppoſito qui pro Trajano feſſâ voce loqueretur.*

Ælius Hadrianus. XV.

275 ÆLius hinc ſubiit mediis præſignis in actis:
[1] Principia & finem fama notat gravior.
Orbus & hic: [2] ſociatque virum documenta daturum;
Adſciti quantum præmineant genitis.

INTERPRETATIO.

Inde ſucceſſit Ælius inclytus mediis ſuis *rebus geſtis: initia, & finis laborant famâ ſiniſteriore. Hic quoque caret liberis, & adſciſcit* ſibi *virum oſtenſurum, quantùm filii adoptati præſtent procreatis.*

NOTÆ.

1. *Principia & finem fama notat gravior.*] Quippe invîſum illum omnibus, ut teſtatur Dion Caſſius, cædes fecerant, initio ejus imperii, & ſub ejus mortem juſſu ipſius patratæ, velut injuſte, & impie occiſorum: quanquam naturâ minimè ſævus eſſet.

2. *Sociatque virum.*] Antoninum Pium, de quo extat ipſius Hadriani apud Senatorum primores honorificentiſſima prædicatio apud Dionem in extremâ ejus vitâ.

Antoninus Pius. XVI.

276 ANtoninus abhinc regimen capit: ille vocatu
Conſultiſque [1] PIUS, nomen habens meriti.

INTERPRETATIO.

Deinde Antoninus gubernaculum Imperii *ſumit: ille dictus eſt nomine, & conſiliis Pius,*

NOTÆ.

1. *Pius, nomen habens meriti*] Jul. Capitolinus in Antonini hujus vitâ: *Pius cognominatus eſt à ſenatu; vel quod ſocerum feſſa jam ætate manu, præſente ſenatu, levaverit, vel quod eos quos Hadrianus per malam valetudinem occidi juſſerat, reſervavit, vel quod Hadriano contra omnium ſtudia, poſt mortem infinitos atque immenſos honores decrevit, vel quod cum ſe Hadrianus interimere vellet, ingenti cuſtodia, & diligentia fecit, ne id poſſet admittere, vel quod vere natura clementiſſimus, & nihil temporibus ſuis aſperum fecit.*

Digitized by Google

Filius huic fato nullus : ſed [1] lege ſuorum
[2] A patria ſumpſit, qui regeret patriam.

INTERPRETATIO.

vocabulo moribus ſuis *digne. Nullum ei filium fortuna indulſit :* verum *ex præſcripto eorum in quorum familiam tranſierat, cepit è* medio *patria* ſinu ſucceſſorem, *qui patriam gubernaret.*

NOTÆ.

1. *Lege ſuorum.*] Legem intellige ſub quâ adoptatus eſt. De quâ Julius Capitolinus : *Adoptionis lex hujuſmodi data eſt : ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita ſibi ille adoptaret M. Antoninum fratris uxoris ſuæ filium, & L. Verum Ælii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui poſtea Verus Antoninus eſt dictus.*

2. *A patria ſumpſit, &c.*] Sic Galba apud Tacitum, Piſonem adoptans : *Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit, ego in republica:* Plin. in Panegyrico : *An Senatus Populique R. exercitus, provincias, ſocios tranſmiſſurus uni, ſucceſſorem è ſinu uxoris accipias? ſummæque poteſtatis heredem tantum intra domum tuam quæras? Non per totam civitatem circumferas oculos? Et hunc tibi proximum, hunc conjunctiſſimum exiſtimes, quem optimum, quem Diis ſimillimum inveneris? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus.*

Marcus Antoninus. XVII.

277 POſt Marco tutela datur; [1] qui ſcita Platonis
Flexit ad imperium, [2] patre PIO [3] melior,
Succeſſore ſuo moriens, ſed principe pravo,
Hoc ſolo patriæ, [4] quod genuit, nocuit.

INTERPRETATIO.

Inde regimen Imperii *committitur Marco ; qui tranſtulit placita Platonis ad artem regnandi, melior* ipſo *Pio patre* ſuo. *Cum obiit relicto herede ſuo, ſed malo principe, hac tantum re læſit patriam, quod* filium *genuit.*

NOTÆ.

1. *Qui ſcita Platonis flexit ad imperium.*] Dicebat ſcilicet Plato beatas fore Reſpublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet. Id Marcus re comprobavit. Philoſophiæ enim, maxime Stoicæ, per totam vitam deditus, Imperium ſanctè juxtà, ac feliciter geſſit, & nomen Philoſophi eſt adeptus.

2. *Patre Pio.*] Antonino Pio, à quo, Hadriani juſſu, fuerat adoptatus.

3. *Melior.*] Jul. Capit. de eo : *Cum in amore omnium imperaſſet, atque ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut cujuſque ætas ſinebat, & diceretur, & amaretur; octavo decimo anno imperii ſui, ſexageſimo & primo, vita diem ultimum clauſit. Tantuſque illius amor eo die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum cenſuerit, certis omnibus quod à Diis commodatus, ad Deos rediſſet.*

4. *Quod genuit, nocuit.*] Idem Julius Capitolinus in ejus vita : *Hic ſane vir tantus, & talis, ac Diis vitâ & morte conjunctus, filium Commodum dereliquit : qui, ſi felix fuiſſet, filium non reliquiſſet.* Crediderunt tamen plerique Commodum alterius quam Antonini Imperatoris filium, ex adulterio Fauſtinæ Auguſtæ, ut mox innuet ipſe Auſonius in Commodo.

Digitized by Google

Commodus. XVIII.

278 COmmodus inſequitur, [1] pugnis maculoſus harenæ,
[2] Threcidico princeps bella movens gladio.
[3] Eliſo tandem perſolvens gutture pœnas,
Criminibus [4] faſſus matris adulterium.

INTERPRETATIO.

Sequitur Commodus, contaminatus certaminibus harenæ, Imperator pugnans enſe gladiatorio. Luit tandem ſupplicium faucibus conſtrictis, cum flagitiis ſuis probaſſet ſe *ex adulterio matris* genitum.

NOTÆ.

1. *Pugnis maculoſus harenæ.*] De eo Ælius Lampridius : *Amazonius autem vocatus eſt ex amore concubinæ ſuæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat : propter quam & ipſe Amazonico habitu in harenam Romanam procedere voluit. Gladiatorum etiam certamen ſubiit, & nomina gladiatorum recepit eo gaudio, quaſi acciperet triumphalia. Ludum ſemper ingreſſus eſt : & quoties ingrederetur, publicis monumentis indi juſſit. Pugnaſſe autem dicitur ſeptingenties tricies quinquies.*

2. *Threcidico.*] Vel ut legunt alii *Threïcio*, hoc eſt, gladiatorio. Notum qui in harena *Thraces*, qui *Mirmillones*. Emphaſis eſt indignativa in his vocibus *Threcidico*, & *Princeps* ſimul collatis.

3. *Eliſo tandem, &c.*) De Commodi morte ſic Lamprid. *His incitati, licet nimis ſero, Q. Ælius Lætus præfectus, & Martia concubina ejus, ineunt conjurationem ad occidendum eum. Primum ei venenum dederunt, quod cum minus operaretur, per athletam, cum quo exerceri ſolebat, eum ſtrangulaverunt.*

4. *Faſſus matris adulterium.*) Jul. Capitolinus in vitâ M Antonini Philoſophi : *Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum : ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & nauticas, & gladiatorias elegiſſe, &c. Quodquidem*, ut ſuperius dicit idem, *veriſimile ex eo habetur, quod tam ſancti Principis filius his moribus fuit, quibus nullus laniſta, nullus ſcenicus, nullus harenarius, nullus poſtremo ex omnium dedecorum ac ſcelerum colluvione concretus.*

Helvius Pertinax. XIX.

279 HElvi, judicio [1] & conſulto lecte ſenatus,
Princeps decretis prodite, non ſtudiis.
Quod doluit [2] malefida cohors; errore probato,
Curia quod caſtris ceſſerat imperio.

INTERPRETATIO.

O Helvi, electus es *judicio & decreto ſenatûs, & renuntiatus Imperator* ſenatus-*conſultis, non favore* militum. *Quod* quidem *infida cohors graviter tulit* ; atque ejus *peccatum inultum manſit, quoniam ſenatus imperio ceſſerat militibus.*

NOTÆ.

1. *Et conſulto lecte ſenatus.*] Jul. Capitolinus in ejus vitâ : *Statim ergo omnis magiſtratus cum conſule ad curiam venerunt, ingreſſumque Pertinacem nocte Imperatorem appellaverunt*, &c. Et infra : *Suſcipere ſe etiam Imperium à ſenatu dixit, quod jam ſponte inierat.*

2. *Male fida cohors.*] Trecenti illi milites, qui adverſus Pertinacem incitati à Læto Præf. Prætorio & iis quos Pertinacis ſanctimonia offenderat, de caſtris armati ad Imperatorias ædes cuneo facto venerunt, & Pertinacem interfecerunt, ut narrat idem Capitolinus.

Didius Julianus. XX.

280 DIi bene, quod [1] ſpoliis Didius non gaudet opimis:
Et [2] cito perjuro præmia adempta ſeni.
Tuque Severe pater, titulum ne horreſce novantis.
Non rapit imperium vis tua, ſed recipit.

INTERPRETATIO.

Dii bene providerunt, *quod Didius non fruitur ſpoliis opimis:* & quòd *brevi erepta eſt perfido ſeni merces* ſui criminis *Et tu ò Pater Severe, ne reformides nomen molientis res novas. Vis quam ei infers non invadit Imperium, ſed recipit* ab invaſore.

NOTÆ.

1. *Spoliis non gaudet opimis.*] Imperio Pertinaci detracto. *Erat interea in odio populi Didius Julianus* (inquit Spartianus in ejus vita,) *ob hoc quod creditum fuerat emendationem temporum Commodi Pertinacis auctoritate reparandam: habebaturque ita, quaſi Juliani conſilio eſſet Pertinax interemptus.* Id tamen refellit idem Spartianus.

2. *Cito periuro, &c*] Ut enim habet idem Spartianus, vixit annis quinquaginta ſex, menſibus quatuor. Imperavit tantum menſibus duobus, diebus quinque.

Severus Pertinax. XXI.

281 IMpiger, [1] egelido [2] movet arma Severus ab Hiſtro,
Ut [3] parricidæ regna adimat Didio.
[4] Punica origo illi: ſed qui virtute probaret
[5] Non obſtare locum, quum valet ingenium.

INTERPRETATIO.

Severus citò accurrit armatus à frigido Danubio, ut Imperium auferat Didio parricidæ. Ortus erat Carthagine: at oſtendebat virtute ſuâ, patriam non nocere, cum vis bonæ *indolis prævalet.*

NOTÆ.

1. *Egelido.*] Vox hæc ſæpius tepidum ſonat, ut apud Catullum, *Jam vere gelidos refert tepores.* Sic etiam *edurus* non valde durus. At ejuſmodi vocabulis ſæpe utuntur ad augendam ſimplicis ſignificationem; ut *edurus* ſit *valde durus*, quemadmodum agnoſcit Servius ad hunc Georgic. verſum,

Eduramque pyrum, & ſpinos jam pruna ferentes.

Sic etiam apud Ovidium lib. 3. de arte amandi:

Sed neque te facilem juveni promitte roganti,
Nec tamen edurè quod petit ille, nega.

Hoc poſteriori modo hic accipiendum *Egelidus*, de Hiſtro amne, qui ſæpe, concretus gelu, tergo ferratos ſuſtinet orbes. Quemadmodum etiam Servius exponit ad hunc verſum lib. 8. Æneid.

Ut procul egelido ſecretum littore vidit.

Hoc eſt, inquit Servius, *valde frigido.*

2. *Movet arma Severus ab Hiſtro.*] Ab Illyrico cui præerat. Spartianus in Didio Juliano: *Ergo Peſcennius Niger in Syria, Septimius Severus in Illyrico, cum exercitibus quibus præſidebant, à Juliano deſcivere, &c.* Illyricum occidentale à ſeptentrione, orientale per medium alluebat Hiſter ſeu Danubius.

3. *Parricidæ.*] Secundam hujus vocis, metri neceſſitate, producit: quod ſupra in *Matricida* obſervavimus. Parricidam appellat Didium, opinionem eorum ſecutus, qui exiſtimabant ejus conſilio interfectum fuiſſe Pertinacem. Qui, cum Pater patriæ eſſet appellatus, non potuerat ſine Parricidio occidi.

4. *Punica origo.*] Spartianus: *Interfecto Didio Juliano; Severus Africa oriundus, imperium obtinuit: cui civitas Leptis, &c.*

5. *Non obſtare locum.*] Juxta illud Juvenalis.

Digitized by Google

NOTÆ.

Magnos ſæpe viros, & magna exempla daturos
Vervecum in patria craſſoque ſub aëre naſci.

Apuleius in Apologiâ: *Non ubi prognatus, ſed uti moratus quiſque ſit, ſpectandum: nec qua regione, ſed qua ratione vitam vivere inierit, conſiderandum eſt.*

Baſſianus Antoninus Caracalla. XXII.

282 Diſſimilis virtute [1] patri, & multo magis [2] illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes.
[3] Fratris morte nocens, [4] punitus ſine cruento,
In riſu populi [5] tu Caracalla magis.

INTERPRETATIO.

Degeneraſti à virtute patris, & longè plus ab illius virtute, *cujus nomine aſſumpto te jactas. Pollutus nece fraternâ, punitus morte violentâ, tu melius* appellatus es *joco populi Caracalla*, quam appellabaris Antoninus.

NOTÆ.

1. *Patri.*] Severo Pertinaci.

2. *Illi cujus adoptivo, &c.*] Antonino Pio, cujus nomen filiis Baſſiano & Getæ à Patre hac de cauſa inditum Spartianus narrat in Antonino Getâ. *Septimius*, inquit, *Severus quodam tempore, cum conſuluiſſet ac petiiſſet, ut ſibi indicaretur, quo eſſet ſucceſſore moriturus; in ſomnis vidit Antoninum ſibi ſucceſſurum. Quare ſtatim ad milites proceſſit, & Baſſianum filium majorem natu M. Aurelium Antoninum appellavit, quod cum feciſſet, paterna cogitatione, vel, ut quidam dicunt, à Julia uxore commonitus, quæ gnara erat ſomnii, quod minori filio hoc facto ipſe intercluſiſſet aditum imperandi, etiam Getam minorem filium Antoninum vocari juſſit, &c. Sed nihil valuit patris, matriſve cautio: nam ſolus ille ſucceſſit, qui primus Antonini nomen accepit.* Facit ad hunc locum, quod idem Spartianus in Severo ait: *Legiſſe me apud Ælium Maurum Phlegontis Traliani libertum memini, Septimium Severum immoderatiſſimè cum moreretur lætatum, quod duos Antoninos pari imperio reip. relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipublicæ reliquit, &c. Sed illum multum ſpes feſellit. Nam unum, parricidium; alterum, ſui mores reipublicæ inviderunt: ſanctumque illud nomen in nullo diu bene manſit.*

3. *Fratris morte nocens.*] Getæ Antonini, quem, ut ait Spartianus, ſtatim poſt patris mortem, inſimulatum inſidiarum contra ſe cogitatarum, parricidiali etiam figmento interemit: & matrem ejus Juliam, novercam ſuam, uxorem duxit.

4. *Punitus ſine cruento.*] Inſidiis Macrini Præfecti Prætorio occiſus, medio itinere inter Carras & Edeſſam, cum levandæ veſicæ gratiâ ex equo deſcendiſſet, ut teſtatur Spartianus in ejus vitâ.

5. *Tu Caracalla magis.*] Quàm *Antoninus.* De hoc ejus nomine Spartianus in ejus vitâ: *Ipſe Caracallæ nomen accepit, à veſtimento, quod populo dederat, demiſſo ad talos uſque: quod ante non fuerat: unde hodieque Antonianæ dicuntur Caracallæ hujuſmodi, in uſu maximè Romanæ plebis frequentatæ.*

Opilius Macrinus. XXIII.

283 [1] PRincipis hinc cuſtos, ſumptum pro Cæſare ferrum
[2] Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
[3] Mox, [4] cum prole [5] ruit. Gravibus pulſare querelis
Ceſſet perfidiam. Quæ patitur, meruit.

INTERPRETATIO.

Deinde Macrinus cuſtos Imperatoris, ignavus convertit cæde in ipſum Cæſarem, gladium quem pro ipſo ceperat. Paulo poſt cadit cum filio. Deſinat gravibus querimoniis incuſare perfidiam: dignus eſt iis malis *quibus afficitur.*

NOTÆ.

1. *Principis hinc cuſtos.*] Præfectus ſcilicet Prætorio Antonini Caracallæ Macrinus erat.

2. *Vertit in auctorem.*] Ipſum Caracallam, cujus juſſu, auctoritate, ac ſacramento arma gerebat; *quem tamen* ut habet Julius Capitolinus in Macrino, *interemit tanta fictione, ut ab eo non videretur occiſus. Nam ſtratore ejus redempto, & ſpe ingenti propoſita, id egit, ut quaſi militaribus inſidiis. quod vel ob parricidium vel inceſtum diſpliceret, interemptum diceretur.*

3. *Mox*] Anno & amplius poſt Caracallæ cædem. Tamdiu enim imperavit, teſte Capitolino, Macrinus.

4. *Cum prole.*] Diadumeno filio, quem Antoninum appellarat, & Cæſarem dixerat.

5. *Ruit.*] A militibus, in Antoninum Heliogabalum inclinantibus, deſertus & occiſus in vico Bithyniæ.

Antoninus Heliogabalus. XXIV.

284 TUne etiam Auguſtæ ſedis penetralia fœdas,
[2] Antoninorum [3] nomina falſa gerens?
* * * * * * * * * * * *
Reliqua deſiderantur.

INTERPRETATIO.

An tu quoque inquinas domus Auguſtæ penetralia, aſſumptis falſo nominibus Antoninorum? *

NOTÆ.

1. *Antoninus Heliogabalus.*] Occiſo Macrino, ejuſque filio Diadumeno, in Varium Heliogabalum imperium collatum eſt idcirco, quod Baſſiani filius diceretur. *Fuit autem*, inquit Lampridius, *Heliogabali vel Jovis vel Solis* (ſolem fuiſſe Heliogabalum, vel Alagabalum, dictum apud Aſſyrios, ex inſcriptionibus variis conſtat) *Sacerdos, atque Antonini ſibi nomen adſciverat, vel in argumentum generis, vel quod id nomen uſque adeo charum eſſe cognoverat gentibus, ut etiam parricida Baſſianus cauſa nominis amaretur. Et hic quidem prius dictus eſt Varius, poſt Heliogabalus à Sacerdotio Dei Heliogabali, cui templum Romæ in eo loco conſtituit, in quo prius ædes Horci fuit, quem è Syria ſecum adduxit, &c. Antonino autem Caracallo ſtupro cognita* (mater ejus) *ita ut hinc vel Varius, vel Heliogabalus vulgo conceptus putaretur. Et aiunt quidam Varii etiam nomen idcirco eidem inditum à condiſcipulis, quod vario ſemine, de meretrice ut pote, conceptus videretur.* A Varia aviâ ejus dictum fuiſſe Varium magis crediderim. Hujus tam ſpurca vita fuit, ut meritò incipiat Auſonius per Apoſtrophen indignationis plenam, *Tune etiam, &c.*

2. *Antoninorum nomina, &c.*] Hic ultimus Antoninorum fuit, *quorum*, ut Lampridii verbis utar, *ſanctiſſimum nomen polluit.*

3. *Nomina falſa gerens.*] Quia neque genere, neque adoptione, neque moribus erat Antoninus. Duo poſteriores verſus hujus Tetraſtichi, cum inſequentium Principum Tetraſtichis carminibus deſiderantur.

AUSONII

AUSONII
BURDIGALENSIS
ORDO NOBILIUM URBIUM.

Roma. I.

285 PRIMA urbes inter, [1] Divûm domus, aurea Roma.

INTERPRETATIO.

Prima inter omnes *urbes* eſt *Roma ſplendida*, *domicilium Deorum*.

NOTÆ.

1. *Divûm domus.*] Ob varias Deorum Ædes totâ urbe, ſed maxime ob Capitolium, totum Diis refertum.

Conſtantinopolis & Carthago. II.

286 COnſtantinopoli [1] aſſurgit Carthago priori,
Non toto ceſſura gradu: quia tertia dici
Faſtidit, non auſa locum ſperare ſecundum,
Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia præfert,
Hanc [2] fortuna recens. [3] Fuit hæc, [4] ſubit iſta; noviſque
Excellens meritis, veterem [5] præſtringit honorem:

INTERPRETATIO.

Carthago cedit Conſtantinopoli ſe priori, *non omnino* tamen *loco deceſſura: quoniam reſpuit appellari tertia*, quanquam *non audeat ſperare ſecundum gradum*, *qui fuit utriuſque. Opes antiquæ anteponunt Carthaginem*, *nova fortuna Conſtantinopolim. Illa fuit*, *hæc incipit eſſe: & præſtans meritis recentibus*, *obſcurat illius antiquum decus: & cogit Didonem cedere Conſ.*

NOTÆ.

1. *Aſſurgit.*] *Honorem defert.* Metaphora ducta ab hominum more, apud quos, qui inferioris ordinis ſunt, præſtantioribus tranſeuntibus honoris cauſâ aſſurgunt.

2. *Fortuna recens.*] Quod, ſedes Imperii Orientis facta, terrarum dominationem cum Roma diviſiſſet.

3. *Fuit hæc.*] Carthago Romæ quondam æmula.

4. *Subit iſta.*] Conſtantinopolis, Conſtantini magni urbs, Bizantium ante dicta.

5. *Præſtringit.*] Id eſt *delibat*, & *decerpit*. Quidam legunt *præſtinguit*, quod eſſet *obſcurat*, *& extinguit*.

Et [1] Conſtantino concedere cogit [2] Eliſſam.
Accuſat Carthago Deos jam plena pudoris,
Nunc quoque ſi cedat, [3] Romam vix paſſa priorem.
Componat veſtros fortuna antiqua tumores.
Ite pares, tandem memores, quod numine divûm
Anguſtas mutaſtis opes & nomina : tu quùm
[4] Byzantina Lygos, tu Punica [5] Byrſa fuiſti.

INTERPRETATIO.

tantino. Carthago queritur de Diis ſuffuſa rubore, ſi nunc etiam cedat Conſtantinopoli, *cum vix tulerit* olim *Romam* eſſe *ſe priorem. Priſtina* veſtra *fortuna ſedet* altercationes ortas *ex veſtrâ ſuperbiâ. Incedite pari* gradu, *recordantes demum, vos olim mutaviſſe tenues opes & nomina voluntate Deorum : quandoquidem tu* Conſtantinopolis *fuiſti Lygos Byzantina, tu* Carthago fuiſti *Byrſa Tyria.*

NOTÆ.

1. *Conſtantino.*] Conditori Conſtantinopolis.

2. *Eliſſam.*] Didonem fundatricem Carthaginis.

3. *Romam vix paſſa priorem.*] *Carthago*, inquit Mela, *nunc Pop. Romani colonia, olim imperii ejus pertinax æmula.*

4. *Byzantina Lygos.*] Plin. l. 4. Nat. Hiſt. cap. 11. *Promontorium Chryſoceras, in quo oppidum Byzantium liberæ conditionis, antea Lygos dictum.*

5. *Byrſa fuiſti.*] Virgil. lib. 1. Æneid.
Devenere locos ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem.
Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.

Ubi Servius : *βύρσα Græcè Latinè corrigia dicitur.* Donatus Punicâ quoque linguâ *Burſali corium* eſſe affirmat.

Antiochia & Alexandria. III.

287 TErtia [1] Phœbeæ lauri domus [2] Antiochia,
Vellet [3] Alexandri ſi quarta colonia poni.

INTERPRETATIO.

Antiochia ſedes Laurûs Apollineæ eſſet tertia, ſi colonia Alexandri vellet numerari quarta.

NOTÆ.

1. *Phœbea lauri domus.*] Abundabat ſcilicet lauro tota Antiochena regio; ſed celebris in primis Daphne fuit, oppidum ab Antiochiâ quinque paſſuum millibus diſtans, *amœnum & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum*, ut appellat Ammianus. Cujus, ut voluptarii loci, meminere ſcriptores permulti. In his Julius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho: *Et Verus quidem*, inquit, *poſteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, armiſque ſe gladiatoriis, & venatibus exercuit, &c.* Vulcatius in Avidio Caſſio : *Nec fefellit de ſe iudicium habitum. Nam ſtatim & ad ſigna edici juſſit, & programma in parietibus fixit, ut ſi quis cinctus inveniretur apud Daphnen, diſcinctus rediret.* Lucus ibi fuit ex lauro & cupreſſu, amœniſſimus fontanis aquis irriguus, ambitûs decem millia paſſuum, & in ejus medio fanum Apollinis & Dianæ cum aſylo, ut teſtatur Strabo libro decimo ſexto Geographiæ.

2. *Antiochia.*] Ἀντιοχείας per ει diphthongum. Unde *Antiochia*, & *Antiochéa.* Hæc caput erat Syriæ, à Seleuco Nicatore condita, & *Antiochi* ejus patris nomine *Antiochia* appellata, ut *Seleucia* ab ipſo, *Apamea* ab ejus uxore *Apamâ*, & Laodicea à matris ejus nomine, conditæ omnes ab ipſo Seleuco urbes.

3. *Alexandri colonia.*] Alexandria Ægypti clariſſima urbs, ab Alexandro Magno condita.

Ambarum [1] locus unus : & has furor ambitionis
[2] In certamen agit vitiorum. [3] Turbida vulgo
Utraque, & amentis populi male ſana tumultu.
[4] Hæc Nilo munita quod eſt, penituſque repoſtis
Inſinuata locis, fecunda, & tuta ſuperbit.
[5] Illa quod infidis opponitur æmula Perſis.
Et vos ite pares : [6] Macetûmque attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit : [7] illa [8] Seleucum
Nuncupat. [9] Ingenuum cujus fuit anchora ſignum,

INTERPRETATIO.

Idem gradus eſt *utriuſque : atque eas furor ambitionis impellit ut contendant vitiis. Ambæ ut plurimum turbulentæ, & furentes ſeditione plebis inſana. Hæc ſuperba eſt quia eſt defenſa Nilo, & ſita in receſſu interiore, abundans* frumento, *& ſecura. Illa quia objicitur adverſaria perfidis Perſis. Vos quoque incedite pari* gradu : *& evehite nomen Macedonum. Alexander Magnus te exſtruxit : illa nominat* ſuum conditorem *Seleucum. Cujus congenitum ſignum fuit an-*

NOTÆ.

1. *Locus unus.*] Tertius de quo contendunt, ut Conſtantinopoleos, & Carthaginis fuit ſecundus.

2. *In certamen agit vitiorum.*] Interpungendum poſt vocem *vitiorum*, ut fiat ſenſus apertus.

3. *Turbida vulgo utraque, & amentis populi, &c.*] De Antiochenorum contumaciâ, & pravis moribus videndus Herodianus lib. 2. & Julianus in Miſopogone, quem librum in eos ſcripſit. Sic de eo Ammianus lib. 22. *Quo circa in eos* (Antiochenos) *deinceps ſæviens, ut obtrectatores, & contumaces, volumen compoſuit invectivum, quod Antiochenſe, vel Miſopogonem appellavit, probra civitatis infenſa mente dinumerans.* Extant apud Scriptores Antiochenarum ſeditionum exempla non pauca; atque, inter cæteras, illius quâ in Theodoſium Magnum incenſus ille populus, ipſius & Æliæ Flavillæ ſtatuas evertit ac traxit per vicos : apud Theodoretum lib. 5. cap. 19. Sozomenum lib. 7. cap. 23. & Joannem Chryſoſtomum in Homiliâ ad populum Antioch. De Alexandriâ vero Hadrianus Imp. in Saturnino Vopiſci : *Et utinam melius morata eſſet civitas, digna profecto, quæ pro ſui profunditate, totius Ægypti teneat principatum.* De Ægyptiis Trebellius in Æmiliano : *Et hoc familiare eſt populo Ægyptiorum, ut velut furioſi ac dementes, de levibus quibuſque ad ſumma reip. pericula perducantur. Sæpe illi ob neglectas ſalutationes, locum in balneis non conceſſum, carnem & olera ſequeſtrata, calceamenta ſervilia, & cætera talia, ad ſummum reip. periculum ſeditionibus, ita ut armarentur contra eos exercitus, pervenerunt.*

4. *Hæc Nilo, &c.*] Alexandria ad unum ex Nili oſtiis ſita.

5. *Illa.*] Antiochia ubi præſidia vulgo Romani habebant adverſus Perſarum incurſiones.

6. *Macetûmque.*] Id eſt Macedonum. *Macetia* Macedonia eſt. A. Gellius lib. 9. cap. 3. *Philippus Amyntæ, terræ Maceticæ Rex, cujus virtute induſtriaque Macetæ locupletiſſimo imperio aucti, gentium nationumque multarum potiri cœperant.* Heſychius : Μακετία ἡ Μακεδονία.

7. *Illa.*] Antiochia.

8. *Seleucum.*] Nicatorem.

9. *Ingenuum cujus fuit anchora ſignum.*] Mirè illuſtrat hunc locum & totum hoc epigramma id quod habet Juſtinus lib. 15. *Seleuci & virtus clara, & origo admirabilis fuit. Siquidem mater ejus Laodice, cum nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi duces viro, viſa eſt ſibi per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe, gravidamque factam, munus concubitûs annulum à Deo accepiſſe, in cujus gemma anchora ſculpta eſſet; juſſamque id donum filio, quem peperiſſet dare. Admirabilem fecit hunc viſum & annulus, qui poſtera die ejuſdem ſcalpturæ in lecto inventus eſt, & figura an-*

(Qualis [1] inuſta ſolet) generis nota certa, per omnem
Nam ſobolis ſeriem [2] nativa cucurrit imago.

INTERPRETATIO.

chora, nota certa ſtirpis Seleucidarum, *qualis* eſſe *ſolet qua* ferro *inuritur. Ingenuum enim* illud *ſignum propagatum eſt per totum ordinem poſterorum.*

NOTÆ.

chora, qua in femore Seleuci nata cum ipſo parvulo fuit. Quamobrem Laodice annulum Seleuco, eunti cum Alexandro Magno ad Perſicam militiam, edocto de origine ſua, dedit. Ubi poſt mortem Alexandri occupato regno Orientis, urbem condidit; ibique geminæ originis memoriam conſecravit. Nam & urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos urbi Apollini dedicavit. Originis ejus argumentum etiam poſteris manſit. Siquidem filii, nepoteſque ejus anchoram in femore velutі notam generis naturalem habuere.

1. *Inuſta.*] Pecudibus.

2. *Nativa cucurrit imago.*] Quod dixit ſupra *Ingenuum ſignum*, anchoræ ſcilicet. M. Paulus Venetus lib. 1. cap. 14. tradit famam fuiſſe, Georgianorum reges cum ſigno Aquilæ ſupra humerum antiquitus naſci.

Treveri. IV.

288 ARmipotens dudum celebrari Gallia geſtit:
[1] Trevericæque urbis ſolium, [2] quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio ſecura quieſcit:
Imperii vires quod alit, quod veſtit & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua [3] omnigenæ vectans commercia terræ.

INTERPRETATIO.

Gallia potens bello jam diu avet memorari: & thronus urbis treverica, quæ quanquam ſita prope Rhenum, requieſcit tuta velut in ſinu mediæ pacis: quoniam nutrit, induit, & armis inſtruit copias Imperii Romani. *Muri* ejus *ampli extenduntur per longum clivum. Latus Moſella fluit ante illam placido fluento, vehens omnis generis merces remotarum regionum.*

NOTÆ.

1. *Trevericæque urbis ſolium.*] Ptolomæus & Mela *Auguſtam* vocant Trevirorum urbem à noſtratibus hodie *Treves* & Germanis *Trier* appellatam. Galliæ Belgicæ urbs eſt, Imperatorum non paucorum ſedes, ob Germaniæ viciniam, ab *iis* electa. Unde Auſonius *ſolium Treverica urbis* dicit. Ad Moſellam ſita eſt. In Veſpaſiani nummo Col. Aug. Pat. Treviror. vocatur. Vide plura de Treviris *infra* in Moſella.

2. *Qua proxima Rheno, Pacis ut in media, &c.*] Heinſius & Tollius reponunt ex veteri libro: *Pacis ut in dia, &c.* Nihil mutandum. Senſus hujus loci planus eſt. Scilicet; Auguſtam Treviorum, quanquam prope Rhenum & Germanos ſita eſſet, unde bella & incurſiones Barbarorum creberrimæ *in* populi Rom. provincias fiebant, tamen æque ſecuram & quietam eſſe, ac ſi *in* mediæ pacis gremio, hoc eſt in medio Imperii Romani eſſet, multis undique protecta provinciis & arcibus Romanis: propterea quod alebat, & armabat copias, quas ibi Romani Imperatores adverſus Germanorum incurſiones paratas ſemper habebant.

3. *Omnigena terræ.*] Galliæ præſertim & Germaniæ. Vix enim ab Oceano naves adverſo Rheno, ob curſus ejus rapiditatem, in Moſellam deduci poſſint.

Mediolanum. V.

289 ET [1] Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia [2] & mores læti. Tum duplice muro
Amplificata [3] loci ſpecies, populique voluptas
[4] Circus, & incluſi [5] moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, [6] opulenſque Moneta,
Et [7] regio Herculei celebris ſub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata [8] periſtyla ſignis,
Mœniaque in valli formam [9] circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: [10] nec juncta premit vicinia Romæ.

INTERPRETATIO.

Apud Mediolanum quoque omnia ſunt *admirabilia. Abundantia rerum* omnium, *domus innumerabiles, & elegantes, ingenia hominum nata ad eloquentiam, & mores hilares. Praterea aucta amplitudo urbis gemino muro, & circus, & ingens theatrum cinctum* undique, & diſtributum *in cuneos, oblectamentum populi: delubra, & arces Palatina, & dives Moneta, & locus clarus ſub nomine balnei Herculei, & omnia periſtylia decorata ſtatuis marmoreis, & muri cincti foſſâ in modum valli. Quæ omnia tanquam* inter ſe *certantia ingenti ſpecie operum eminent: neque propinquitas Romæ vicina* ea *deprimit.*

NOTÆ.

1. *Mediolani.*] Civitas eſt Inſubrium, hodie *Milan*, à Gallis Tranſalpinis olim condita. *Qui*, ut ait Livius lib. 5. cap. 34. *Per Taurinos, ſaltuſque Julia Alpis tranſcenderunt: fuſiſque acie Thuſcis haud procul Ticino flumine, cum, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum: ibi omen ſequentes loci condidere urbem: Mediolanum appellarunt.* Hujus meminit Strabo lib. 5. meminit & alterius Mediolani in Santonibus libro quarto.

2. *Et mores læti.*] Sic ex Voſſiano codice legit Tollius. Alii habent: *antiqui mores.* Quod non diſplicet. Antiqui mores ſunt probi & frugi, quales antiquorum.

3. *Loci ſpecies.*] Totum id quod conſpicitur, tota amplitudo urbis.

4. *Circus.*] Ad venationes, & aurigationes.

5. *Moles cuneata.*] Diſtributa in cuneos. Cunei in Theatro ſunt ſpatia ſedilium inter ſcalas exituum, quos *vomitoria* dictos apud Vitruvium reperio, comprehenſa. Quæ quoniam latiora circa ſummum, coarctantur orcheſtram verſus, cunei dicuntur à figurâ ſuâ. Hinc *excuneare*, pro *ejicere è theatri ſedilibus.*

6. *Opulenſque Moneta.*] Templum Monetæ Deæ, & locus ubi Moneta cudebatur. *Opulens* dixit pro *opulentus*, ut & in Epicedio patris.

Non opulens, nec egens: parcus ſine ſordibus egi.

7. *Regio Herculei.*] *Balnea Herculea* regio Mediolani. Sub tutelâ Herculis fuiſſe Mediolanum, ex variis inſcriptionibus Mediolanenſibus obſervat Scaliger.

8. *Periſtyla*] Quæ & periſtylia. Περιστύλια loca ſunt columnis circumdata à στύλος *columna.*

9. *Circumdata labro.*] *Labrum*, præter vulgatam labri ſignificationem, *cupam* ſignificat. At hic nihil aliud eſt, quam foſſa prætenta muro.

10. *Nec juncta premit, &c.*] Comparatione ſcilicet operum, magnificentiæque, quæ aliam de plebe urbem obſcuraret.

Capua. VI.

[1] Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore ſilebo;
Fortuna variante vices, quæ freta ſecundis,
Neſcivit ſervare modum. Nunc ſubdita Romæ,
Æmula tunc. Fidei memor, an ne infida, Senatum
Sperneret, an coleret dubitans, [2] ſperare curules
Campanis auſa auſpiciis, unoque ſuorum
Conſule: ut imperium diviſi attolleret orbis.
Quinetiam rerum dominam, Latiique parentem,
Appetiit bello: [3] ducibus non freta togatis.
Hannibalis jurata armis; deceptaque [4] in hoſtis
Servitium demens ſpecie tranſivit herili.
Mox ut in occaſum vitiis communibus acti
[5] Corruerunt Pœni luxu, Campania faſtu,
(Heu nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem!)

Interpretatio.

Neque tacebo Capuam quondam *valentem navali gloriâ, elegantiâ, abundantiâ cibariorum, voluptatibus, divitiis & priſcâ laude; quæ fato mutante vices, cum fideret proſperis rebus, non potuit ſervare moderationem. Nunc ſubjecta Romæ, tunc rivalis* ejus. *Cum ambigeret ſervaretne, fidem, an violaret contemneretne ſenatum, an veneraretur, auſa eſt ſperare* ſellas *curules auſpiciis Campanis, & uno ex ſuis* civibus facto *Conſule*: ita *ut erigeret* apud ſe *Imperium orbis* in duas partes *ſciſſi. Quin & aggreſſa eſt bello* urbem *dominatricem orbis, & matrem Latii: nixa Imperatoribus non Italis. Adacta ſacramento in partes Annibalis; & deluſa migravit ſtulta in ſervitutem hoſtis colore dominandi. Dein poſtquam in ruinam præcipites venerunt impulſi pariter vitiis ſuis Carthaginienſes luxu, Campani ſuperbiâ (heu quam faſtus num-*

Notæ.

1. *Nec Capuam.*] De hujus nomine ſic Livius lib. 4. cap. 37. *Peregrina res, ſed memoria digna traditur eo anno facta. Vulturnum Hetruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam. Capuamque ab duce eorum Capye, vel (quod propius vero eſt) à Campeſtri agro appellatam.*

2. *Sperare curules, &c. Unoque ſuorum Conſule.*] De hac re Livius lib. 23. cap. 6. *Poſtremo vicit ſententia plurium, ut iidem legati qui ad conſulem Romanum ierant, ad Annibalem mitterentur. Quo priuſquam iretur, certumque defectionis conſilium eſſet, Romam legatos miſſos à Campanis, in quibuſdam annalibus invenio, poſtulantes, ut alter Conſul Campanus fieret, ſi rem Romanam adjuvari vellent. Indignatione orta ſummoveri à curia juſſos eſſe, miſſumque lictorem, qui ex urbe educeret eos, atque eo die manere extra fines Romanos juberet.*

3. *Ducibus non freta togatis.*] Quales erant Itali, ſed externis, Pœnis ſcilicet, & Annibale.

4. *In hoſtis ſervitium demens, &c.*] Hinc Magius cum duceretur in caſtra Annibalis vinctus, ad circumfuſam undique multitudinem vociferabatur apud Livium lib. 23. cap. 10. *Habetis eam libertatem Campani, quam petiſtis, foro medio, luce clara, videntibus vobis, nulli Campanorum ſecundus, vinctus ad mortem rapior. Quid violentius Capua capta fieret? Ite obviam Annibali, exornate urbem, diemque adventus ejus conſecrate, ut hunc triumphum de cive veſtro ſpectetis.*

5. *Corruerunt Pœni luxu, Campania faſtu.*] Sic omnino legendum cum Lipſio,

Illa potens, opibuſque valens, Roma altera quondam,
[1] Comere quæ paribus potuit faſtigia conis,
Octavum rejecta locum vix penè tuetur.

INTERPRETATIO.

quam habuit firmum ſitum.) *Illa* urbs *potentiâ & divitiis pollens*, quæ *olim* erat *altera Roma, qua potuit ornare caput pari apice, rejecta in octavum locum, fere* illum *ægrè retinet.*

NOTÆ.

1. *Comere qua paribus, &c.*] Metaphora à galeis petita, è quarum conis jubæ ſolebant pendere, magis minuſve pulcræ & magnificæ, pro ducum, qui iis utebantur, dignitate.

Aquileia. VII.

291 [1] NOn erat iſte locus: [2] merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras [3] Aquileia cieberis urbes,
[4] Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus & portu celeberrima: ſed magis illud
Eminet, extremo quod te ſub tempore legit,
Solveret [5] exacto cui ſera piacula luſtro
[6] Maximus, armigeri quondam ſub nomine lixæ.

INTERPRETATIO.

Non hic erat tuus *locus: nihilominus ô Aquileia illuſtrata novo merito, vocaberis nona inter urbes inclytas,* tu quæ *colonia* es *Latina oppoſita montibus Ilyrici, valdè decantata ob* tuos *muros & ob tuum portum: ſed hac re magis excellis, quod Maximus, qui olim fuerat lixa armiger, elegit te in fine vitæ ſuæ, ubi abſoluto quinquennio lueret tardum ſupplicium* ſuæ tyran-

NOTÆ.

1. *Non erat iſte locus.*] Ut nona celebrareris.

2. *Merito tamen aucta recenti.*] Quod in eâ obſeſſus, captus, atque occiſus fuit à Theodoſio, Tyrannus Clemens Maximus, Gratiani Imperatoris Auſonii noſtri diſcipuli interfector.

3. *Aquileia.*] Urbs, Plinio, in Venetiâ decimâ regione Italiæ, à mari Adriatico duodecim millia paſſuum diſtans. Strabo ponit eam extra Venetiam. Clara fuit Auſonii ætate. Annis autem circiter ſexaginta poſt, ab Attila Hunnorum rege immani illo Dei flagello, capta ac deleta eſt.

4. *Itala.*] Latina, non autem Romana. Livius lib. 39. cap. 55. *Illud agitabant, uti colonia Aquileiam deduceretur. Nec ſatis conſtabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret. Poſtremo Latinam potius coloniam deducendam Patres cenſuerunt. Triumviri* (huic deducendæ) *creati ſunt P. Scipio Naſica, Caius Flaminius, L. Manlius Acidinus.* Deducta fuit ad annum ab urbe conditâ quingenteſimum & ſeptuageſimum tertium.

5. *Exacto cui ſera piacula luſtro.*] Piacula ſcilicet occupatæ tyrannidis, & interfecti Gratiani optimi Principis. Hæc autem piacula *ſera* appellat, quia punitum eum ſtatim oportuiſſet, non autem per quinquennium ſceleris ſui mercede frui, Imperio ſcilicet Occidentis, quod occiſo Gratiano, & fugato Valentiniano invaſerat.

6. *Maximus armigeri quondam ſub nomine lixæ.*] De Maximo in eandem ſententiam loquitur Latinus Pacatus Depranius in Panegyrico ad Theodoſium: *An ſuſtinere te coram, & ſolum oculorum tuorum ferre conjectum ille quondam domus tua negligentiſſimus*

Felix quæ tanti ſpectatrix læta triumphi,
Puniſti [1] Auſonio [2] Rutupinum marte latronem.

INTERPRETATIO.

nidis. *Fortunata, quæ læta ſpectatrix tanti triumphi, ulta es prædonem Britannicum Italo bellatore.*

NOTÆ.

vernulæ menſularumque ſervilium ſtatarius lixa potuiſſet? Amboex affectione animi. Cæterum Maximus ille vir erat, ut hiſtorici ferunt, ſtrenuus, & probus, atque Auguſto dignus, niſi contra ſacramenti fidem per tyrannidem emerſiſſet.

1. *Auſonio marte.*] Armis Theodoſii Romani Imperatoris.

2. *Rutupinum latronem.*] Maximum. De voce *Rutupinum*, vide quæ dixi ad hunc verſum carminis 7. Parentalium.

Contentum, tellus quem Rutupina tegit.

Sext. Aurelius Victor in Epitome in vita Gratian. *Dum exercitum negligeret* (Gratianus) *& paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, anteferret veteri, ac Romano militi, adeoque Barbarorum comitatu, & propè amicitia capitur, ut nonnumquam eodem habitu iter faceret, odia contra ſe militum excitavit. Hoc tempore cum Maximus apud Britanniam tyrannidem arripuiſſet, & in Galliam tranſmiſiſſet, ab infenſis Gratiano legionibus exceptus Gratianum fugavit, nec mora, extinxit.*

Arelas. VIII.

292 PAnde, [1] duplex Arelate, tuos blanda hoſpita portus,
[2] Gallula Roma Arelas: [3] quam Narbo Martius, [4] & quam
Accolit [5] Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis [6] Rhodani ſic interciſa fluentis,

INTERPRETATIO.

O Arelas, gemina urbs, *aperi tuos portus comis hoſpita, Arelas* quæ es *parva Roma Gallica: quæ habes* ab unâ parte *Narbonem Martium*, ab alterâ *Viennam potentem habitatam ab Alpinis* populis. *Sic interſecta undis Rhodani celerrimè fluentis, ut facias mediam pla-*

NOTÆ.

1. *Duplex Arelate.*] Olim quidem duplex, dum duas haberet partes, unam in Orientali Rhodani ripâ Italiam ſpectante (quæ hodie ſola ſupereſt;) alteram in alterâ ripâ, in inſulâ quam Rhodani oſtia efficiunt. Atque hæc ſive à Barbaris Gothis deſtructa, ſive ipſo temporis lapſu conſumpta eſt: utramque jungebat pons de quo infra.

2. *Gallula Roma Arelas.*] In quâ revera propter Emporii celebritatem,& opportunitatem, Flavius Conſtantinus, tyrannus ille, qui Honorii & Arcadii tempore Imperator in Britanniâ fuit renuntiatus, ſedem imperii ſui poſtea fixit, ſanxitque Conſtantinam urbem vocari;prætereaque, ut in eâ ſeptem provinciarum conventus agerentur, ſcilicet Viennenſis, utriuſque Narbonenſis, utriuſque Aquitaniæ, Novempopulaniæ, & Alpium Maritimarum: ut ex Conſtantini illius conſtitutione patet, quam Scaliger à Fr. Roaldo acceptam edidit in notis ad Auſonium, atque Imperium illud inde *Septimania* eſt appellatum.

3. *Quam Narbo Martius.*] Meridiem verſus.

4. *Et quam accolit Vienna.*] A Septentrione.

5. *Alpinis opulenta Vienna colonis.*] Hæc Allobrogum erat Metropolis Alpinorum populorum, juris quondam Italici. De eâ carm. 4. Parentalium:

——— *Quaque potentes*
Æduos, Alpino quaque Vienna jugo.

6. *Rhodani ſic interciſa fluentis.*] Tunc qui-

Ut

Digitized by Google

ta y 'acias [1] navali ponte plateam.
Per quen Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes : populoſque alios, & mœnia ditas :
Gallia quis fruitur, gremioque Aquitania [2] lato.

Interpretatio.

team ponte è navibus facto. *Per quem excipis commercium Romani imperii, & tranſmittis: & locupletas alios populos, & alias urbes: quas Gallia, & Aquitania amplo ſinu complectitur.*

Notæ.

dem, ut ſupra dixi, unde *duplex Arelate* dicitur ſupra.

1. *Navali ponte.*] Hujus pontis meminit Athalaricus Rex in quâdam epiſtolâ ad Senatum urbis Romæ, cujus hæc verba refert Scaliger : *Arelate eſt civitas ſupra undas Rhodani conſtituta, quæ in orientis proſpectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorſa tranſmittit.*

2. *Lato.*] alii *læto*, id eſt *fertili.*

Emerita. IX.

293 [1] CLara mihi poſt has memorabere [2] nomen Iberum
Emerita, [3] æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces.
[4] Corduba non, non arce potens tibi [5] Tarraco certat,

Interpretatio.

O Emerita inclyta civitas Hiſpana celebraberis à me poſt illas. tu *quam fluvius præterfluit in mare uſque currens*, tu *cui univerſa Hiſpania defert imperium. Corduba non contendit tecum*,

Notæ.

1. *Clara.*] Sic ex veteris lectionis veſtigiis, quæ habebat *cara*, reponit Tollius, quem in interpretatione ſequutus ſum. Vulgatæ editiones habent *jure mihi*, &c.

2. *Nomen Iberum Emerita.*] Civitas fuit in Luſitaniâ, hodie oppidulum *Merida* dictum. Appellata eſt *Auguſta Emerita* teſte Dione lib. 53. & Iſidoro lib. 15. Etymol. propterea quod cùm Auguſtus Cæſar Cantabris, Aſturibus, Luſitaniſque ſubactis, veteranos & *Emeritos* milites in Hiſpaniâ dimiſiſſet, hanc illi urbem in Luſitaniâ condiderunt, & ab Auguſto *Auguſtam*, ab Emeritis *Emeritam* appellarunt. *Nomen Iberum* eſt hîc nihil aliud quàm gens, aut civitas Hiſpana; ut infra in Narbone *Tectoſagos, paganica nomina, Volcas* ſic alio in loco : *Ioniæ populos, & nomen Achæum*; ſic paſſim apud Livium : *Nomen Latinum* pro gente Latinâ. *Iberi*, à fluvio *Ibero*, dicti ſunt Hiſpani.

3. *Æquoreus amnis*] Anas, ad quem ſita eſt Emerita, nunc *Guadiana* dictus. Appellat hunc *æquoreum*, quia in mare uſque fluit nomine ſervato. De Emeritâ, & Anâ fluvio, ad quem ſita eſt, Prudentius in Eulaliâ Virgine Martyre :

Nunc locus Emerita eſt tumulo
Clara colonia Vettoniæ : (nomen hoc erat regionis illius)
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lavat.

4. *Corduba.*] Bœticæ Hiſpaniæ urbs, *Cordoua* nunc Hiſpanis, Lucani & utriuſque Senecæ patria.

5. *Tarraco.*] Urbs celeberrima ad mare Mediterraneum, quæ Hiſpaniæ Tarraconenſi nomen fecit. Hodie *Tarragona*, in Catalauniâ.

Digitized by Google

Quæque ſinu pelagi jactat ſe [1] Bracara dives.

INTERPRETATIO.

neque Tarraco pollens arce ſuâ, *nec Bracara opulenta, quæ ſuperbit* propinquo *Oceano.*

NOTÆ.

1. *Bracara dives.*] Tunc quidem; ſed à Gothis Barbaris poſtea deleta, oſtendit tantum fodientibus magnitudinis ſuæ priſtinæ monumenta aliquot, propè urbem *Bragam* hodie dictam, in magnæ illius Bracaræ ſuburbio exſtructam in Portugalliâ. *Auguſta* quoque titulo, ſicut & Emerita inſignita fuit. Cum autem dicit Auſonius eam ſinu pelagi ſe jactare, non ſic intelligendum eſt, quaſi ipſa ad mare fuerit, à quo milliaribus non paucis diſtabat; ſed quia ager ejus ad mare uſque pertinebat, in cujus littore portum habuerunt. Gentem illam Appianus in Hiſpanicis Βρακάριους appellat, qui Ptolemæo ſunt Βρακάριοι.

Athenæ. X.

294 Nunc & [1] terrigenis patribus memoremus Athenas,
[2] Pallados & Conſi quondam certaminis arcem.
Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ.
Attica facundæ cujus mera gloria linguæ.

INTERPRETATIO.

Jam celebremus Athenas, quarum conditores indigenæ fuerunt, olim arcem contentionis Minervæ, & Neptuni. In quâ civitate *nata eſt primum arbor olea pacifica. Cui laus elegan-*

NOTÆ.

1. *Terrigenis patribus.*] Mallet Turnebus, *Nunc e terrigenis.* Sed mutare nil opus eſt. Videtur poëta ſpectare vetus illud commentum, quo terram Atticam hominem primò genuiſſe fabulati ſunt, neque ex adventitiâ paſſimque collectâ populi colluvie, ſed terrigenas Athenienſes eſſe, eóſque *Autochthonas* appellari. Vide Platonem in Menexeno, Lucianum in Philopſeude, Apulei. in Metam. In cujus originis argumentum, patrio more, Cicadas in ſeriem aureas capite geſtabant Athenienſes: quod tangit Thucyd. operis initio, Virgiliuſque in Ciri. Cicadæ autem quo pacto è terrâ oriantur, præter Ariſtot. indicat Plato in Sympoſio. *In terram*, inquit, *ſpargentes ſemina, cicadarum inſtar, concipiebant atque generabant.*

2. *Pallados & Conſi, &c.*] Conſus apud Romanos appellatus eſt Neptunus, qui & Equeſter vocatus eſt, teſte Livio. A quo dicta Conſualia, ludi Circenſes, qui, & Magni, & Romani. Conſum autem à conſilio dictum innuunt D. Auguſtinus, D. Cyprianus, & Arnobius, quod ab eo Romulus conſilium de rapiendis Sabinis accepiſſet. De hoc Deo Servius ad lib. 8. Æneid. *Conſus Deus conſiliorum, qui ideò templum ſubtecto in Circo habet, ut oſtendatur tectum debere eſſe conſilium, &c. Ideò autem dicato Conſi ſimulachro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu conſilium; unde etiam in ejus honorem Circenſes celebrantur.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 2. Conſum, ſeu Neptunum illum Arcanorum Deum diſtinguere videtur à Neptuno Jovis fratre terræ quaſſatore. Vide plura apud Gyraldum de Diis gentium ſyntagmate 5. De Neptuni autem, & Palladis, ſuper nominandis Athenis, certamine fabula ſic habet. Conditis Athenis cum Neptunus & Minerva, ſeu Pallas, de illarum nomine contenderent, *placuit Diis*, (ait Servius ad lib. 1. Georg.) *ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius obtuliſſet. Tunc Neptunus, percuſſo littore, equum animal bellis aptum produxit: Minerva jacta haſta olivam creavit: quæ res eſt melior comprobata, ut pacis inſigne.* Itaque Pallas quæ Ἀθήνη dicitur, *Athenas* de ſuo appellavit nomine.

Digitized by Google

[1] Unde per Ioniæ populos & nomen Achæum,
[2] Verſa Graja manus, [3] centum ſe effudit in urbes.

INTERPRETATIO.

tis ſermonis Attici tota debetur. *Ex quâ turba Græcorum effuſa per gentes Ionicas, & populos Achaïæ, diſperſit ſe in centum civitates.*

NOTÆ.

1. *Unde per Ioniæ populos & nomen Achæum.*] Iones & Achæi, ab Ione & Achæo dicti ſunt, quorum pater Xuthus, mater vero una è filiabus Erechthei Athenarum regis. De Ionum & Achæorum coloniis videndi Herodotus, Pauſanias in Achaïcis, & Strabo lib. 8. ſub finem.

2. *Verſa Graia manus.*] Poſterior ſyllaba vocis *verſa* producitur ob ſequentem mutam cum liquidâ initio vocis *Graia*.

3. *Centum ſe effudit in urbes.*] Ex his coloniis ſunt Epheſus, Miletus, Colophon, Priene, Clazomenæ, &c. in Aſiâ minore.

Catina & Syracuſæ. XI.

QUis [1] Catinam ſileat? quis [2] quadruplices Syracuſas?
[3] Hanc [4] ambuſtorum fratrum pietate celebrem,

INTERPRETATIO.

Quis taceat Catinam? quis taceat *Syracuſas in quatuor* partes *diviſam* urbem? *Catinam cla-*

NOTÆ.

1. *Catinam.*] Siciliæ urbem ad mare ſitam, non procul ab Ætnæ montis radicibus. Hodie *Catanea*, Græcis Κατάνη apud Strabonem.

2. *Quadruplices Syracuſas.*] Cicero accuſationis in Verrem l. 4. qui eſt de Signis: *Urbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium ſæpe audiſtis, &c. Ea tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur. Quarum una eſt ea, quam dixi, inſula, quæ duobus portubus cincta, in utriuſque portus oſtium aditumque projecta eſt, &c. Altera autem eſt urbs Syracuſis, cui nomen Acradina eſt, in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, &c. Tertia eſt urbs, quæ, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tycha nominata eſt, &c. Quarta autem eſt urbs, quæ, quia poſtrema ædificata eſt, Neapolis nominatur, &c.* Πεντάπολιν, hoc eſt, quinque urbium fuiſſe Syracuſas ante Pompeium ſolus, quod ſciam, Strabo affirmat lib. Geogr. 6.

3. *Hanc.*] Catinam.

4. *Ambuſtorum fratrum.*] Amphinomi, & Anapiæ, de quorum facto Strabo lib. 6. ſic ſcribit: Ὑπέρκειται δὲ μάλιστα τῆς Κατάνης ἡ Αἴτνη, καὶ τῶν περὶ τοὺς κρατῆρας παθῶν πλεῖστον κοινωνεῖ, καὶ γὰρ οἱ ῥύακες εἰς τὴν Καταναίαν ἐγγυτάτω καταφέρονται· καὶ τὰ περὶ τοὺς εὐσεβεῖς ἐκεῖ τεθρύληται τὸν Ἀμφίνομον, καὶ τὸν Ἀναπίαν, οἳ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι διέσωσαν ἐπιφερομένου τοῦ κακοῦ. Hoc eſt: *Maxime Cataneæ ſuperimminet mons Ætna, & urbs illa partem eorum potiſſimum capit, quæ Crateres Ætnæ efficiunt. Nam & ignis qui ex Ætna evomitur fluxu ſuo proxime in Cataneum agrum devolvitur: & facinus priorum filiorum Amphinomi, & Anapiæ, qui ingruente iſto malo parentes ſuos humeris ſublatos eripuerunt, iſti loco aſſignatur.* De hoc facto certamen Syracuſas inter & Catinam eſſe teſtatur Solinus. Polyhiſt. cap. 11. *Inter Catinam*, inquit, *& Syracuſas certamen eſt de illuſtrium fratrum memoria, quorum nomina ſibi diverſæ partes adoptant. Si Catinenſes audiamus, Anapias fuit, & Amphinomus: ſi quod malunt Syracuſæ; Æmanthiam putabimus, & Critonem. Catinenſis tamen regio cauſam dedit facto, in quam ſe cum incendia Ætnæ protuliſſent, juvenes duo ſublatos parentes evexerunt inter flam-*

[1] Illam complexam miracula [2] fontis & [3] amnis.
[4] Quà maris Ionii ſubter vada ſalſa meantes
Conſociant dulces placita ſibi ſede liquores,
[5] Incorruptarum miſcentes oſcula aquarum.

INTERPRETATIO.

ram pietate fratrum ſemiuſtulatorum, Syracuſas verò urbem *quæ continet admiranda fontis & fluvii.* In *quâ illi tranſeuntes ſub undis ſalſis Ionii Pelagi conjungunt ſuaves ſuas aquas in loco ſibi dilecto, permiſcentes oſcula aquarum* ſuarum *adhuc ſincerarum.*

NOTÆ.

mas illæſi ignibus. Horum memoriam ita poſteritas munerata eſt, ut ſepulchri locus nominaretur campus piorum. Horum meminerunt præter Claudianum epigrammate 35. Severum in *Ætna*, Val. Max. lib. 5. cap. 4. Pauſaniam in Phocicis, & Martialem, D. Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei c. 31. Photius ex Procopio, Apuleius de mundo.

1. *Illam.*] Syracuſas.

2. *Fontis.*] Arethuſæ, qui fons in Ortygiâ Syracuſarum inſulâ manat.

3. *Amnis.*] Alphei, Pelleponneſi fluminis, cujus aquas ſub Ionio mari in fontem uſque Arethuſam fluere marinis impermixtas fabulati ſunt, argumentum rei afferentes pateram quandam apud Olympiam in Alpheum prolapſam, ad fontem Arethuſam fuiſſe delatam. Tum fontem illum turbidum fieri, quando Olympiæ boves ſacrificantur, ut refert Strabo. Quem commentum illud commemorantem, & refellentem, vide lib. 6. De Alphei & Arethuſæ amoribus, & Nymphæ hujus in fontem converſione vide Ovid. Metam. lib. 5.

4. *Quà maris.*] Legitur vulgò quàm, ſine ſenſu. Error ex geminatâ prima litterâ vocis *maris* ortus eſt.

5. *Incorruptarum.*] Salſuginis marinæ expertium.

Toloſa. XII.

296 NOn unquam [1] altricem noſtri reticebo Toloſam,
Coctilibus muris quam circuit [2] ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna:
Innumeris cultam populis, confinia propter

INTERPRETATIO.

Numquam prætermittam Toloſam meam nutricem, quam magnus circuitus mœnium ambit ex lateribus *coctis* extructorum, *& juxta quam Garumna præfluit claro fluento: habitatam*

NOTÆ.

1. *Altricem noſtri.*] Dum apud Æmilium Magnum Arborium avunculum educaretur, ut ex carmine 3. Parentalium intelligere licet; ubi hæc inter cætera:

Qui me lactantem, puerum, juvenemque, virumque
Artibus ornaſti, quas didiciſſe juvat.
Te ſibi Palladiæ antetulit toga docta Toloſa &c.

2. *Ambitus ingens.*] Et nunc ingens, at tunc ingentior, ut pote quam urbem Auſonius in Epiſtolâ ad Paulinum quintuplicem appellat, ſive quòd ex quinque diſtinctis regionibus & quaſi urbibus conſtaret, quâ ratione Syracuſas ſupra dixit quadruplices; ſive quòd, ut ait infra, quadruplices ex ſe urbes effudiſſet Toloſa, quæ cum ipſâ quinque efficerent.

Ninguida [1] Pyrenes, & pinea [2] Cæbennarum,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.
Quæ modo [3] quadruplices ex ſe quum effuderit urbes,
Non ulla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis:
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

INTERPRETATIO.

ab innumerabili populo, ob viciniam Pyrenæi montis *nive operti, & Cæbennarum pinu conſitarum*, poſitam *inter populos Aquitaniæ, & gentes Hiſpanas. Quæ cum nuper emiſerit ex ſe ipſa quatuor urbes, nullum* tamen *percipit damnum exhauſti populi* ſui : *cum contineat* adhuc *ſinu incolas omnes quos procreavit.*

NOTÆ.

1. *Pyrenes.*] Noti montis, Hiſpaniarum & Galliæ limitis, cujus nomen ab igne qui πῦρ eſt Græcis deductum tradit Diodorus Siculus lib. 6. propterea quod, igne à paſtoribus forte injecto, tota ea regio montana, ubi plurimæ ſylvæ ſunt, continuis aliquot annis deflagraſſet. Alii quidam fabulati ſunt ſic dictum montem à Pyrene quâdam Bebrycis, regionis illius Regis, filiâ.

2. *Cæbennarum.*] Hodie *les Cevenes* mons eſt, Cæſari *Gebenna*, ſi nihil librarii peccaverunt, dictus, Arvernos ab Helviis dividens. *Cemmenus* etiam, Κέμμενος, Ptolomæo, & Straboni.

3. *Quadruplices, &c.*] Quænam ſint illæ quatuor Toloſatium coloniæ, ignotum omnibus putat Vinetus. Suſpicor ego nihil aliud innuere hic Auſonium niſi ad veterem Toloſam, abundante civium multitudine, adjectas fuiſſe lapſu temporis regiones quatuor, quæ, urbes veluti diſtinctæ totidem, ſua quoque diſtincta habuerint nomina, quemadmodum Syracuſis uſu veniſſe ex Tullio ſuprà oſtendimus. Atque hæ quidem ſive regiones, ſive urbes quatuor cum vetere unam tantum efficiebant, ſed quintuplicem, ut appellat eam in Epiſtolâ ad Paulinum, & quæ, nulla exhauſtæ ſentiens diſpendia plebis, quos genuerat cunctos gremio colonos complectebatur.

Narbo. XIII.

297 NEc tu [1] Martie Narbo ſilebere: nomine cujus
Fuſa per immenſum quondam [2] Provincia regnum,

INTERPRETATIO.

Neque tu taceberis, ô Narbo Martie : cujus nomine appellata *Provincia extenſa olim per*

NOTÆ.

1. *Martie Narbo.*] Vinetus à decima legione cujus milites Narbonem condiderunt, *Martium* appellatum fuiſſe putat, & eam legionem, nullo tamen auctore, *Martiam* quoque dici potuiſſe ait. Ego *Martium Narbonem* dictum certè exiſtimo ab altero Conſulum ſub quibus Colonia Narbo deducta primum eſt. Is fuit Q. Martius Rex. Sic enim Velleius Paterculus lib. 1. *Narbo autem Martius in Gallia M. Porcio, Q. Martio Coſſ. ab hinc annos circiter CLIII. deducta colonia eſt.* Et Eutropius lib. 4. *Marco Portio Catone, & Q. Martio Rege Conſulibus (DCXXX. anno & tertio ab urbe condita) Narbona in Gallia Colonia deducta eſt.* Deduxit Lucius Licinius Craſſus Orator adhuc adoleſcens, ut teſtatur Cicero l. de Claris Oratoribus. Deducta iterum Colonia Narbonem eſt Julio Cæſare dictatore. Deduxit Tiberii Cæſaris Pater, teſte Suetonio in Tiberio. Ex qua deductione Narbo non tantum *Martius*, appellatus eſt, ſed etiam *Colonia Julia Paterna*, ut puto, à *Julio Cæſare Patre Patriæ*, cujus juſſu fuerat deducta.

2. *Provincia.*] Gallia Narbonenſis.

[1] Obtinuit multos dominandi jure colonos.
Inſinuant qua ſe [2] Sequanis [3] Allobroges oris:
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi:
Qua rapitur præceps Rhodanus [4] genitore Lemanno,
Interiuſque premunt Aquitanica rura [5] Cebennæ,
[6] Uſque in Tectoſagos primævo nomine Volcas,
Totum Narbo fuit. [7] Tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio Proconſule faſces.
Quis memoret [8] portuſque tuos, monteſque, lacuſque?
Quis populos vario diſcrimine veſtis, & oris?
Quodque tibi quondam [9] Pario de marmore templum

Interpretatio.

regnum ingens, habuit ſub ditione ſuâ *multos incolas. Quâ* parte *Allobroges junguntur regioni Sequanicæ:* & quâ *juga Alpium ſeparant regionem Italam* à Gallicâ: & *quâ Hiſpani* ab eâdem Galliâ *dividuntur Pyrenæis* montibus *nivoſis: quâ celer Rhodanus ortus è Lemano* lacu, *decurrit, & quâ Cebenna mons imminet interius arvis Aquitanicis, in Tectoſagos uſque veteri appellatione Volcas* dictos, id *omne fuit* Gallia *Narbonenſis. Tu prima Gallica provincia populi Romani faſces erigis* ſub *Proconſule Romano. Quis dicat portus tuos, & montes, & lacus? Quis* dicat *gentes* tuas *diverſas* inter ſe *veſtitu & linguâ? & delubrum quod habebas olim*

Notæ.

1. *Obtinuit multos colonos.*] Hi erant, ut mox fines eorum deſcribit Auſonius, qui hodie, Sabaudi, Delphinates, Provinciales, & Linguadochi, ſeu Occitani, appellantur.

2. *Sequanis.*] Primam, quam hic corripit, ſyllabam, Lucanus, Martialis, aliique producunt.

3. *Allobroges.*] Delphinatûs, & Sabaudiæ partem hi obtinebant.

4. *Genitore Lemanno.*] Supra Lemanum lacum ex Alpibus ortus Rhodanus, per medium ipſum decurrit Lugdunum. Non igitur oritur *genitore Lemano.* Aquarum tamen ſuarum ab ipſo partem ſumit maximam. Unde ipſo genitore fluere dici poteſt.

5. *Cebennæ.*] De his montibus ſuperiori carmine.

6. *Uſque in Tectoſagos primævo nomine Volcas.*] Hanc lectionem ſecutus ſum in interpretatione. Alii *Paganaque nomina*, unde alii *Paganica nomina.* Quod probat Tollius, & interpretatur *Paganas gentes*, id eſt *per Pagos diviſas.* Amplectere quod magis arriſerit. *Volcæ* porrò appellati ſunt qui regionem illam habitabant quam hodie *Languedoc* apellamus. Fueruntque in duplici differentiâ, *Volcæ Tectoſages*, ſeu, ut noſter habet, *Tectoſagi:* & *Volcæ Arecomici*, ut habet Cæſar, vel *Aricomii* Ἀ᾽ρεκόμιοι ut Ptolemæus. *Tectoſages*, de quibus hic Auſonius, partes tenebant Galliæ Narbonenſis ad occidentem maximè ſpectantes. Et eorum urbes ex Ptolemæo erant Iliberis, Ruſcino, Toloſa Colonia, Ceſſero, Carcaſo, Bætiræ, Narbo Colonia. *Volcæ Arecomici* poſt hos erant uſque ad Rhodanum fluvium. Et eorum urbes mediterraneæ Vindomagus, Nemauſus Colonia.

7. *Tu Gallia Prima togati Nominis, &c.*] unde *Provincia* per Antonomaſiam dicta eſt. Quod nomen illa ejus pars retinuit, quam hodie *Provence* dicimus. Fuit Proconſularis ut hinc patet.

8. *Portuſque tuos.*] Galliam Narbonenſem hic alloquitur, non Narbonem ſolùm. Præcipui hodie portus in eâ ſunt Maſſilienſis, Tullonienſis, & Antipolitanus.

9. *Pario de marmore templum.*] Cui numini ſacrum non liquet. Ut Jovi creda-

Tantæ molis erat, quantam non ſperneret olim
[1] Tarquinius, [2] Catuluſque iterum, [3] poſtremus & ille,
Aurea qui ſtatuit Capitolî culmina Cæſar?
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
Æquora: te claſſes Libyci Siculique profundi:
Et quicquid vario per flumina, per freta curſu
Advehitur, toto tibi navigat orbe [4] κατάπλυς.

INTERPRETATIO.

ex marmore Pario tanta magnitudinis, quantam non reſpuiſſet quondam Tarquinius, & rurſum Catulus, ac poſtremò ille è Cæſaribus, qui fecit faſtigium Capitolii aureum? Merces maris orientalis, & mare Hiſpanicum te locupletant: naves quæ ſecant mare Libyæ & Siciliæ, te locupletant: *& quodcunque adportatur diverſa navigatione per fluvios*, & *per maria; claſſes per totum orbem diſcurrunt tui gratiâ.*

NOTÆ.

mus fuiſſe, inducere videtur comparatio ejus cum templo Capitolini Jovis, quam facit infrà noſter.

1. *Tarquinius.*] Vel Priſcus, qui Capitolium inchoavit, vel Superbus qui abſolvit.

2. *Catuluſque iterum.*] Q. Lutatius Catulus, qui incenſum per civilia Syllæ & Marii bella, inſtaurari cœptum à Syllâ, abſolutum tandem dedicavit, Q. Metello, & Q. Hortenſio Coſſ.

3. *Poſtremus & ille, &c. Cæſar.*] Domitianus Imperator, qui incenſum à Vitellio, & iterùm ſub Tito, cum Veſpaſianus reſtituere orſus eſſet, caſu combuſtum refecit magnificentius elegantiuſque quàm anteà fuiſſet. Cujus impenſam duodecim millia talentorum exceſſiſſe refert Plutarchus.

4. *Κατάπλυς.*] Græcis eſt teſte Budæo in Pandect. *adnavigatio, portus ad quem applicamus, & incurſus navium.* Hic nihil aliud ſociare poteſt quàm quod in interpretatione expoſui.

Burdigala. XIV.

298 IMpia jam dudum condemno ſilentia, quod te,
O [1] patria, inſignem Baccho, fluviiſque, viriſque,
Moribus, ingeniiſque hominum, procerumque ſenatu,
Non inter primas memorem: [2] quaſi conſcius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis. Nec enim mihi barbara Rheni

INTERPRETATIO.

Jam diù incuſo impium ſilentium, quòd non celebrem te inter principes urbes, *ô Patria; quæ inclyta es vineis, amnibus, viriſque, & indole ac moribus incolarum* tuorum, *& ſenatu optimatum: perinde acſi ſentirem apud me* te *eſſe parvam urbem, & metuerem tractare laudes* tibi *indebitas. Non eſt hic cur me pudeat. Nam fera ripa Rheni non eſt mihi* patria, *ne-*

NOTÆ.

1. *O Patria.*] Burdegala, vel Burdigala, urbs in eâ Garumnæ ripâ poſita, quæ ad Pyrenæum ſpectat, Biturigum Viviſcorum caput, quos Cuborum Biturigum, (hodie *Berry*,) coloniam eſſe, ex Strabone conjicere licet lib. 4. ubi ſolam Biturigum illorum, quos Ioſcos vocat, gentem ait in Aquitanis peregrinam degere, neque de Aquitanarum eſſe corpore. Aquitaniam porro Garumnâ, & Pyrenæis montibus definit.

2. *Quaſi conſcius urbis exiguæ.*] Exiguam tamen fuiſſe Auſonii ætate præ illâ quæ nunc eſt, ex ipſius antiquis mœnibus cognoſci ait Vinetus.

Ora, nec [1] Arctoo domus eſt glacialis in Hæmo.
Burdigala eſt natale ſolum : clementia cœli
Mitis ubi, & riguæ larga indulgentia terræ ;
Ver longum, brumæque breves, [2] juga frondea ſubſunt.
[3] Fervent æquoreos imitata fluenta meatus.
[4] Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, ut aërias intrent faſtigia nubes.
[5] Diſtinctas interne vias mirere, domorum
[6] Diſpoſitum, [7] & latas nomen ſervare plateas.
Tum reſpondentes directa in compita portas,
Per mediumque urbis [8] fontani fluminis alveum.

Interpretatio.

que gelida habitatio mihi eſt *in* monte *Hæmo Septentrionali.* Mea *terra natalis eſt Burdigala : ubi lenis eſt aeris temperies, & copioſa fertilitas ſoli irrigui : vee diuturnum, & hyemes cueta, colles veſtiti aeboribus ſeſe attollunt. Flumen æſtuat inſtar curſuum* & recurſuum *maris. Forma mænium ad quadratam veegit, quæ aſſurgit turribus, adeò excelſis, ut* earum *culmina ingrediantue nubes aerias. Admireris vicos interius diviſos, ordinem ædium, & plateaeum latitudinem* earum *nomini reſpondentem : deinde* mireris *portas rectà objectas compitis, & alveum*

Notæ.

1. *Arctoo in Hæmo.*] Hæmus mons eſt Thraciæ, quem *Arctoum* vocat, id eſt Septentrionalem, ab *Arcto*, id eſt *urſâ*, Boreali ſidere, ad quod vergit Thracia.

2. *Juga frondea ſubſunt.*] Id eſt, *ſupeeeminent*, & *ſupra ſunt.* Hanc enim vim habet aliquando particula, *ſub*, ut pro *ſuper* uſurpetur. Sic Virg. Eclogâ cui *Gallus* nomen eſt :

> *Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus :*

Id eſt : *ſurſumiacit* & *ſuperiacit.*

3. *Fervent æquoreos, &c.*] Quippe Burdegala ſita eſt ad Garumnæ æſtuarium, & reſtuente Oceano refluit Garumnæ aqua ſupra Burdigalam paſſuum millibus plus quinquaginta.

4. *Quadrua muroeum ſpecies.*] Non plane quadrata, ut obſervavit Vinetus ex reliquiis veterum murorum; ſed ita ut latera Septentrionale, & Meridionale longiora eſſent duobus rèliquis.

5. *Inteenè.*] Scaligero aſſentior qui *internè* adverbium hic eſſe vult licenter ab Auſonio correptum, ſic Epiſt. 5.

> *Implicitum quam te noſtris internè medullis, &c.*

Hoc aliquando à veteribus factitatum docet Giſanius in indice Lucretiano. Si quid hic mutandum cenſerem, accederem libens ad Grævii ſententiam, qui pro *internè* legendum ſuſpicatur *mieere*, & interpungit poſt vocem *vias*, ut ſit :

> *Diſtinctas mieeee vias, mirere domorum*

6. *Diſpoſitum, &c.*] Ubi repetitio vocis *mirere* venuſtate non caret. Sed nihil neceſſe mutare, id, quod apud hunc poëtam non uno in loco reperio licenter poſitum.

7. *Et latas nomen ſervaee plateas.*] Id eſt tam latas eſſe vias Burdigalæ, ut platearum nomen jure mereantur: πλατεῖα enim Græcis eſt *lata*, ſupple ὁδὸς *via*.

8. *Fontani fluminis alveum.*] Hunc alveum deſignari hîc putat Vinetus, quo aqua ex variis, qui in Occidentali Burdigalenſis agri parte ſunt, fontibus influit urbem duobus locis, inter Epiſcopi ædes Caſtellumque cognomento *Faei*, ubi *Peuga* nominatur, & poſt adverſam earumdem Epiſcopi ædium partem, *Diviciæ* nomine. Navalis autem, quod tùm in eo alveo fuiſſe intrà Burdigalam innuit Auſonius, veſtigium nullum ſuper eſſet ait, ſed alterius, quo, ampliatâ urbe, Burdigalenſes uſi ſunt, in *Peugâ*, extrà ipſam Auſonii Burdigalam. Nunc autem, inquit idem Vinetus, nullum navigii genus Burdigalam ingreditur : ſed omnibus portus & navale tutiſſimum ampliſſimumque eſt totus Garumna.

Quem

Quem pater Oceanus refluo quum impleverit æſtu,
[1] Adlabi totum ſpectabis claſſibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
[2] Euripi fervere freto? quanta umbra profundi!
Quantus in amne tumor! [3] quanto ruit agmine præceps
Margine contenti biſſena per oſtia curſus,
Innumeros populi non unquam exhauſtus ad uſus!
Hunc cuperes, [4] Rex Mede, tuis contingere caſtris,
[5] Flumina conſumpto quum defecere meatu:
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas ſolitus portare [6] Choaſpem.
Salve, fons [7] ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis, opace.
[8] Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu,

INTERPRETATIO.

fluvii à fontibus ſcatentis, ductum *per mediam urbem. Quem cum pater Oceanus compleverit æſtu redeunte, videbis naves affluere toto mari.*

Quid dicam fontem coopertum marmore Pario æſtuare inſtar Euripi? Quanta opacitas ejus *ex profunditate! Quantus tumor in fluente! Quanta copia* aquarum *effluxus* ejus fontis *margine cohibitis præcipitat per duodecim exitus, numquam exinanitus ad uſus innumerabiles populi! O Rex Mede, optares illum dari tuo exercitui, quando fluvii deſtituerunt eum exhauſto fluento:* optares *portare* tecum *aquas hujus fontis per urbes exteras*, tu *qui conſueveras ferre tantum* aquas fluvii *Choaſpis per omnes* urbes.

Salve è fons originis incognitæ, ſacrate, alme, perpetuò fluens, pellucide, cærulee, alte, reſonans, luti expers, umbroſe. Salve Genius urbis, qui biberis medicinæ cauſâ, Divona vocatus

NOTÆ.

1. *Adlabi totum.*] E Virgilio deſumptum lib. Æneid. 10.

> —— *Donec verſas ad littora puppes*
> *Reſpiciunt, totumque allabi claſſibus æquor.*

2. *Euripi fervere freto.*] Notus Euripus, fretum Eubœam inſulam à Bœotiâ dividens, anguſtum, ideòque variè æſtuans pro variis motibus aquarum & ventorum in Myrtoo mari, & Pelaſgico ſinu. Hinc aquæ, fontium fluviorumve per foſſas, fiſtulas, tubos anguſtè ductæ, *Euripi* dicuntur. Cic. lib. 2. de legibus: *Ductus vero aquarum, quos iſti Nilos, & Euripos vocant.*

3. *Quanto ruit agmine.*] Sic etiam Virg. *immenſum agmen aquarum* dixit pro magnâ copiâ.

4. *Rex Mede.*] Xerxes.

5. *Flumina conſumpto, &c.*] Juven. Sat. 10.

> —— *Credimus altos*
> *Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo*
> *Prandente.*

Rem narrat Herodotus in Polymniâ, & fluvium illum, qui exaruit, Xerxe ad eum ſtativa habente, Chidorum nominat, per Mygdoniam fluentem.

6. *Choaſpem.*] Choaſpes Aſiæ fluvius eſt per Suſa tranſiens, cujus aqua tam dulcis erat, ut ex eâ portari ſibi in potum Perſarum reges, quocumque proficiſcerentur, juberent, ut poſt Herodotum lib. 1. qui inſcribitur Clio, affirmant Plin. Solinus, & alii.

7. *Ignote ortu.*] Quod ſubterraneo opere à capite uſque in urbem ejus aqua duceretur, ut ex canalis illius effoſſis veſtigiis conjicit Vinetus, ſicque videret nemo unde aqua illa conciperetur.

8. *Salve urbis Genius.*] Ethnico more numen fontis præſes alloquitur. Sic Aponum fontem ſalutat Claudian. epigram. 3.

Digitized by Google

[1] Divona Celtarum lingua, fons addite Divis.
Non [2] Aponus potu, vitrea non luce [3] Nemauſus
Purior; [4] æquoreo non plenior amne Timavus.
  Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, ſic capite iſto
Burdigala [5] ancipiti confirmet vertice ſedem.
Hæc patria eſt: patrias ſed Roma ſupervenit omnes.
Diligo Burdigalam: Romam colo, [6] civis in hac ſum,
Conſul in ambabus. Cunæ hic, ibi ſella curulis.

Interpretatio.

linguâ Gallicâ, fons conſecrate inter Deos. Aponus non eſt te *ſalubrior potu; Nemauſus ſplendore* ſuo *vitreo non* eſt *te limpidior. Timavus* cum ſuo *fluvio in mare* currente *non* eſt *te abundantior* aquis.

Hic finis ſit prædicationis clararum urbium. Et quemadmodum Illuſtris Roma fuit *initium hujus carminis, ita etiam Burdigala in hac parte collocet firmiter ſedem ſuam dubio faſtigio. Hac eſt* mea *patria; verùm Roma ſuperat omnes patrias. Amo Burdigalam: veneror Romam. Conſul ſum in hac, civis in utrâque, incunabula mihi ſunt Burdigalæ, Romæ* vero *ſella curulis.*

Notæ.

1. *Divona Celtarum lingua, fons addite Divis.*] Non Priſcâ illâ Celtarum ſeu Gallorum linguâ, quâ ante Julii Cæſaris tempora utebantur, ſed eâ quam poſthac à Romanis edomiti, cum jugo ſenſim acceperunt, quæque diu *Romanæ* nomen apud noſtrates obtinuit; quæ, Auſonii ætate purior multò, in hanc noſtram vernaculam tandem degeneravit. A *Divis* ergo *Divonam* appellatum fontem illum vult. Quod ſi cum Scaligero malis legere *Duiona* interpungendum erit poſt verba hæc *Celtarum lingua;* ut quæ ſequuntur *fons addite Divis*, ad ſuperiora non referantur.

2. *Aponus.*] Fons aquæ calidæ in agro Patavino, potu ſaluberrimus. De quo longum extat apud Claudianum epigramma 3. in quo hæc habet cum hoc Auſonii loco mirè congruentia:

Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ:
Dardanii ſalve gloria magna ſoli.
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens Numen, inempta ſalus. &c.

3. *Nemauſus.*] Fons fuerit ad urbem cognominem Nemauſum in Galliâ Narbonenſi, hodie *Niſmes.* Fortaſſe qui nunc fons quidem appellatur, ſed teſte Vineto lacus eſt potius quam fons: fortaſſe aliquis alius, ut idem ſuſpicatur, qui è proximis collibus in urbem tunc duceretur, ſed qui labentibus annis terrâ obrutus evanuerit è conſpectu.

4. *Æquoreo, &c. amne Timavus.*] De hoc Virg. Æneid. 2. ad quem locum reſpexit Auſonius:

——— *Et fontem ſuperare Timavi,*
Unde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.

hic tamen hodie vix extare dicitur. Hujus & Aponi ſimul meminit Lucan. lib. 7.

Euganeo, ſi vera fides memorantibus, Augur
Colle ſedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

5. *Ancipiti vertice.*] Sic intelligendum, quaſi, cum primam in numero Romam conſtituerit, Burdigalam in infimo, caput & hæc ſortita loci videatur; ut primus locus, ac noviſſimus capita utrinque habeantur.

6. *Civis in hac ſum, Conſul in ambabus.*] Miſſis quæ Scaliger & Vinetus de municipalibus Magiſtratibus hîc commemorant, Grævii reſtitutionem amplector ambabus ulnis, & lego: *Conſul in hac ſum, civis in ambabus.* Civis Burdigalæ natus eſt Auſonius, Conſul Romæ eſſe non potuit, quin ſimul civis eſſet Romanus. Plana omnia ſic legenti, quæ aliter malè cohærerent.

LUDUS
SEPTEM
SAPIENTUM.

Auſonius Conſul [1] *Latino Drepanio Pacato* [2] *Proconſuli.*

299 [3] IGNOSCENDA iſthæc, an cognoſcenda rearis
Attento, Drepani, perlege judicio.
Æquanimus ſiam te judice: ſive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum eſt meruiſſe tuum, Pacate, favorem:
Proxima defenſi cura pudoris erit.
Poſſum ego cenſuram lectoris ferre ſeveri:
Et poſſum modica laude placere mihi.
Novit equus plauſæ ſonitum cervicis amare:
Novit & intrepidus verbera lenta pati.

INTERPRETATIO.

O Drepani, evolve hæc animo attento, ut videas *utrum exiſtimes* ea *egere veniâ*, *an digna* eſſe *quæ legantur. Feram æquo animo tuum judicium: ſive cenſeas verſus quos* tibi *exhibui dignos* eſſe *qui legantur, ſive qui recondantur.* Hoc *enim* opto *præcipuè, ô Pacate, ut dignus ſim tuo favore: deinde conſulam pudori* meo. *Ego poſſum pati* ultrò *notam* quam tu *lector rigidus* ipſis inures: *& poſſum gratulari mihi* ſi me vel *tantillum laudes. Equus ſcit gaudere ſono palpati colli: ſcit etiam fortiter tolerare flagra lenta. Quemadmodum Ariſtarchus criticus*,

NOTÆ.

1. *Latino Drepanio.*] Is eſt Pacatus, cujus extat panegyricus Theodoſio Auguſto Romæ dictus, poſt interfectum Aquileiæ Maximum tyrannum.

2. *Proconſuli*] Sic etiam in Technopægnio habet: *Auſonius Pacato Proconſuli.* Ubinam autem, & quando Proconſul fuerit Pacatus, alibi non legitur. Certè æqualis fuit Auſonii, & Gallus etiam patriâ.

3. *Ignoſcenda, an cognoſcenda.*] Paronomaſia: ut in hoc Terentii Heautontim.

Et cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur
peccati locus.

Et hic infra: *ſive legenda, ſive tegenda putes carmina.*

Mæonio qualem cultum quæſivit Homero
Cenſor [1] Ariſtarchus, normaque [2] Zenodoti.
[3] Pone [4] obelos igitur ſpuriorum ſtigmata vatum.
[5] Palmas, non culpas eſſe putabo meas:
Et correcta magis, quam condemnata vocabo,
Apponet [6] docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrii ſubiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: [7] ſin minus, ut taceam.

INTERPRETATIO.

& regula Zenodoti exornavit Homerum Mæonium, ſic me exornato. *Cenſige ergò* mea carmina *lineolis* quæ ſunt *notæ* quæ inuruntur carminibus *malorum poëtarum. Exiſtimabo* illas *eſſe meas palmas*, *non* autem ſigna *meorum erratorum*: *& appellabo emendata potius, quam damnata* illa ex meis *quibus cenſura* tua, *ô vir docte*, *notam appinget. Interim* ego cum ſim *ſubiturus judicium tanti momenti*, *cupiam* tibi *probari*: *ſin* autem *minus*, *ſilere*.

NOTÆ.

1. *Ariſtarchus.*] Grammaticus Samothrax, cujus judicium tanti fuit apud veteres ponderis, ut, niſi quem probaſſet, Homeri verſum eſſe non crederent. Docuit Alexandriæ inter cæteros filium Ptolemæi Philometoris.

2. *Zenodoti.*] Epheſii poëtæ, & Grammatici, qui, teſte Suidâ, Philetæ diſcipulus, Ptolemæi primi ætate floruit, primuſque Homeri ſcripta recognovit; præfuit Bibliothecis Alexandriæ, & Ptolemæi primi filios docuit.

3. *Pone.*] In meis verſibus.

4. *Obelos.*] Ὀβελὸς *Veru* Græcis, & virgula quædam jacens inſtar veru, ſignificans expungendam eſſe dictionem cui adpoſita eſt. Quo ſenſu hic accipitur, ut declarat quod ſequitur: *ſpuriorum ſtigmata vatum.* Στίγματα ſigna, & notæ, ut malis ſervis, qui inde *ſtigmatiæ*, ſic etiam malorum poëtarum verſibus imprimi atque inuri ſolitæ.

5. *Palmas, non culpas.*] Palmarium ſcilicet ducam à te emendari.

6. *Docti lima viri.*] Tu', ô Drepani, reprehende, qui vir doctus es. Lima pro cenſurâ, metaphora à fabris qui opera ſua, ſuperflua demendo, limâ perpoliunt.

7. *Sin minus ut taceam.*] Paronomaſiam affectavit in his vocibus *placeam*, *taceam.* Unde vulgatam hanc lectionem nolim mutare. Quanquam ex veteri libro reponat Tollius *lateam*: quidquid enim afferat ad confirmandam lectionem ſuam certè *taceam* idem hic ſonat, ac illud quod oggerit *lateam*, ut patebit attendenti.

Prologus.

SEptem Sapientes, nomen quibus iſtud dedit
Superior [1] ætas, nec ſecuta ſuſtulit,

INTERPRETATIO.

Septem Sapientes, quibus priſca tempora tribuerunt hoc nomen, & poſteriora non ademerunt;

NOTÆ.

1. *In orcheſtram.*] In theatrum, ſynecdoche: *orcheſtra* pars theatri apud Græcos, in quâ ſaltabant mimi. In eâ apud Romanos locus erat præcipuis Senatorum, & legatis exterarum gentium ut ex Vitruvio patet.

Hodie in orcheſtram [1] palliati prodeunt.
Quid erubeſcis tu togate [2] Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
[3] Nobis pudendum hoc, non & Atticis quoque:
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.
Noſtris negotiis ſua loca ſortito data:
[4] Campus comitiis, ut [5] Conſcriptis curia:
[6] Forum, atque [7] Roſtra ſeparatis civium.
Una eſt Athenis, atque in omni Græcia,
Ad conſulendum publici [8] ſedes loci:
Quam in [9] urbe noſtra [10] ſero luxus condidit.
[11] Ædilis olim [12] ſcenam tabulatam dabat

INTERPRETATIO.

hodiè prodeunt in ſcenam amicti palliis. Quare pudet te, ô Romane togate, quod viri tam inclyti ingrediuntur pulpitum? Hoc turpe eſt nobis, ſed non ſimiliter Atticis: quibus theatrum pro curiâ eſt. Noſtris rebus ſua quibuſque *loca deſtinata ſunt: Campus* Martius deſtinatus eſt *comitiis* habendis, *quemadmodum curia Senatoribus, forum & roſtra privatis civium* negotiis. *Unicus eſt locus Athenis, & per univerſam Græciam, deſtinatus publicis deliberationibus*, Theatrum: *quod luxus tardè extruxit in noſtrâ urbe. Quondam Ædilis exhibebat theatrum è tabu-*

NOTÆ.

1. *Palliati.*] Habitu Philoſophico, & Græco, cum *toga* eſſet Romanorum. Hinc *Palliatæ* fabulæ Græcæ, & *Togatæ* Latinæ ut videre eſt ex ſatira 1. Juvenalis.

2. *Romule.*] Romane quivis. Sic Catullus de Cæſare:

Cinæde Romule, hæc tu videbis & feres?

3. *Nobis pudendum hoc, &c.*] Nobis Romanis, apud quos infames erant qui in ſcenam prodibant, non item apud Græcos. Facit huc apprimè locus Cornelii Nepotis Præfatione in vitas excellentium Imperatorum: *Magnis in laudibus in tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari. In ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur.* Perperam ergò ſollicitata eſt à Scaligero loci hujus lectio, qui reponebat:

Nobis pudendum eſt hoc, & Atticis quoque.

4. *Campus.*] Martius ubi comitia creandis Magiſtratibus celebrabantur.

5. *Conſcriptis.*] Patribus.

6. *Forum.*] Dirimendis privatorum controverſiis.

7. *Roſtra.*] Orationibus habendis, & rogationibus ad plebem ferendis. Quod Magiſtratibus tantum ſive Senatoriis, ſive Plebeiis licebat, ut patet ex Cic. orat. pro lege Maniliâ.

8. *Sedes loci.*] Theatrum ſcilicet.

9. *In urbe noſtra.*] Romæ.

10. *Sero.*] Scilicet anno demum ab urbe conditâ quingenteſimo nonageſimo nono inchoatum fuit primum in urbe theatrum à M. Val. Meſſala, & C. Caſſio Longino Cenſoribus, & mox auctore Pub. Scip. Naſica prioris anni Conſule, tanquam fracturum animos & mores labefacturum, deſtructum eſt, & omnis ejus apparatus haſtæ ſubjectus væniit, teſte Val. Maximo lib. 2. cap. 4. & Floro in epitome lib. 48. Titi Livii.

11. *Ædilis.*] Cujus erat ludos populo dare. Plautus Pœnulo

Ludos pompam dare velle Ædilibus.

12. *Scenam tabulatam.*] Ex tabulis ligneis compactam. Servius ad lib. 3. Georgic. verſ. 24. *Apud majores theatri gradus tantum fuerunt. Nam ſcena de lignis tantum ad tempus fiebat. Unde hodieque permanſit conſuetudo ut componantur pegmata à ludorum theatralium editoribus.*

[1] Subito excitatam nulla mole ſaxea.
[2] Muræna ſic, & Gallius; nota eloquar.
Poſtquam potentes, nec verentes ſumptuum,
Nomen perenne crediderunt, ſi ſemel
Conſtructa moles ſaxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum:
[3] Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
[4] Pompeius hanc, & Balbus, & Cæſar dedit
Octavianus, concertantes ſumptibus.
Sed ego quid iſtæc? Non hac cauſa huc prodii,
Ut expedirem quis theatra, quis forum,
Quis condidiſſet [5] privas partes mœnium:
Sed ut [6] verendos, Diiſque laudatos viros
[7] Prægrederer, ac referrem quid vellent ſibi.

INTERPRETATIO.

lis ligneis *ſtructum ex tempore abſque ullâ mole lapideâ. Sic* fecerunt *Murena, & Gallius. Dicam nota* vobis. *Poſtea quam* homines *opulenti, nec timentes impenſas, exiſtimaverunt æternam ſibi famam* fore, *ſi grande ædificium ſemel à* ſe *extructum fundamento lapideo præberet perpetuam ſedem ſpectaculis; excrevit hæc vaſta moles theatri diſtincta in cuneos. Hujuſmodi extruxerunt Pompeius, & Balbus, & Octavianus Cæſar, certantes invicem impenſis. At quare ego hæc* narro? *Non eam ob rem huc veni, ut explicarem quis ædificaſſet Theatra, quis forum, quis ſingulas partes murorum: ſed ut præcederem viros venerandos & probatos Diis, & expone-*

NOTÆ.

1. *Subito excitatam.*] Tumultuariam, non perpetuam. Idque ex *Sčto* Scipionis Naſicæ Hinc Tertull. in apologiâ: *Ubi ſunt leges quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant?*

2. *Murena ſic & Gallius.*] Id eſt ſcenam tabulatam dederunt. Ludorum Murænæ in Præturâ meminerunt Cicero oratione pro Muræna & Plin. lib. 33. *Lucius Murena, & Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV.* Ædilitatis, & ludorum Q. Gallii meminit Aſconius Pedianus commentariis in Cic. orat. in Antonium & in Catilin.

3. *Cuneata.*] Hinc *excuneare*, theatro ejicere. Vide Vitru. & Bulengerum de theatro.

4. *Pompeius hanc.*] Tacit. lib 14. *Quippe erant qui Cn. Pompeium incuſatum à ſenioribus ferrent, quod manſuram theatri ſedem poſuiſſet. Nam antea ſubitariis gradibus, & ſcena in tempus ſtructa edi ſolitos, &c.* Poſt Pompeium Corn. Balbus, & deinde Auguſtus Cæſar, theatra Romæ extruxerunt magnifica, teſtibus Dione libb. 39. & 54. Plutarcho, Val. Maximo, & aliis.

5. *Privas partes.*] Ita Scaliger ex vett. membranis. Vulgatæ editiones *primas* habent. Quod ſi retineas cum Vineto *primas partes mœnium*, intellige murorum fundamenta, vel etiam *prima mœnia* urbis. Quod ſatis appoſitum ad hunc locum, ubi de primis theatrorum & aliorum operum publicorum conditoribus agitur: quod ſi mavis legere *privas*, intellige *ſingulas*: quod etiam ſenſu commodo non caret; cum urbis, adjectis ſubinde variis regionibus, paulatim amplificatæ, mœnia à variis hominibus prolata, varios habeant partium diverſarum conditores.

6. *Verendos, Diiſque laudatos viros.*] Septem Sapientes Græcis celebratos, de quibus mox

7. *Prægrederer ac referrem*] Sic reſtituit Tollius, ſenſu plano ac perſpicuo. Cujus ideo conjecturam amplector libens.

[1] Pronunciare ſuas ſolent ſententias
[2] Quas quiſque providentium anteverterit.
Scitis profectò quæ ſint: ſed ſi memoria
Rebus vetuſtis [3] cludit: veniet [4] Ludius
Ediſſerator harum, quas teneo minus.

INTERPRETATIO.

rem quid dicturi eſſent. Solent pronunciare ſuas ſententias, quas unuſquiſque proſpiciens primus occupaverit. Noviſtis certè quænam illæ ſint: verùm ſi memoria claudicat in *rebus* tam *antiquis; prodibit hiſtrio expoſiturus illas, quarum non tam benè memini.*

NOTÆ.

1. *Pronunciare ſuas, &c.*] D. Auguſtinus lib. 8. de civit. Dei cap. 2. *Thales Mileſius unus illorum ſeptem, qui appellati ſunt Sapientes. Sed illi ſex vitæ genere diſtinguebantur, & quibuſdam præceptis ad bene vivendum accommodatis. Iſte autem Thales, &c.*

2. *Quas quiſque providentium.*] Id eſt, quas unuſquiſque ipſorum, qui providebant, ſive quas quiſque eorum proſpiciens, occupaverit proferre, ſeu primus protulerit.

3. *Cludit.*] Sive (ut aliqui, & quod idem eſt) *claudit* hic vetuſtè poſitum pro *claudicat* ut obſervant Scaliger & Vinetus.

4. *Ludius.*] Hiſtrio. A Lydis dictos Ludios, cum ex Timæo Siculo, aliiſque diſcimus, tum ex Tertulliano lib. de ſpectaculis cap. 5. *Ludorum*, inquit, *origo ſic traditur. Lydos ex Aſia tranſvenas in Hetruria conſediſſe, ut Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri ſuo ceſſerat regni contentione. Igitur in Hetruria inter cæteros ritus ſuperſtitionum ſuarum ſpectacula quoque religionis nomine inſtituunt. Inde Romani arceſſitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut Ludii à Lydis vocarentur.* Apud Heſychium Λυδίζεις, Χορεύεις, ἀπὸ τῶν Λυδῶν.

Ludius.

301 DElphis Solonem [1] ſcripſe fama eſt Atticum,
[2] Γνῶθι σεαυτὸν, quod Latinum eſt, Noſce te.
[3] Multi hoc Laconis eſſe Chilonis putant.
Spartane Chilon ſit tuum, nec ne ambigunt,
Quod introfertur, [4] ὅρα τέλος μακροῦ βίου,

INTERPRETATIO.

Ferunt Solonem Athenienſem ſcripſiſſe Delphis, Γνῶθι σεαυτὸν, *quod Latinè ſignificat, cognoſce teipſum. Multi exiſtimant id eſſe* dictum *Chilonis Spartani. O Chilon Lacedæmonie dubitatan tuum ſit, vel non, quod pervulgatum eſt* inter nos; ὅρα τέλος μακροῦ βίου, *quo* dicto *præci-*

NOTÆ.

1. *Scripſe.*] Syncope pro *ſcripſiſſe.* Sic infra *dixe* pro *dixiſſe.*

2. Γνῶθι σεαυτὸν.] Sententiam hanc non Soloni Laërtius ſed Thaleti tribuit, eandemque Phæmonoæ tribuiſſe Antiſthenem in ſucceſſionibus, & ſibi ipſi Chilonem uſurpaſſe idem Laërtius auctor eſt in Thaletis vitâ. Soloni autem aliam hujus loco tribuit, nempe μηδὲν ἄγαν *nihil nimis.* Quod & ipſum Chiloni à quibuſdam adſcriptum fuiſſe idem monet in Thalete.

3. *Multi hoc Laconis, &c.*] In his Plinius lib. 7. hiſt. natur.

4. Ὅρα τέλος, *&c.*] Aliam ei gnomen ſeu ſententiam tribuit Laërtius. Eam ſcilicet, quam infrà noſter tribuit Thaleti Mileſio, quamque ideò Doricâ dialecto exprimit Laërtius, ut ab ore Laconis profectam, ἐγγύα πάρα δ' ἄτα.

Finem intueri longæ vitæ quo jubes.
[1] Multi hoc Solonem dixe Crœſo exiſtimant.
Et Pittacum dixiſſe fama eſt Lesbium,
[2] Γίγνωσκε καιρὸν. Tempus ut noris, jubet.
Sed καιρὸς iſte, tempeſtivum tempus eſt.
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί:
Quod eſt Latinum, Plures homines ſunt mali:
[3] Sed imperitos ſcito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, Periandri eſt Corinthii:
Eſſe [4] meditationem totum qui putat.
[5] Ἄριστον μέτρον eſſe dixit [6] Lindius
Cleobulus; hoc eſt, Optimus cunctis modus.
[7] Thales, ἐγγύα πάρεστι ἄτη protulit.
Spondere qui nos, noxa quod [8] præſeſt, vetat.

INTERPRETATIO.

pis ut reſpiciamus exitum longæ vitæ. Multi arbitrantur Solonem hoc dixiſſe Crœſo. Ferunt quoque Pittacum Lesbium dixiſſe, Γίγνωσκε καιρὸν. Quo dicto *præcipit ut cognoſcas tempus: ſed tempus illud ſignificat occaſionem opportunam. Bias Prieneus dixit* οἱ πλεῖστοι κακοί: *quod Latine vertitur Plerique homines mali ſunt. At noveris illos quos appellavit malos, eſſe ignaros.* Hæc ſententia μελέτη τὸ πᾶν *eſt Periandri Corinthii: qui cenſet præmeditationem totum eſſe. Cleobulus Lindius dixit* ἄριστον μέτρον *eſſe, id eſt, Optimam* eſſe *moderationem* in *omnibus. Thales pronuntiavit* ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη. *Qui* hoc dicto *prohibet, ne* pro aliis *ſponſores ſimus, quia*

NOTÆ.

1. *Multi hoc Solonem, &c.*] Inter hos Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum ad Nicomachum. Herodotus lib. 1. ait Crœſum in pyrâ poſitum, recordatum fuiſſe ejus quod à Solone ſibi dictum fuerat, μηδένα εἶναι τῶν ζώντων ὄλβιον, *Ex viventibus beatum eſſe neminem.* Quod Ovidius planius de Cadmo 3. Metamorph.

> ——— *Scilicet ultima ſemper*
> *Expectanda dies homini eſt, dicique beatus*
> *Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.*

Vide infrà carmen Solonis, ubi fusè narratur Crœſi hiſtoria.

2. Γίγνωσκε καιρόν.] Apud Laërtium Καιρὸν γνῶθι quod idem eſt.

3. *Sed imperitos ſcito quos dixit malos.*] Non hanc interpretationem, ex Laërtii verbis elicias. Sic enim ille in Biante: Ἔλεγέ τε τὸν βίον οὕτω μετρεῖν ὡς καὶ πολὺν, καὶ ὀλίγον χρόνον βιωσομένους, καὶ φιλεῖν ὡς μισήσοντας, τοὺς γὰρ πλείστους εἶναι κακούς. *Dicebat vitæ tempus ita metiendum, quaſi & diu & parum victuri ſimus: ita amandum, quaſi odio ſimus habituri: malos enim eſſe plurimos.*

4. *Meditationem.*] Vertere etiam poſſis *μελέτην, exercitationem, & induſtriam.*

5. Ἄριστον μέτρον.] Hujus ſententiæ non meminit Laertius in vitâ Cleobuli. Niſi ſenſum ejus elicere ex hac velimus, quam memorat ab eo prolatam; εὐτυχῶν μὴ ἴσθι ὑπερήφανος: ἀπορήσας μὴ ταπεινοῦ. *Dum ſecunda fortuna arridet, ſuperbire noli: adverſa perſtrepente noli frangi:* quâ ſententiâ ſuadet in proſperis adverſiſque moderationem.

6. *Lindius.*] Laërtio etiam Λίνδιος; qui tamen refert Durim Cleobulo patriam Cariam aſſignare.

7. *Thales* ἐγγύα, *&c.*] Hanc ſententiam (ut jam dixi) Chiloni Laconi tribuit Laërtius, & ſcribit ἐγγύα πάρα δ' ἄτα, ubi πάρα pro πάρεστι, & ἄτα Dorice pro ἄτη.

8. *Præſeſt.*] *Præſt' eſt* id eſt *præſto eſt* Vinetus legit, Scaliger *præs eſt* ut *præs* ſit à

Hoc

Hoc nos monere, [1] fœneratis non placet.
Dixi; recedam: legifer venit Solon.

INTERPRETATIO.

damnum præſto eſt. Non placet fœnore obſtrictis, quod id monitum demus. Dixi; abibo: Solon legiſlator prodit.

NOTÆ.

præſto & firmam conjecturam ſuam ex Feſto in voce *Præs*. *Præs* (inquit Feſtus, ſeu Paulus Diac.) *eſt is qui populo ſe obligat, interrogatuſque à Magiſtratu ſi præs ſit, ille reſpondet præs*, hoc eſt (inquit Scaliger) *præſto*. Voſſius in Etymolog. ad vocem *Præs* legit in hoc loco unâ voce *Præs eſt*, & interpretatur *præſens eſt*, veteribus uſitatum ait *præs eſſe* pro *præſentem eſſe*.

1. *Fœneratis.*] Gronovius *fœnerantibus* contra metri legem. Nihil neceſſe eſt mutare. Non placet fœneratis id eſt obſtrictis fœnore, quod moneat Ludius ſpectatores ne ſpondeant pro aliis; quia ſi credant Ludio, futurum eſt, ut fœneratore fœnus & ſortem repetente, nec amicorum quoquam ad impetrandam eis dieculam ſpondere pro ipſis volente, bona eorum diſtrahantur, aut ipſi conjiciantur in vincula.

Solon.

302 [1] DE more Græco prodeo in ſcenam Solon,
Septem Sapientum [2] fama cui palmam dedit.
Sed fama non eſt judicii ſeveritas.
Neque me eſſe [3] primum horum nec imum exiſtimo:
Æqualitas quod [4] ordinem neſcit pati.
Recte olim ineptum Delphicus [5] juſſit Deus
Quærentem, quiſnam primus Sapientum foret,
Ut [6] in orbe tereti nomina eorum incideret;

INTERPRETATIO.

Ego *Solon progredior in theatrum juxta conſuetudinem Græcorum*, ego, inquam, *cui fama detulit principem locum inter ſapientes. Verùm fama non proficiſcitur ex accurato judicio. Ego cenſeo me neque eſſe primum eorum, neque poſtremum: quia æqualitas non poteſt ferre ordinem. Benè quondam Apollo apud Delphos, cum quidam ſtolidus interrogaret quis ſapientum eſſet primus, imperavit ei ut inſculperet illorum nomen in globo rotundo, ut nemo* eorum *eſſet*

NOTÆ.

1. *De more Græco.*] Vide ſupra Prologum, & quæ ad hunc verſum adnotavimus:

Nobis pudendum hoc, non & Atticis quoque

2. *Fama cui palmam dedit.*] In hoc certè ſapientior cæteris fuit, quod (ut teſtatur Callimachus in Iambis, referente in Thaletis vitâ Laërtio) tripodem oraculo Delphico huic deſtinatum, qui ſapientiâ cæteros anteiret, & ad ſe à cæteris ſapientibus per gyrum delatum, non ad alium mortalem remiſerit, ſed Delphos ad Apollinem, cùm Deum ſapientiâ præſtantiſſimum eſſe affirmaret.

3. *Primum horum nec imum.*] Vulgò legitur: *Primum veſtrum aut imum.* Sed Tollii lectionem ſequutus ſum, ut pote quæ ſola videatur eſſe genuina; nec enim Sapientes, verùm ſpectatores alloquitur Solon.

4. *Ordinem.*] Prioris & poſterioris.

5 *Juſſit Deus.*] Sic Scaliger pro *Iuſſit* quod erat in vulgatis.

6 *In orbe tereti.*] In quo videlicet nihil eſt primum, nihil poſtremum.

Digitized by Google

Ne primus eſſet, ne vel imus quiſpiam.
Eorum è medio prodeo gyro Solon:
Ut [1] quod dixiſſe Crœſo regi exiſtimor,
Id omnis hominum ſecta ſibi dictum putet.
Græce coactum: ὅρα τέλος μακροῦ βίου:
Quod longius fit, ſi Latine ediſſeras:
[2] SPECTARE vitæ jubeo cunctos terminum.
Proinde miſeros, aut beatos dicere
Evita: quod ſunt ſemper ancipiti ſtatu.
Id adeo ſic eſt. Si queam, paucis loquar.
  Rex, an Tyrannus, Lydiæ Crœſus fuit
[3] His in beatis, dives inſanum in modum,
[4] Lateribus aureis templa qui [5] divis dabat.
Is me evocavit. Venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege poſſint Lydii.
Rogat, beatum prodam, ſi quem noverim.

INTERPRETATIO.

primus vel poſtremus. Ego Solon progredior è medio eorum circulo: ut omne genus hominum exiſtimet ſibi dictum fuiſſe id, *quod credor dixiſſe Regi Crœſo. Græcè* expreſſum *brevius eſt*, nempe *ὅρα τέλος μακροῦ βίου: quod erit prolixius, ſi exponas Latinè:* ſcilicet *præcipio omnibus ut reſpiciant finem vitæ. Ideòque cave ne appellas* homines *infelices aut felices: quia ſemper ſunt in ſtatu dubio. Hoc porrò ſic habet. Breviter expediam, ſi poſſim.*

Crœſus fuit Rex, ſive Tyrannus Lydiæ, unus *ex illis* quos vulgus *fortunatos* putat, adeò *opulentus ut* ex opibus *inſaniret*, *qui Diis fana inſtruebat lateribus aureis. Ille accerſivit me* ad ſe. *Accedo parens juſſis* ejus, eo animo *ut Lydii habeant regem* meis conſiliis redditum *meliorem. Petit* à me ut *ſi cognoſcam aliquem felicem*, cum *nominem. Nomino* ei *Tela-*

NOTÆ.

1. *Quod dixiſſe Crœſo regi exiſtimor.*] Vide notata à nobis ſuprà ad hunc verſum Ludii:

Multi hoc Solonem dixe Crœſo exiſtimant.

2. *Spectare vitæ, &c. terminum.*] Priuſquam de felicitate cujuſquam pronuntient.

3. *His in beatis.*] Cujuſmodi fortunatos vulgò putant, ſcilicet divites.

4. *Lateribus aureis.*] Vel intellige parva templa, ſeu templorum effigies ex laterculis aureis expreſſas; vel, *dabat* interpretare *donabat*, ut ſit ſenſus à nobis in interpretatione expreſſus. Qui, quàm benè cum re congruat, collige ex his Herodoti lib. 1. Ὡς δὲ ἐκ τῆς θυσίης ἐγένετο, καταχεάμενος χρυσὸν ἄπλετον, ἡμιπλίνθια ἐξ αὐτοῦ ἐξήλαυνε, ἐπὶ μὲν τὰ μακρότερα, ποιέων ἑξαπάλαστα, ἐπὶ δὲ τὰ βραχύτερα, τριπάλαστα· ὕψος δὲ, παλαστιαῖα· ἀριθμὸν δὲ ἑπτακαίδεκα, καὶ ἑκατόν· καὶ τούτων ἀπέφθου χρυσοῦ τέσσαρα, τρία ἡμιτάλαντα ἕκαστον ἕλκοντα· τὰ δὲ ἄλλα, ἡμιπλίνθια, λευκοῦ χρυσοῦ σταθμὸν διτάλαντα, &c. Ἐπιτελέσας δὲ ὁ Κροῖσος ταῦτα ἀπέπεμπε ἐς Δελφοὺς, &c. *Cum ſacrificio finem impoſuiſſet, magnam auri vim liquefecit, & ex ea dimidiatos lateres conflavit, longiores quidem ſex palmorum, breviores autem trium, craſſitudine palmari, numero centum decem, & ſeptem: quorum quatuor erant auri excocti, ſinguli pondo duorum & dimidii talenti; cæteri vero auri albidi pondo binûm talentorum &c. Hæc Crœſus ubi perfecit Delphos miſit, &c.*

5. *Divis.*] Apollini Delphico, ut ex ſuprà allato Herodoti loco patet, & Luciano in Charonte ſive Contemplantibus.

[1] Telana dico civem non ignobilem.
Pro patria pugnans iſte [2] vitam objecerat.
Deſpexit. Alium quærit. Inveni [3] Aglaum,
[4] Fines qui agelli proprii nunquam exceſſerat.
At ille ridens: Quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui ſolus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ prius:
Tum judicandum, ſi manet felicitas.
Dictum moleſte Crœſus accepit. At ego
Relinquo regem. Bellum ille in Perſas parat.
Profectus, victus, vinctus, regi deditus.
* * * * *
[5] At ille captus, funeris ipſe inſtar ſui.
* * * * * * * * * *
[6] Quin flamma totum ſe per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æſtu globos.

INTERPRETATIO.

nem civem non obſcurum. Hic pugnans pro patriâ profuderat animam. Aſpernatus eſt Crœſus quod dicebam. *Rogat* proferam *alium. Occurrit* animo *Aglaus: qui numquam egreſſus erat limites parvi ſui fundi. Ille verò ridens* rogat, *quo deinde ordine collocas me qui ſolus per univerſum orbem appellor felix? Reſpondeo videndum prius* eſſe *finem vitæ* ipſius: *deinde judicium* de hac re *ferendum, ſi beatus eſſe perſtiteris. Crœſus ægrè tulit* hoc meum *reſponſum. Ego verò diſcedo à rege. Hic molitur bellum adverſus Perſas. init. Victus eſt. Legatus traditus Regi* * * * * * * * * * * * * *Quin flamma* jam *circuibat* ipſum *undique, glome-*

NOTÆ.

1. *Telana dico.*] *Τέλλον Tellum* Herodotus, Plutarchus & Laertius, non *Telana* appellant, & poſt illum non *Aglaum*, ſed Cleobin, & Bitonem felices à Solone dictos memorant, quibus primas Lucianus in felicitate à Solone tributas ait in Charonte, ſecundas Tello Athenienſi.

2. *Vitam objecerat.*] Placet admodum Grævii conjectura *abjecerat* reponentis, id eſt *projecerat, profuderat* ut in interpretatione expoſui. Sic 6. Æneid.

> ——— *Lucemque peroſi*
> *Projecere animas.*

3. *Aglaum*] Hunc Plinius, Val. Maximus, & Solinus beatum, non à Solone, ſed ab oraculo Apollinis judicatum aiunt, idque non Crœſo, ſed Gyge ſciſcitante.

4. *Fines agelli, &c.*] Val. Maximus lib. 7. cap. 1. quod eſt de felicitate: *Cum Gyges, regno Lydiæ armis & divitiis abundantiſſimo inflatus, Apollinem Pythium ſciſcitatum veniſſet, an aliquis mortalium ſe eſſet felicior: Deus ex abdito ſacrarii ſpecu voce miſſa, Aglaum Sophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus: ſed ætate jam ſenior, terminos agelli ſui numquam exceſſerat, parvuli ruris fructibus contentus.* Claudianus epigram. 6. quod eſt de Sene Veronenſi:

> *Felix qui propriis ævum tranſegit in arvis;*
> *Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem.*
> *Qui baculo nitens, &c.* quæ vide.

5. *At ille captus, &c.*] Scaliger ſenſum aliquem ex hoc verſu elicere conabatur ex ſcripturæ veteris libri veſtigiis, quæ ſic habent: *at ille captans funeris inſtar ſui*, hanc lectionem ſubodorans *at illico aptant funeis, inſtant arſui.* Quod in medio relinquo, nec habeo unde lacunam impleam.

6. *Qua flamma.*] Altera lectio à Vineto memorata *quin flamma* ſatis cum Scaligeri conjecturâ convenit.

Digitized by Google

Atpene ſero Crœſus ingenti ſono,
O vere vates, inquit: ô Solon, Solon.
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, extingui jubet
Gyrum per omnem, & deſtrui ardentem pyram:
Et [1] commodum profuſus imber nubibus
Repreſſit ignem. Crœſus ad regem illico
[2] Deductus lectam per miniſtrorum manum,
Interrogatus, quem Solonem diceret,
Et quam ciendi cauſam haberet nominis;
Seriem per omnem cuncta regi ediſſerit.
Miſeratur ille: [3] vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem: [4] Crœſum in amicis habet.
Vinctumque pedicis aureis ſecum jubet
Reliquum quod eſſet vitæ, totum degere.
Ego [5] duorum regum teſtimonio
Laudatus, & probatus ambobus fui.
Quodque uni dictum eſt, quiſque ſibi dictum putet;
Ego jam peregi, qua de cauſa huc prodii.
Venit ecce Chilon. Vos valete, & plaudite.

Interpretatio.

vans ſurſùm vapore fumantes globos Crœſus verò ferè tardius alta voce ait: ô Solon, ô Solon, verè fatidicus eras. *Ter nominat Solonem altè vociferando Quo nomine Cyrus permotus, jubet rogum flagrantem extingui per totum circuitum, & deſtrui: & opportunè pluvia exundans nimbis extinxit ignem. Crœſus ductus extemplò ad Regem à delecta cohorte miniſtrorum,* atque *interrogatus* ab eo, *quem Solonem appellaret, & quamobrem invocaret nomen* ejus, *exponis regi omnia ordine. Ille miſereſcit* ejus: *& cernens poteſtatem fati, laudat Solonem; & reponit Crœſum inter amicos. Ac imperat ut ligatus compedibus aureis tranſigat ſecum quidquid vitæ ſupereſt. Ego celebratus ſui teſtimonio duorum Regum, & approbatus ab utroque. Et unuſquiſque exiſtimet ſibi dictum, quod à* me *dictum eſt uni.*

Jam ego abſolvi id, propter quod huc progreſſus ſum. En Chilon prodit, vos valete, & plauſum date.

Notæ.

1. *Commodùm.*] Adverbium frequens apud Apuleium.

2. *Deductus lectam, &c.*] Hæc eſt Scaligeri lectio, quam ſecutus ſum. Pulmannus; *Per adminiſtrùm ducitur lectam manum.* Vinetus: *Miniſtrorum per lectam ducitur manum.* Tollius *Miniſtrorum perducitur lecta manu.*

3. *Vimque fortunæ.*] *Nemeſin* hìc Tollius Jovis in ultionibus miniſtram intelligit per *vim fortunæ*, ex Julii Capitolini, & Martiani Capellæ auctoritate, & noſtri in Protreptico, hoc verſu:

Abſiſtat Nemeſis, ferat & Fortuna jocantem.

4. *Crœſum in amicis*] Ad verſus integritatem deeſt *&* vel *que*; ut ſit *Crœſum & in amicis habet*, ut vult Pulmannus; vel *Crœſumque in amicis habet.*

5. *Duorum Regum.*] Crœſi & Cyri.

Chilon.

303 [1]LUmbi ſedendo, oculique ſpectando dolent,
Manendo Solonem quoad ſeſe recipiat.
[2]Hui, quam pauca quam diu loquuntur Attici!
Unam trecentis verſibus ſententiam
Tandem peregit; [3]meque reſpectans abît.
Spartanus ego ſum Chilo, qui nunc prodeo.
[4]Brevitate nota, qua Lacones utimur,
Commendo noſtrum γνῶθι σαυτὸν, NOSCE TE,
[5]Quod in columna jam tenetur Delphica.
[6]Labor moleſtus iſte, [7]fructi eſt optimi;
[8]Quid ferre poſſis, quidve non, dignoſcere:

INTERPRETATIO.

Lumbi dolent mihi *ſedendo, & oculi aſpiciendo, dum expecto donec Solon abeat* è ſcenâ. *Papa! Quanto tempore Athenienſes quàm pauca dicunt! Tandem abſolvit unam ſententiam trecentis verſibus, & abſceſſit me identidem reſpiciens. Ego qui nunc* huc *venio, ſum Chilo Lacedæmonius. Laudo* apud vos, *breviloquentiâ* illâ *notâ, quâ* nos *Spartani utimur, meam* ſententiam *γνῶθι σαυτὸν*, cognoſce te ipſum: *quod nunc habetur in columnâ apud Delphos. Hic labor moleſtus affert optimum fructum; ſcire quid poſſis ſuſtinere, aut quid non* poſſis: *exami-*

NOTÆ.

1. *Lumbi ſedendo, &c.*] Expreſſum ex hoc Plauti in Menæchmis act. 5. ſc. 3.

Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent,
Manendo medicum dum ſe ex opere recipiat.

Ubi ad prioris verſus integritatem, quem admodum & hîc, non malè reponas *oculique ſpectando*, vel, ut quidam legunt, *aſpectando*.

2. *Hui, &c.*] *Hui* diſſyllabum volebat Vinetus legebatque: *Hui quam pauca diu loquuntur, Attici!* Scaliger legit *Hui quam pauca quamdiu loquuntur Attici*, atque ut conſtet metri ratio vult illud *hui* quod admirantis eſt, non habere locum in verſu ſed eſſe παρεπιγεγραφὴν ut φεῦ apud Tragicos Græcos.

3. *Meque reſpectans.*] Quaſi invitus è ſcenâ diſcederet, atque aliquid adhuc haberet dicendum. Mirè hic Lacon Athenienſium loquacitatem perſtringit.

4. *Brevitate nota, &c.*] Atque inter cæteros Laconas Chilonem eximiæ breviloquentiæ fuiſſe obſervat Laërtius in ejus vitâ. Βραχυλόγος τε ἦν, inquit, ὅθεν καὶ Ἀρισταγόρας ὁ Μιλήσιος τοῦτον τὸν τρόπον Χειλώνειον καλεῖ. *Erat in loquendo brevis: atque ob eam rem Ariſtagoras Mileſius hunc loquendi morem Chilonium appellat.*

5. *Quod in columna, &c.*] Plin. lib. 7. naturalis hiſt. cap. 32. *Rurſus mortales oraculorum ſocietatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis conſecrando aureis litteris, quæ ſunt: hæc noſſe ſe quemque: & nihil nimium cupere: comitemque æris alieni, atque litis eſſe miſeriam.* Cicero lib. 5. de finibus cap. 16. *Intrandum eſt igitur in rerum naturam, & penitus quid ea poſtulet pervidendum. Aliter enim noſmetipſos noſſe non poſſumus. Quod præceptum, quia majus erat, quam ut ab homine videretur, idcireo aſſignatum eſt Deo. Jubet igitur nos Pythius Apollo noſcere noſmetipſos. Cognitio autem hæc eſt una, ut vim noſtri corporis, animique norimus, ſequamurque eam vitam quæ rebus ipſis perfruatur.*

6. *Labor moleſtus ille.*] Se noſcendi ſcilicet. Plaut. Pſeudolo act. 4. ſc. 2.

Nam in foro vix decimus quiſque eſt qui ipſus ſe noverit.

7. *Fructi.*] Vetus genitivus pro *fructûs* id eſt *utilitatis*.

8. *Quid ferre poſſis.*] Horatius in arte poeticâ.

Digitized by Google

Noctu, diuque quæ geras, quæ geſſeris,
Aduſque puncti tenuis inſtar quærere,
Officia cuncta, pudor, honor, conſtantia,
In hoc: & illa [1] ſpreta nobis gloria.
Dixi. Valete memores. [2] Plauſum non moror.

INTERPRETATIO.

nare nocte & die tanquam uſque ad parvum punctum, quæ agas, quæ egeris. Omnia officia vitæ *in hoc* ſita ſunt: *verecundia, honeſtas, conſtantia, & illa ipſa gloria quam contemno.* *Dixi. Valete* noſtri præcepti *memores: non curo* veſtrum *plauſum.*

NOTÆ.

—— *Verſate diu quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri.

1. *Spreta nobis.*] In ſpeciem ſaltem, ut mos erat hujuſmodi Philoſophorum faſtum ſæpe non ſine majori faſtu calcantium. Certè, quàm non gloriæ faſtidiens eſſet hic noſter Chilon, oſtendit quod de eo narrat Plinius loco ſuprà laudato: *Funus ejus totam Græciam fuiſſe proſecutam, cùm, filio Olympiæ victore, gaudio expiraſſet.*

2. *Plauſum non moror.*] Philoſophi hoc eſt, humanas laudes parvi facere præ ſe ferentis.

Cleobulus.

304 CLeobulus ego ſum, [1] parvæ civis inſulæ,
Magnæ ſed auctor, [2] qua cluo, ſententiæ:
[3] Ἄριστον μέτρον quem dixiſſe exiſtimant.
Interpretare [4] tu, qui orcheſtræ proximus,

INTERPRETATIO.

Ego ſum Cleobulus, civis exiguæ inſulæ, ſed inventor egregii dicti, quo clarus ſum. Ego is ſum, *quem putant dixiſſe,* Ἄριστον μέτρον. *Explica tu, qui vicinus orcheſtræ, ſedes in quæ-*

NOTÆ.

1. *Parvæ civis inſulæ.*] Rhodi in quâ Lindus eſt urbs, Cleobuli patria.

2. *Qua cluo.*] A Græco κλύω juxta ſententiam Voſſii, & Latinum *cluo*, & *clueo*: quod propriè eſt *audio*; per metalepſin autem *dicor, celebror*. Sic apud Lucretium l. 1.

Detulit ex Helicone perenni fronde coronam
Pergentes Italas, omnium quæ clara clueret.

eodem ſenſu hic accipe.

3. Ἄριστον μέτρον.] Vide quæ ad hanc ſententiam obſervavi ſuprà in Ludio.

4. *Tu qui orcheſtræ proximus, &c.*] In orcheſtrâ, ut jam monui, apud Græcos locus erat chori, & ſaltantium. Unde etiam nomen traxit: ὀρχεῖσθαι enim *ſaltare* eſt. Sed apud Romanos orcheſtra deſtinata fuit Senatoribus, ex quo ſeorſim à plebe reliquâ ſpectare cœperunt: quod contigiſſe memorat Livius anno U. C. DVIII. in ludis Attilii Serrani & L. Scribonii Ædilium, ex decreto Sexti Ælii Pæti, & C. Cornelii Cethegi Cenſorum. Quanquam idem Livius lib. 1. in ludis à Tarquinio Priſco inſtitutis loca diviſa patribus, equitibuſque fuiſſe dicit. In quatuordecim autem proximis orcheſtræ gradibus poſteà equites à plebe ſegregati ſpectarunt. Unde non ſine cauſâ putat Vinetus Auſonianum Cleobulum alicui ex equitibus illud ſuum ἄριστον μέτρον facetè occinuiſſe; quod ex eo ordine eſſent publicani, genus avarum, & in exigendis vectigalibus, ſuprà modum immane.

Gradibus propinquis in quatuordecim ſedes:
Ἄριστον μέτρον, [1] an ſit OPTIMUS MODUS.
Dic. Annuiſti. Gratiam habeo. Perſequar
Per ordinem. Poëta dixe [2] iſthoc loco
[3] Afer videtur veſter: UT NE QUID NIMIS.
[4] Et noſter quidam, μηδὲν ἄγαν. Huc pertinet
Uterque ſenſus, Italus, ſeu Dorius.
Fandi, tacendi, ſomni vigiliæ eſt modus,
Beneficiorum, gratiarum, injuriæ,
Studii, laborum, vita in omni quicquid eſt,
Iſtum requirit optimæ [5] pauſæ modum.
Dixi. Recedam, ut ſit modus. Venit Thales.

INTERPRETATIO.

tuordecim proximis gradibus: cedo utrum ἄριστον μέτρον *ſignificet moderationem* eſſe *optimam. Annuiſti. Benè meritus de me es. Pergam ordine. Veſter poëta Afer videtur pronuntiaſſe ex hoc loco,* nihil immodicum eſſe debere. *Et quidam è noſtris* μηδὲν ἄγαν dixiſſe. *Sententia utrinſque dicti, Latini, & Græci, huc ſpectat. Eſt* aliqua *menſura loquendi, ſilendi, dormiendi, vigilandi, benefaciendi,* agendarum *gratiarum,* inferendæ *injuriæ, ſtudendi, laborandi. Quidquid eſt in totâ* vitâ, *poſcit hanc menſuram termini congruentiſſimi.*

Dixi. Recipiam me, ut mediocritas ſit in meis dictis. *Thales prodit.*

NOTÆ.

1. *An ſit optimus modus.*] Convenienter huic loco Plautus in Pœnulo act. 1. ſc. 2.

Modus omnibus in rebus, ſoror, optimum eſt habitu
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex ſe.

2. *Iſthoc loco*] Id eſt in theatro.

3. *Afer.*] Terentius initio Andriæ.

——— *Nam id arbitror*
Apprime in vita eſſe utile, ut ne quid nimis.

4. *Et noſter quidam, &c.*] Plin. lib. 7. cap. 32. ſuprà memorato, Chiloni tribuit μηδὲν ἄγαν inſcriptum Delphis aureis litteris. Huc facit Varronis locus apud Nonium:

Quid aliud eſt, quod Delphica canat columna litteris
Suis, Ἄγαν μηδὲν, quam nos facere id ad mortalem modum
Medioxumè, ut quondam patres noſtri loquebantur.

Reperitur illud μηδὲν ἄγαν apud Euripidem, Theognidem, vetereſque alios poëtas; & Soloni, Chiloni, ac Stratodemo Tegeatæ attributum ſcribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum.

5. *Pauſa.*] A παύω, *ceſſo* vel *ceſſare facio*, eſt pauſa, *ceſſatio*: quâ voce uſi ſunt Ennius, Lucilius, Accius, Lucretius, Plautus in Trinummo act. 1. ſc. 2. & alii quidam.

Thales.

[1] MIleſius Thales ſum: [2] AQUAM qui principem
Rebus creandis dixi, [3] ut vates Pindarus.
*   *   *   *   *   *   *   *   *   *   *   *
[4] Dedere piſcatores extractum mari.
Namque hi jubente [5] Delio [6] me legerant:
Quod ille munus hoc ſapienti miſerat.
Ego recuſans non recepi: at reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes ſeptem Sapientes viros
Miſſum, ac remiſſum, rurſus ad me referunt.
[7] Ego receptum conſecravi Apollini.
Nam ſi ſapientem deligi Phœbus jubet;
Non hominem quemquam, ſed Deum credi decet.
Is igitur ego ſum. Cauſa ſed in ſcenam fuit.

INTERPRETATIO.

Ego *ſum Thales Mileſius, qui affirmavi aquam* eſſe *principium rerum producendarum, quemadmodum Pindarus poeta.* Ego is ſum, cui olim *piſcatores dederant* tripodem aureum *eductum è mari. Hi enim elegerant me juſſu Apollinis: quoniam ille juſſerat ferri hoc donum ſapienti. Ego renuens non accepi* illud: *ſed reddidi ipſis, ut deferrent ad alios, quos exiſtimabam ſuperiores* eſſe ſapientiâ. *Deinde cum miſſum, & remiſſum eſſet per univerſos ſeptem ſapientes, referunt iterum ad me. Ego, cùm ad me rediiſſet, dicavi Phœbo. Et enim ſi Apollo præcipit eligendum eſſe ſapientem,* cui tripus detur: *æquum eſt credere non ullum mortalem, ſed Deum* eſſe illum *ſapientem. Ergo ego ille ſum. Verum* eadem *cauſa me impulit ut proderem*

NOTÆ.

1\. *Mileſius.*] E Mileto Ioniæ urbe.

2\. *Aquam, &c.*] Diogenes Laert. in ejus vitâ *ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο, Principium rerum omnium aquam conſtituebat.* Idem de eo teſtantur Cicero lib. 1. de Nat. Deorum cap. 10. & lib. 2. Acad. cap 37. Servius ad verſ. 364. lib. 4. Georgicôn Virgilii. D Auguſtinus l. 8. civit. Dei cap 2. Theodoretus, Clemens Alexandrinus & alii.

3\. *Ut vates Pindarus*] Qui Olympiorum Oden primam ſic incipit *Ἄριστον μὲν ὕδωρ: optimum, id eſt præſtantiſſimum, omnium elementorum eſt aqua.* Lacunam porrò quæ inter hunc verſum & ſequentem eſt, ſupplet Scaliger hoc verſu:

Cuique olim juſſu Apollinis tripodem aureum.

cujus verſus ſenſum cum ſequentibus connexû expreſſi in interpretatione, exceptis duabus vocibus: *juſſu Apollinis* propter eas quæ ſequuntur *jubente Delio*, quarum idem ſenſus eſt.

4\. *Dedere piſcatores.*] Tripodis illius (vel Phialæ vel poculi) hiſtoriam omnem vide fusè narratam apud Diogenem Laertium in vitâ Thaletis. Refert & Val. Max. lib. 4. cap. 1.

5\. *Delio.*] Apolline à Delo inſulâ, in quâ editus in lucem à Latonâ ferebatur.

6\. *Me legerant.*] Ut pote quem ſapientem exiſtimabant.

7\. *Ego receptum, &c.*] Sic quidam. Alii nonnulli non à Thalete, ſed à Solone, cum ad eum gyro illo perveniſſet, Delphos miſſum fuiſſe dixerunt ad Apollinem, quem ille Deum primum eſſe ſapientiâ aſſerebat, teſte Laertio in Thalete.

Mihi

Digitized by Google

Mihi prodeundi, [1] quæ duobus ante me,
Aſſertor ut ſententiæ fierem meæ.
Ea diſplicebit; non tamen prudentibus,
Quos docuit uſus, & peritos reddidit.
Nos ἐγγύα πάρεστι δ' ἄτη, dicimus:
Latinum eſt, SPONDE: NOXIA EST PRÆSTO tibi.
Per mille poſſum currere exempla, ut probem
[2] Prædes Vadeſque [3] pœnitudinis reos.
Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quiſque veſtrûm dicat, & ſecum putet,
Spondere [4] quantis damno fuerit, & malo.
Gratum [5] hoc officium [6] maneat [7] ambobus tamen.
[8] Pars plaudite ergo: [9] pars offenſi [10] explaudite.

INTERPRETATIO.

in theatrum, quæ impulit *duos qui ante me prodierunt. Ut* ſcilicet *confirmarem ſententiam à me* prolatam. *Illa offendet* aliquos, *non tamen prudentes, quos experientia inſtruxit, & effecit doctos. Nos dicimus, ἰγΓύα πάρεστι δ' ἄτη: Latinè* redditum *ſignificat, promitte* pro alio: *adeſt tibi damnum paratum. Poſſum diſcurrere per mille exempla, ut probem ſponſores, & fideiuſſores obnoxios eſſe pœnitentiæ. At neminem volo appellare nomine* ſuo. *Unuſquiſque veſtrûm nominet* eos *ſibi* ipſi, *& recogitet apud ſe, quot hominibus jacturam & incommodum attulerit fide jubere* pro alio. *Nihilominus* per me licet *officium hoc placere pergat utrique* parti.

Igitur pars veſtrûm comprobet plauſu quæ dixi, *pars* verò, ſcilicet *quos* iſta *lædunt, improbent.*

NOTÆ.

1. *Quæ duobus.*] Malè numeravit: nam tres ante illum prodierant Solon, Chilon, & Cleobulus. Suſpicari hinc licet perſonam ejus non ſuo hic ordine collocatam, ante Cleobulum eſſe reponendam.

2. *Prædes, Vadeſque.*] Propriè *Vades* in re capitali erant, qui promittebant ſuo ſe periculo aliquem judicio ſtituros. *Prædes* in re nummariâ qui promittebant aliquem aliquid daturum, facturum, aut ſe pro ipſo daturos vel facturos. Auſon. in Technopægnio hoc obſervat diſcrimen:

> *Quis ſubit in pœnam capitali judicio? Vas.*
>
> *Quid ſi lis fuerit nummaria; quis dabitur? Præs.*

3. *Pœnitudinis reos.*] Quos certo pœnituerit, *pœnitentiæ convictos.* De voce *pœnitentia*, & *pœnitudo* vide obſervata ad epig. 12.

4. *Quantis.*] *Quot, & quàm multis.*

5. *Hoc officium.*] Non *officium Thaletis monentis*, ut intellexiſſe videntur Vinetus & Tollius; quod pugnat cum ſequentibus, *pars plaudite, &c.* ſed *officium ſpondendi & vadandi*, quod quia non viderunt, locum hunc non intellexerunt.

6. *Maneat.*] Per Epitropen ſeu conceſſionem dictum hoc intellige, neque accedas Tollio locum hunc ſollicitanti.

7. *Ambobus.*] Spondenti, & ei pro quo ſpondetur.

8. *Pars plaudite.*] Locupletes, & idonei ad ſpondendum plaudite mihi monenti quæ in rem veſtram ſunt.

9. *Pars offenſi.*] Fœnerati, ut ſuprà dixit Ludius, & qui ære alieno, ac litibus implicati eſtis, mihi propterea offenſi, quod meâ hâc ſententiâ alios à ſpondendo pro vobis deterrere videor.

10. *Explaudite.*] Sibilis, irriſu, & conviciis, ſi vultis, excipite me. Parvi facio.

Bias.

306 BIas [1] Prieneus dixi, [2] *οἱ πλεῖστοι κακοί.*
Latine dictum ſuſpicor, [3] PLURES MALI.
Dixiſſe nollem. [4] VERITAS ODIUM PARIT.
[5] Malos ſed imperitos dixi, & barbaros,
Qui jus, & æquum, & [6] ſacros mores negligunt.
Nam populus iſte, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum eſt. Hoſtium tellus habet,
Dixiſſe quos me creditis, plures malos.
Sed nemo quiſquam tam malus judex fuat,
Qui non bonorum partibus ſe copulet.
Sive ille vere bonus eſt, ſeu dici ſtudet,
Jam [7] fugit illud nomen inviſum mali.
Abeo. Valete, & plaudite, plures boni.

INTERPRETATIO.

Ego ſum *Bias Prieneus*, qui *dixi οἱ πλεῖστοι κακοί. Opinor Latinè explicatum* eſſe; plerique ſunt mali. *Vellem* hoc *non pronuntiaviſſe.* Nam *veritas creat odium. At vocavi malos, ignaros* homines, *& feros, qui ſpernunt juſtitiam, & æquitatem, & vitam religioſam. Hæc enim multitudo, quæ ambit theatrum, tota conſtat ex bonis. Terra hoſtica tenet* illos *pleroſque malos, de quibus putatis me eſſe locutum. At nullus ſit tam pravus judex, qui non adjungat ſe ad partes bonorum, ſive is revera bonus eſt, ſive cupit appellari. Jam hoc odioſum nomen mali faceſſivit* hinc procul.

Diſcedo. Valete, & plauſum date, vos qui *plerique boni* eſtis.

NOTÆ.

1. *Prieneus.*] Ex Priene Ioniæ civitate, quam Cadmen quoque dictam Strabo auctor eſt. Legendum putat Scaliger *Bias Prieneus ſum, dixi, &c.* quia *Prieneus* triſſyllabum eſſe non terraſyllabum ſolet. Sed nihil mutandum, rantùm abſque Synalœphâ legendum *dixi oi*, &c. cui rei faver aſper ſpiritus articuli *oi*.

2, Οἱ *πλεῖστοι κακοί.*] Vide quæ obſervavi ad hæc Ludii verba: *Sed imperitos, &c.* Horat. lib. 1. Sat. 4. dixit: *plures culpari dignos.*

3. *Plures.*] Id eſt *major pars hominum.*

4. *Veritas odium, &c.*] Hoc ex principio Andriæ Terentii, cujus & ſententias & nomen poëta noſter in ore Sapientum ſuorum ponit ſæpiſſimè: licet illi Terentium quadringentis annis, aut amplius præceſſerint; ut vel pueris notiſſimum eſt qui nondùm ære lavantur. At fingit Auſonius ætate ſuâ redivivos, & in ſcænâ ſua quemque effata pronuntiantes.

5. *Malos ſed imperitos dixi.*] Vide quæ obſervavimus ſuprà in Ludio ad hæc verba: *Sed imperitos ſcito quos dixi malos.*

6. *Sacros mores.*] Religioſos cultus & ritum ſacrorum.

7. *Fugit illud nomen inviſum mali.*] A nemine agnoſcitur, nemo ſe malum fatetur.

Digitized by Google

Pittacus.

307 [1] Mitylena oriundus Pittacus ſum Lesbius.
Γίγνωσκε καιρὸν, qui dixi ſententiam.
Sed iſte καιρὸς, tempus ut noris monet:
Et eſſe καιρὸν, [2] tempeſtivum quod vocant.
Romana ſic eſt vox, [3] VENITO IN TEMPORE.
Veſter quoque ille comicus Terentius,
[4] Rerum omnium primum eſſe tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerat ſervus Dromo
Nullo impeditam, temporis ſervans vicem.
Reputate cuncti, quotiens offenſam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tempus me abire, ne moleſtus. Plaudite.

INTERPRETATIO.

Ego ſum *Pittacus Lesbius ortus ex* urbe *Mitylenâ, qui pronuntiavi hanc ſententiam*, noſce occaſionem; *verum hæc* occaſio *monet te, ut cognoſcas tempus* opportunum: *& occaſionem eſſe* id *quod appellant opportunitatem. Sic Latini loquuntur.* Veni in tempore. *Ille etiam veſter* poëta *Comicus Terentius, ait opportunitatem eſſe præcipuam in rebus omnibus, cùm Dromo ſervus* opportunè *veniſſet ad Antiphilam nullo negotio diſtrictam, obſervans occaſionem. Recogitate omnes, quàm ſæpè* ille *incurrat in offenſionem, qui non exploraverit occaſionem.*

At *tempus* jam eſt *me recipiendi, ne* ſim *importunus* vobis. *Plaudite.*

NOTÆ.

1. *Mitylena.*] Quæ Lesbi inſulæ urbs eſt hodie *Metelin.*

2. *Tempeſtivum quod vocant.*] Occaſionem ſcilicet, quam ſic à tempore diſtinguit Cicero lib. 1. de Inventione cap. 27. *Occaſio autem eſt pars* temporis *habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi* opportunitatem; *quare cum* tempore *hoc differt. Nam genere quidem utrumque idem eſſe intelligitur: verum in* tempore *ſpatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte ſpectatur: in* occaſione *ad ſpatium temporis faciendi quædam* opportunitas *intelligitur adjuncta. Quare cum genere idem ſit, ſit aliud, quod parte quadam & ſpecie, ut diximus, differat.* Græcis Χρόνος eſt tempus ſeu ſpatium temporis, Καιρὸς autem occaſio ſeu tempeſtivum, & opportunum tempus.

Venito in tempore.] Tollius ex hoc vetuſti codicis *venit in tempore*, facit hoc: *venito in tempore*, vel *venite in tempore*. Utrumque rectè.

4. *Rerum omnium primum eſſe tempus autumat.*] In Heautontimor. act. 2. ſc 3. ubi non Dromo, ſed Syrus ad Bacchidem ſe veniſſe, non ad Antiphilam, dicit:

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium eſt
Primum, &c.

Sed huc facit quod Syrus idem eâdem ſcenâ de Antiphilâ dicit:

—— Jam primum omnium
Ubi ventum ad ædis eſt, Dromo pultat fores:
Anus quædam prodit. Hæc ubi aperuit oſtium,
Continuo hic ſe conjecit intro: ego conſequor:
Anus foribus obdit peſſulum, ad lanam redit.
Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit;
Ubi de improviſo eſt interventum mulieri, &c.

Quem locum habebat Auſonius in animo, dum hæc ſcriberet.

Periander.

308 [1] EPhyra creatus huc Periander prodeo,
[2] Μελέτη τὸ πᾶν qui dixi : & qui dictum probo,
[3] MEDITATIONEM id eſſe totum quod geras.
Is quippe ſolus [4] rei gerendæ eſt efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.
Adverſa rerum, vel ſecunda prædicat
Meditanda cunctis comicus [5] Terentius.
Locare ſedes, bellum gerere, aut ponere:
Magnas, modicaſque res etiam, parvas quoque
Agere volentem, ſemper meditari decet.
Nam ſegniores omnes in cœptis novis,
Meditatio ſi rei gerendæ defuit.
Nihil eſt, quod ampliorem curam poſtulet,
Quam cogitare, quid gerendum ſit. [6] Dehinc
Incogitantes fors, non conſilium regit.
Sed ego me ad partes jam recipio. Plaudite,
Meditati, ut veſtram rem curetis publicam.

INTERPRETATIO.

Ego *Periander, ortus Corintho huc progredior, qui dixi* Μελέτη τὸ πᾶν : *quique confirmo* meum *dictum*, præmeditationem totum eſſe id quod facias. *Nam ille tantùm eſt idoneus ad rem gerendam, qui revolvit animo priùs rem totam. Comicus* poëta *Terentius pronuntiat eſſe omnibus cogitanda, quæ improſpera, & quæ proſpera in rebus* accidere poſſunt. *Opus eſt ut* ille *ſemper meditetur, qui vult conſtituere habitationem* ſuam, *facere bellum, vel deponere : gerere res magnas, mediocres quoque, & exiguas. Cuncti enim ignaviores* ſunt. *in novis inceptis, ſi non conſideraverunt id quod erant facturi. Nihil eſt quod flagitet majorem ſollicitudinem, quam meditari, quid ſit faciendum. Poſteà* enim *caſus, non* autem *prudentia, gubernat imprudentes.*

Verùm ego nunc redeo quo me *partes* meæ *vocant.* Vos *plaudite, cogitantes ut* benè *adminiſtretis veſtram rempublicam.*

NOTÆ.

1. *Ephyra.*] Corinthus Græciæ lumen, in Iſthmo poſita urbs, teſte Stephano : Ephyra etiam, Epope, Pagos & Heliopolis eſt appellata. Corinthium fuiſſe Periandrum ſapientem Ariſtoteles affirmat, teſte Laërtio in Periandri vitâ

2. Μελέτη, *&c.*] Hujus etiam dicti Periandrum auctorem facit idem Laertius. In carmine Græco lib. 1. Anthologiæ epigrammatum Græcorum, quod infrà referam, non hæc ſententia Periandro aſſignatur, ſed Χόλου κρατεῖν, *iram cohibere.*

3. *Meditationem, &c.*] Id eſt *rerum gerendarum ſummam in conſilio rectè capiendo conſiſtere.*

4. *Rei gerendæ eſt efficax.*] Id eſt *rectè perficit id quod gerendum ſuſcepit.*

5. *Terentius.*] In principio actûs ſecundi Phormionis.

Demipho.

Quamobrem omnes, cum ſecundæ res ſunt maxume, tum maxume
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant
Pericla, damna, &c.

6. *Dehinc incogitantes, &c.*] Cicero in Oratore ſect. 23. *Sed ingredientibus conſiderandum fuit, quid ageremus. Nunc quidem jam quocumque feremur danda nimirum vela ſunt.*

Digitized by Google

EORUNDEM
SEPTEM SAPIENTUM
SENTENTIÆ,
SEPTENIS VERSIBUS
AB EODEM AUSONIO
EXPLICATÆ.

Bias Prieneus.

309 [1] QUÆNAM ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.
Pernicies homini quæ maxima? [2] Solus homo alter.
Quis dives? [3] Qui nil cupiat. [4] Quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherima? [5] Vita pudica.
Quæ caſta eſt? [6] de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Quum poſſit, nolle nocere.
Quid ſtulti proprium? Non poſſe, & velle nocere.

INTERPRETATIO.

Quodnam eſt ſupremum bonum? Animus ſibi benè conſcius. Quodnam eſt ſummum malum hominis? Alius homo tantùm. Quis eſt *locuples?* ille *qui nihil concupiſcat. Quis* eſt *inops? Avarus. Quanam eſt præclariſſima dos matris familias? Mores caſti. Quanam eſt pudica* mulier? *Illa cui fama non audet* crimen *affingere. Quodnam* eſt *factum* hominis *ſapientis? Nolle* alium *lædere, cum ſit facultas* ipſi. *Quid proprium eſt ſtulti? Non poſſe* alium *lædere, & tamen velle.*

NOTÆ.

1. *Quanam ſumma boni?*] Non congruunt hæ, quæ ſingulis Sapientibus ab Auſonio tribuuntur, ſententiæ, cum iis quæ ipſis apud Laërtium aſſignantur.

2. *Solus homo alter.*] Congruit cum hoc Plauti, Aſinariâ act. 2. ſcen. 4. *Lupus eſt homo homini, non homo.* Huc facit Cicero lib. 2. de Officiis: *Ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum, atque conſenſu: ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur.*

3. *Qui nil cupiat.*] Nam, ut ait Pub. Syrus:

Inſtructa inopia eſt in divitiis cupiditas.

4. *Quis pauper? Avarus.*] Siquidem juxtà eundem:

Inopiæ pauca deſunt, avaritiæ omnia.

&

Tam deeſt avaro quod habet, quam quod non habet.

5. *Vita pudica.*] Quippe, ut ait Comicus, *ſatis dotata eſt quæ morata eſt probe.*

6. *De qua mentiri fama veretur.*] Quæ etiam à ſuſpicione eſt libera, ut ſuam eſſe oportere dicebat Cæſar, interrogatus cur ab illâ divertiſſet quam non comperiſſet adulteram.

Pittacus Mitylenæus.

310 [1] LOqui ignorabit, qui tacere neſciet.
[2] Bono probari malo, quam multis malis.
[3] Demens ſuperbis invidet felicibus.
[4] Demens dolorem ridet infelicium.
[5] Pareto legi, [6] quiſque legem ſanxeris.
[7] Plures amicos re ſecunda compara.
Paucos amicos rebus adverſis proba.

INTERPRETATIO.

Ille *neſciet loqui*, *qui neſciet ſilere. Malo placere* uni *probo* homini, *quàm pluribus improbis. Stultus* ille eſt qui *invidet ſuperbis fortunatis. Stultus* eſt, qui *illudit malis infortunatorum. Quiſquis* es, qui *tuleris legem*, *obtempera legi. Si fortuna afflaverit*, *concilia tibi multos amicos: ſi reflaverit*, *explora paucos.*

NOTÆ.

1. *Loqui ignorabit.*] Ejuſdem eſt artis, ſcilicet prudentiæ, rectè tacere, & rectè loqui, inquit ad hunc locum Eraſmus. qui hæc Auſonii heptaſticha expoſuit.

2. *Bono probari*, &c.] Non refert quàm multi laudent, ſed quales. Nam ab improbis laudari, vituperari eſt. *Eraſmus.*

3. *Demens ſuperbis*, &c.] Stultum eſt invidere ſuperbis & malis, cùm opibus cæteriſque, quæ homines vulgò bona putant, abundant: in mediis enim illis ſunt ii miſeri, & falſa ſemper atque apparens dumtaxat eſt eorum felicitas.

4. *Demens dolorem ridet*, &c.] Quippe cum ei ſimilis dolor impendeat. Hic enim eſt loci hujus ſenſus, non quem Eraſmus affert.

5. *Pareto*, &c.] Eraſmus: *quod aliis præſcripſeris, ipſe ſervato*: rectè.

6. *Quiſque.*] Pro *quiſquis* ſeu *quicunque*, quo ſenſu etiam in D. Cypriano, Prudentio, Sidonio Apollinari & aliis ejus ævi ſcriptoribus occurrit. Sic etiam infrà in heptaſticho Cleobuli: *Parcit quiſque malis*, id eſt *quicunque* parcit malis, *perdere vult bonos.*

7. *Plures amicos*, &c.] Proſpera fortuna conciliat multos amicos, at reflante fortunâ pauci manent, ſed ſinceri. *Eraſmus.*

Cleobulus Lindius.

311 [1] QUanto plus liceat, tam libeat minus.
[2] Fortunæ invidiæ eſt immeritus miſer.
[3] Felix criminibus nullus erit diu.
[4] Ignoſcas aliis multa: nihil tibi.

INTERPRETATIO.

Quò plus poſſis, *hoc velis minus. Qui miſer* eſt *nullo ſuo merito*, *adducit fortunam in odium. Nemo diu fruetur felicitate* partâ *ſceleribus. Condones aliis multa*, *tibi* verò *nihil. Quiſquis ig-*

NOTÆ.

1. *Quanto plus*, &c.] Quo potentior es, hoc magis cave ne quid preces, & quo plus tibi permittunt homines ob principatum, hoc ipſe minus permittas tibi. *Eraſmus hic.*

2. *Fortunæ*, &c.] Cum bonis malè eſt, fortunæ imputatur, cum ea ſæpe magnatum ſit culpa. *Idem.*

3. *Felix*, &c.] Felicitas malo parta non eſt diuturna. *Idem.*

4. *Ignoſcas*, &c.] In alios lenis eſto, in te ipſum ſeverus. *Idem.*

[1] Parcit quiſque malis, perdere vult bonos.
[2] Majorum meritis gloria non datur:
Turpis ſæpè datur fama minoribus.

INTERPRETATIO.

noſcit improbis, ille vult probos corrumpere. Laus non pervenit ad poſteros ex rectè factis majorum, ſed *infamia ſæpè* ex illis ad eos *pervenit.*

NOTÆ.

1. *Parcit quiſque, &c.*] *Quiſque* hìc pro *quiſquis*, ut jam obſervavi ſuprà. Amplector lectionem Gronovii: *Parcit quiſque malis, perdere vult bonos.* Invitat ſcilicet ad peccandum qui peccata relinquit impunita, ſicque *perdit*, id eſt, ut expoſui in interpretatione, *corrumpit bonos.* Quod conſonat cum hoc Terentii:

Noſtrapte culpa facimus, ut malis expediat eſſe,

& cum his Publii Syri:

Invitat culpam, qui peccatum præterit.
Quum vitia proſunt, peccat qui rectè facit.
Felix improbitas optimorum calamitas.

Et magis adhuc cum hoc ejuſdem, ex quo expreſſum Auſonianum illud videtur:

Bonis nocet quiſquis pepercerit malis.

Nec intercedo tamen quominus hoc *nocet*, & illud *perdere vult bonos*, non *exemplo* tantùm, ſed etiam *re* interpreteris. Boni enim in tutelâ ſunt legum, quas ſi malis violare impunè permittitur, nulla jam bonis ſecuritas, nullum præſidium. Neque Vinetus locum hunc probè legit, neque Eraſmus.

2. *Majorum meritis.*] Laus parentum, inquit Eraſmus, non tribuitur poſteris; at probra parentum ſæpè objiciuntur liberis. Similiter Mariangelus Accurſius. Quem ſenſum, ut non negaverim optimum & veriſſimum, non tamen genuinum eſſe hujus loci dixerim. Non tantùm ex probris parentum dedecus parari liberis interpretor, ſed etiam ex rectè factis illorum augeri horum infamiam, collatione ſcilicet paternæ virtutis cum degenerum filiorum vitiis, horum turpitudinem in majus extollente.

Periander Corinthius.

312 [1] NUnquam diſcrepat utile à decoro.
[2] Plus eſt ſollicitus magis beatus.
[3] Mortem optare malum, timere pejus.
[4] Faxis, ut libeat, quod eſt neceſſe.
[5] Multis terribilis, [6] caveto multos.

INTERPRETATIO.

Utilitas numquam differt ab honeſtate: qui plus habet opum, plus habet curarum. Malum eſt expetere mortem, pejus eſt eam *formidare. Da operam ut libenter facias, quod neceſſe eſt*

NOTÆ.

1. *Nunquam diſcrepat.*] Nihil utile quod non honeſtum. *Eraſmus.*

2. *Plus eſt ſollicitus.*] Quo quiſque ditior, hoc magis ſollicitus vivit. *Idem.*

3. *Mortem optare malum.*] Miſer eſt qui tædio vitæ mortem optat, ſed miſerior qui amore vitæ ſemper timet mortem. *Idem.*

4. *Faxis ut libeat.*] Quod neceſſe eſt facere, fac ut libenter facias. *Idem.*

5. *Multis terribilis*] Quem multi timent, is multos timeat neceſſe eſt. *Idem.*

6. *Caveto multos.*] Veriſimile eſt enim illos, ut te excutiant à ſuis cervicibus, aliquam tui de medio tollendi viam inituros.

[7] Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

INTERPRETATIO.

te facere. Cum *formidabilis* eris *multis, time multos. Si fortuna* tibi *favet, ne* nimiùm *extollaris. Si fortuna* tibi *minatur, ne* nimiùm *deprimaris.*

NOTÆ.

7. *Si fortuna juvat.*] Ne extollaris fortunæ proſperitate: in rebus adverſis ne frangaris animo. *Eraſmus.* Horat. ode 3. lib. 2. carm.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia.

Solon Athenienſis.

313 [1] DIco tunc beatam vitam, quum peracta fata ſint.
[2] Par pari jugator conjux. Quicquid impar, diſſidet.
[3] Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
[4] Clam coarguas propinquum, [5] propalam laudaveris.
[6] Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
[7] Certa ſi decreta ſors eſt, quid cavere proderit?
Sive ſint incerta cuncta, quid timere convenit?

INTERPRETATIO.

Aio tunc vitam dici poſſe *felicem, cum fato* quis *functus eſt. Par uxor jungatur pari marito. Quodcunque eſt impar male congruit.* Veri *honores numquam caſu dabuntur. Corripe occultè conſanguineum, lauda* autem *publicè. Longè præſtantius eſt fieri* meritis *nobilem, quàm gigni. Si certum fatum* nobis *ſtatutum eſt, quid proderit præcavere? Si verò omnia ſunt incerta, quid opus eſt metuere?*

NOTÆ.

1. *Dico tunc.*] Pulmanni codex: *tunc beatam dico vitam cum peracta fata ſint.* Nemo beatus niſi qui feliciter obierit diem. *Eraſmus.* Vide ſuperius notata in Solone, & in Ludio.

2. *Par pari, &c.*] Firmiſſima eſt amicitia, quæ inter pares coiit. *Eraſmus.* Tritum eſt illud: *Nube pari.*

3. *Non erunt, &c.*] Honos verus virtutis eſt præmium, non munus fortunæ. *Eraſm.*

4. *Clam coarguas.*] Amicum laudato palam, ſed errantem occultè corripe. *Idem Eraſmus.*

5. *Propalam.*] Pulmanniani codicis eſt *propalam.* Alii minus benè *quem palam.*

6. *Pulchrius multo, &c.*] Clarior eſt nobilitas quam ipſe tuis virtutibus tibi pararis, quam quæ ex majorum imaginibus contingit. *Idem.*

7. *Certa ſi decreta, &c.*] Si fatum vitari non poteſt, quid prodeſt præſciſſe? ſin incertum, ſtultum eſt timere quod an eventurum ſit neſcias. *Idem.*

Chilo

Chilo Lacedæmonius.

314 [1]NOlo minor me timeat, deſpiciatque major.
[2] Vive memor mortis, uti ſis memor & ſalutis,
Triſtia cuncta exſuperans aut animo, aut amico.
[3] Tu bene ſi quid facias, non meminiſſe fas eſt.
Quæ benefacta accipias, perpetuo memento.
[4] Grata ſenectus homini, [5] quæ parilis juventæ.
Illa juventa eſt gravior, [6] quæ ſimilis ſenectæ.

INTERPRETATIO.

Nolo ut inferior me metuat, & ſuperior me *contemnat.* Sic *cogita mortem vivendo, ut memineris etiam vitæ* tuæ ſervandæ, *domans mærorem omnem vel animi* magnitudine, *vel amici conſuetudine. Si quod benefactum conferas, non debes ejus recordari. Quæ beneficia acceperis, recordare ſemper* illorum. *Senectus* illa *jucunda* eſt *homini*, *quæ ſimilis* eſt *juventuti. Illa juventus moleſtior eſt, quæ ſimilis* eſt *ſenectuti.*

NOTÆ.

1. *Nolo minor, &c.*] Sic eſt moderanda vitæ ratio, ut nec inferioribus ſis formidini, quod eſt tyrannicum, nec ſuperioribus contemptui, quod eſt abjectæ fortunæ. *Eraſmus.*

2. *Vive memor, &c.*] Sic fuge turpia, quaſi hodie moriturus; ſic cura honeſta ſtudia, quaſi ſemper victurus, inquit Eraſmus; qui etiam verſum hunc aliter legit, immemor ejus quod ipſe monet, carmen hoc choriambicum eſſe ex choriambis tribus, & amphibrachis. Quæ menſura non reperitur in his quæ ſubſtituit. Itaque vel legendum ut in Vulgatis:

> *Vive memor mortis uti, ſis memor & ſalutis.*

vel ut in Pulmanni codice:

> *Vive memor mortis: item vive memor ſalutis.*

quod ut idem ſignificat, ita minus acutum videtur. Senſus meo judicio hic eſt: *Sic fruendum vitæ bonis ut ea cogitemus aliquando morte tollenda; ſic de morte cogitandum, ut illa cogitatio animum noſtrum non affligat hnmi, neque impediat quominus vitâ utamur, fruamur; proindeque ſi mæror aliquis gravior inciderit, eum diſcutiamus aut animi vigore, aut allocutione & conſuetudine ſuavis alicujus amici.* Hos enim duos verſus interpunctione ſublatâ conjunctim lego:

> *Vive memor mortis, uti ſis memor & ſalutis*
> *Triſtia cuncta exſuperans aut animo, aut amico.*

3. *Tu bene ſi quid facias, &c*] Conſimile eſt illud Tullii ex Demoſthene *De coronâ* expreſſum: *Beneficia meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare qui contulit.* Et illud Publii Syri:

> *Beneficium ſe dediſſe qui dicit, petit.*

4. *Grata homini, &c.*] Florida ſenectus ſimillima eſt adoleſcentiæ; moroſa juventus ſimillima eſt ſenectuti. *Eraſmus.*

5. *Quæ parilis juventa.*] Quæ læta eſt & hilaris ut juventus.

6. *Quæ parilis ſenectæ*] Quæ moroſa eſt & tetrica ut ſenectus ſolet.

Digitized by Google

Thales Mileſius.

315 [1]TUrpe quid auſurus, te ſine teſte time.
[2]Vita perit, mortis gloria non moritur.
[3]Quod facturus eris, dicere ſuſtuleris.
[4]Crux eſt, ſi metuas, vincere quod nequeas.
[5]Quum vere objurgas, ſic inimice juvas:
Quum falſo laudas, tunc & amice noces.
[6]Nil nimium. Satis eſt: ne ſit & hoc nimium.

INTERPRETATIO.

Cum paras facere aliquid fœdum, te ipſum *reverere, ſi nullus* alius adeſt *teſtis. Vita occidit*, at *gloria* parta *egregiâ morte non perit. Abſtine dicere, quod paras facere.* Ingens *cruciatus eſt, ſi timeas* id, *quod non poſſis ſuperare. Quando* me *juſtè corripis, eâ ratione* mihi *benefacis*, etiamſi ſis mihi *inimicus. Quandò* me *laudas immeritò, eâ ratione* mihi *maleſacis, etſi* ſis mihi *amicus. Nihil nimis* cupias. *Satis* præceptorum *eſt* hactenus; *ne & in hoc modus excedatur.*

NOTÆ.

1. *Turpe quid auſurus, &c.*] Heptaſtichum hoc carmen, non Thaletis Mileſii, ſed Anacharſidis Scythæ nomen præſe fert in MSS. Mariangeli Accurſii, & Pulmanni codicibus. Certè & hic ex Sapientibus illis unus habitus eſt, ut ex Laërtio diſcimus. Sic autem hunc verſum exponit Eraſmus: *Quod apud alium pudet te facere, ne ſolus quidem facere auſis, velutì te ipſo teſte.*

2. *Vita perit, &c.*] Etiam poſt mortem vivit gloria benefactorum. *Idem Eraſmus.*

3. *Quod facturus, &c.*] Sile, ſi quid eſt in animo facere, ne quis impediat. *Item.*

4. *Crux eſt, &c.*] Auget ſibi moleſtiam qui timet, quod vitari non poteſt. *Idem.*

5. *Quum vere objurgas, &c.*] Præſtat verè carpi ab inimico, quam falsò laudari ab amico.

6. *Nil nimium, &c.*] Interpunge poſt *nimium*, hoc modo:

Nil nimium. Satis eſt: ne ſit & hoc nimium.

ut fiat ſenſus quem expreſſi in interpretatione.

De iiſdem ſeptem Sapientibus, è Græco.

316 [1]SEptenis patriam Sapientum, nomina, voces,
Verſibus expediam: ſua quemque monoſticha dicent:

INTERPRETATIO.

Explicabo ſeptem verſibus patriam, nomina, & *dicta* ſeptem *Sapientum. Singuli verſus expe-*

NOTÆ.

1. *Septenis patriam, &c.*] Deſumptum hoc è Græco epigram. quod refertur lib. 1. Anthologiæ cap. 86. quod eſt in Philoſophos hoc titulo: Ἀποφθέγματα τῶν ἑπτὰ σοφῶν, quod referre non pigebit.

ἈΠΟΦΘΕΓΜΑΤΑ ΤΩ͂Ν ἘΠΤΑ` ΣΟΦΩ͂Ν.

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.

Chilo, cui patria eſt Lacedæmon, Noſcere ſeipſum.

INTERPRETATIO.

dient ſingulos. Cleobulus Lindius dicit, modum in omni *re* eſſe *optimum. Chilon Spartâ oriun-*

NOTÆ.

Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χείλων δ' ἐν κοιλῇ Λακεδαίμονι, Γνῶθι σεαυτόν.
Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, Χόλου κρατεῖν, Περίανδρος.
Πιττακὸς, οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἦν γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο, Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ, Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ, Θαλῆς Μιλήσιος ηὔδα.

Hoc eſt ad verbum:

SENTENTIÆ SEPTEM SAPIENTUM.

Septem Sapientum dico ad verbum civitatem, nomen, dictum.
Modum quidem Cleobulus Lindius dixit optimum:
Chilon verò ex cava Lacedæmone, noſce teipſum:
Qui verò Corinthum habitabat, iram moderari, Periander.
Pittacus, nihil nimis, qui erat genere ex Mitylene:
Finem vero intueri vitæ Solon ſanctis in Athenis:
Plures malos verò Bias dixit Prieneus:
Sponſionem fugere vero Thales Mileſius dixit.

Quo epigrammate inductus, verſum Cleobuli qui in vulgatis quartus eſt, primum reponi, curavi quod jam Accurſius monuerat. Hyginus, ſeu quis alius ſub ejus nomine, in fabulis fab. 221. aliud Heptaſtichon Sapientum affert, nempe:

Optimus eſt, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre doces, cuncta ut meditanda.
Tempus noſce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures eſſe malos, Bias autumat ille Prieneus.
Mileſiuſque Thales ſponſori damna minatur.
Noſce, inquit, te te, Chilon Lacedæmone cretus.
Cecropiuſque Solon, ne quid nimis induperabit.

ubi Periandro non quæ in hoc carmine, & in Græco undè expreſſum eſt, ſententia tribuitur, Χόλου κρατεῖν, *iram moderari:* ſed quæ ſuperioribus carminibus, Μελέτη τὸ πᾶν, *meditationem totum eſſe*, ut & apud Sidonium Apollinarem in Panegyrico Anthemii & Epithalamio Polemii & Arancolæ. De iiſdem Sapientibus extant hæc etiam quæ in antiquis libris poſt Sid. Apollin. carmina reperit Vinetus, cujus cujus veterum poëtarum ſint:

Te, Solo, præcipue laudavit Græcia, tuſque
Pittace, Chilo, Thales, Cleobule, Bia,
Periander.
Pittacus ex Leſbo ſatus, & Lacedæmone Chilo.
Mileto natus Thales, & Lindo Cleobulus.
Prisneque Bian tulit, aſt Ephyre Periandrum.
Atticus Actalicum Solo ſeptimus eſt Sapientum.
Hic jubet attente meditarier ultima vitæ.
Ille nihil rerum fieri probat immeditatum.
Eſſe malos plures tandem deprehenderat alter.
Alter habere modum perhibet moderamina rerum.
Quintus opes vitæ communes præcipit eſſe.
Sextus, ut ipſum ſe curet cognoſcere quiſque.
Primus temporibus dat res, & tempora rebus.

Periander, Trepidam moderare, Corinthius, iram.
Ex Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
Menſuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Expectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures eſſe Bias pravos, quem clara Priene.
Mileti, fugiſſe [1] Thales vadimonia, alumnus.

INTERPRETATIO.

dus jubet quemque *noſcere ſemetipſum. Periander Corinthius* dixit, *reprime iram turbidam. Pittacus, cui Mitylene patria eſt, nequid nimium. Solon Athenienſis monet* nos, *ut exſpectemus. finem. Bias, quem Priene inclyta* civitas tulit, dixit *pleroſque* hominum *eſſe malos. Thales enutritus apud Miletum* pronuntiat, optimum factu eſſe, *ſi vites ſpondere* pro aliis.

NOTÆ.

1. *Thales vadimonia.*] Vadimonium à *vade* dictum, ut mercimonium à merce. E Thaletis dicto Turnebus obſervat, quanquam *vadimonii* nomine propriè cenſetur obligatio ſiſtendi ſe judicio, tamen omnem ſponſionem & promiſſionem eo interdùm vocabulo contineri.

[1]AUSONII
BURDIGALENSIS
EDYLLIA.

[2]*Verſus Paſchales Procodicti.* Edyllium I.

317 [3]Sancta ſalutiferi redeunt ſolemnia Christi:
Et [4]devota pii celebrant jejunia Myſtæ.
At nos æternum cohibentes pectore cultum,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura ſacris, jugis reverentia nobis.
Magne pater rerum, cui terra, & pontus & aër,
Tartaraque, & picti ſervit plaga lactea cœli:
Noxia quem ſcelerum plebes tremit, almaque rurſum
Concelebrat votis animarum turba piarum:

Interpretatio.

Sacra annua Chriſti ſervatoris recurrunt: & Sacerdotes pii exercent religioſa jejunia. Nos verò concipientes animo perpetuam in Deum *venerationem, continuè* illi *exhibemus ſinceros honores. Cura* horum *ſacrorum* tantùm *ſemel in anno* nobis redit, ſed *noſtra* in Deum *veneratio perpetua* eſt. *Summe parens mundi, cui tellus, & mare, & æther, & orcus, & candens regio cœli ſtellati ſubdita eſt: quem turba criminum rea pavet, & vice verſa ſanctus cœ-*

Notæ.

1. *Auſonii Burdigalenſis Edyllia.*] Sive Edyllia ſive Idyllia ſcribas, utrumque certè ab *εἶδος ſpecies*. Diminutivum eſt *εἰδύλλιον* ut ab *ἔπος*, *ἐπύλλιον Epyllium*, quæ vox legitur infrà in litteris ad Symmachum. *Εἴδη* porro, & *εἰδύλλια* dicuntur poëmatia, quæ novum ſemper argumentum tractant. Adeò ut (inquit Voſſius) qui opuſcula ſua hoc pacto inſcribit, is nihil dicat de materiâ totius, ſed ad ſingulos partes remittat. Sic Pindari Poëmatia olim *εἴδη* inſcribebantur. Sic opuſcula ſua *εἰδύλλια* inſcripſit Theocritus: & hæc Auſonius.

2. *Verſus Paſchales, &c.*] Quid ſibi velit *Procodicti*, Auſonianorum interpretum nemo quod ſciam intellexit. Corrupta procul dubio vox eſt. Sed, quid in ejus locum ſubſtituendum ſit, non video. Scaliger putat legendum *Proclo dicti* quaſi eos Proclo alicui amico ſuo dixerit, ſeu miſerit Auſonius. Utere hâc conjecturâ, donec melius quid ſuppetat.

3. *Sancta, &c.*] Feſtum ſcilicet Dominicæ reſurrectionis. Undè, in Pariſienſi vetere editione, & quibuſdam aliis, carminis hujus titulus erat: *Verſus in Dominicam reſurrectionem.*

4. *Devota jejunia.*] Quadrageſimæ jejunium, quod jam ab Eccleſiæ primordiis Paſchæ prævium fuiſſe cùm ex aliis veterum locis, tùm ex hoc evinci poteſt.

Digitized by Google

Tu brevis hunc ævi curſum, celeremque caducæ
Finem animæ donas, æternæ munere vitæ.
[1] Tu mites legum monitus, ſacroſque Prophetas
Humano impertis generi: ſervaſque nepotes,
Deceptum miſeratus Adam: quem capta [2] venenis
Implicuit ſocium blandis erroribus Eva.
Tu Verbum, pater alme, tuum, natumque Deumque
Concedis terris totum, ſimilemque, paremque,
Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum:
Ut [3] ſuper æquoreas nabat qui ſpiritus undas,
Pigra immortali vegetaret membra [4] lavacro.
Trina fides [5] auctore uno, ſpes certa ſalutis
Hunc numerum [6] junctis virtutibus amplectenti.
[7] Tale & terrenis ſpecimen ſpectatur in oris
[8] Auguſtus genitor, [9] geminûm ſator Auguſtorum.

INTERPRETATIO.

tus piorum animorum proſequitur votis: tu donas vitâ immortali ſpatium hoc brevis vitæ, & citum exitum infirmi ſpiritûs. Tu largiris hominum generi ſuavia præcepta legum tuarum, *&* monita *ſanctorum Prophetarum: & ſalvos facis Adami poſteros, miſertus* ipſius *deluſi: quem Eva decepta venenatis* verbis, *irretivit* ſuum *participem, dolis* ſibi *blandientibus. Tu ſancte Parens indulges orbi terrarum Verbum tuum, & filium, & Deum, totum tibi ſimilem, & æqualem, verum* Deum *ex vero* Deo, *& viventem ab origine viventi. Ille inſtructus tuis præceptis adjecit hoc unum: ut ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas maris, reficeret torpentes artus* hominum *in lavacro ſalutifero. Fides trium* perſonarum in Deo, *ab unâ origine, eſt certa ſpes ſalutis ei, qui hunc numerum* credendo *apprehendit, conjungens* cum fide *virtutes. In terrâ ſimile exemplum cernitur Auguſtus pater procreator duorum Auguſtorum. Qui complectens*

NOTÆ.

1. *Tu mites legum monitus.*] Juxtà illud Chriſti Domini: *jugum meum ſuave eſt & onus meum leve.*

2. *Venenis.*] Serpentis ſuaſionibus.

3. *Super æquoreas.*] Geneſ. 1. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas:* quem locum de flatu & vento quidam: noſter, cum aliis non paucis, de Sancto Spiritu interpretatur.

4. *Lavacro.*] Baptiſmum intellige.

5. *Auctore uno.*] Patre à quo genitus filius eſt, & ab utroque Spiritus procedit.

6. *Junctis virtutibus.*] Addendo bona opera, ſine quibus mortua fides, ut vocant, & inutilis ad ſalutem eſt.

7. *Tale & terrenis ſpecimen, &c.*] Tale etiam ſpecimen Anatolici illi, ſeu Aſiæ Minoris populi, ſub Conſtantino Pogonato cernere volebant, qui apud Chryſopolin dicebant, ut refert Cedrenus, ὅτι εἰς τριάδα πιστεύομεν, τοὺς τρεῖς στέψωμεν, *quoniam in Trinitatem credimus, tres coronemus.* Ἐταράχθη δὲ Κωνσταντῖνος. Pergit idem; *μόνος γὰρ οὗτος ἦν ἐστεμμένος· οἱ δὲ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Τιβέριος καὶ Ἡράκλειος οὐδεμίαν εἶχον ἀξίαν. Perturbatus autem eſt Conſtantinus. Is enim ſolus coronatus erat. Fratres vero ejus Tiberius & Heraclius nullum honoris gradum obtinebant.*

8. *Auguſtus genitor.*] Valentinianus Imperator.

9. *Geminûm Auguſtorum.*] Valentis fratris, & Gratiani filii ſui.

Qui fratrem, natumque pio complexus utrunque
Numine, [1] partitur regnum, neque dividit unum,
Omnia ſolus habens, atque omnia dilargitus.
Hos igitur nobis trina pietate vigentes,
Rectores terræ placidos, [2] cœlique miniſtros,
Chriſte apud æternum [3] placabilis aſſere patrem.

INTERPRETATIO.

affectu paterno fratrem, ſimul & filium, partitur cum iis, *neque* tamen *ſcindit Imperium unum, tenens ſolus omnia,* quanquam *largitus* ſit *omnia. Ergo, ô Chriſte, propitius impetra à patre æterno*, ut *nobis* ſervet *illos mites moderatores terræ, & miniſtros cœli, trigemino* inter ſe *affectu corroboratos.*

NOTÆ.

1. *Partitur, neque dividit.*] Indiviſam ſcilicet in totum Romanum Imperium tres illi ſimul Auguſti poteſtatem obtinebant. In quâ indiviſâ trium poteſtate ſpecimen quærit ſanctiſſimæ Triados Auſonius, Principibus ſuis adulans.

2. *Cœlique miniſtros.*] In terris Miniſtros Dei. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, juxtà Apoſtolum, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.

3. *Placabilis.*] Propitius, & *placans.* Sic apud Horatium *diſſociabilis* pro *diſſocianie* Ode 3. lib. 1.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras.

Et *penetrabile frigus*, pro penetrante paſſim apud poëtas, & *reſonabilis Echo*, pro reſonante.

AUSONIUS Lectori ſuo S. D.

318 [1] POſt Deum ſemper patrem colui: [2] ſecundamque reverentiam genitori meo debui. Sequitur ergo hanc ſummi Dei venerationem [3] Epicedion patris mei. Titulus à Græcis auctoribus, defunctorum honori dicatus, non ambitioſus, [4] ſed religioſus: quem commendo Lectori meo, ſive is filius eſt, ſeu pater, ſive utrumque. Neque ut laudet exigo, ſed ut amet, poſtulo. Neque vero nunc patrem meum

INTERPRETATIO.

Semper veneratus ſum patrem meum ſecundum Deum: atque exiſtimavi ſecundos honores à me deberi meo parenti. Eamobrem ſubjunxi huic carmini ſcripto *in honorem ſupremi numinis Epicedion mei patris.* Hæc *inſcriptio* carminis *conſecrata à ſcriptoribus Græcis laudi mortuorum, non ſuperba eſt, ſed pia: quam commendo lectori meo, ſive ille eſt filius, ſive pater, ſive utrumque. Nec poſco ut* eam *laudet, ſed peto ut* eam *diligat. Non autem laudo meum patrem, quo-*

NOTÆ.

1. *Poſt Deum.*] In Græcis ſententiis *Θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς. Dii Maximi ſunt parentes, eorum judicio qui ſapiunt.*

2. *Secundamque reverentiam, &c.*] Platonis, Ciceronis, & aliorum judicio non ſecundam, ſed tertiam, poſt Deum enim Patriam locant, & tertium aſſignant locum parentibus.

3. *Epicedion.*] A Græcâ voce *τὸ κῆδος cura, exequiæ, funus*, eſt *ἐπικήδιον*, carmen quod in funere aut certè in mortui honorem canitur. *Nænia.*

4. *Sed religioſus.*] Religionis enim pars ſemper fuit cura mortuorum. Vide titulos digeſt. & cod. *De Religioſis & ſumptibus funerum.*

laudo, quod ille non eget: & ego functum oblectatione viventium [1] onerare non debeo. Neque dico niſi quod agnoſcunt, qui parti ætatis ejus interfuerunt. Falſum me autem, morte ejus obita, dicere, & verum tacere, ejuſdem piaculi exiſtimo. Imagini ipſius hi verſus ſubſcripti ſunt: neque minus in opuſculorum ſeriem relati. Alia omnia mea diſplicent mihi: hos relegiſſe amo. Vale.

INTERPRETATIO.

niam ipſe non opus habet laude: atque ego non debeo gravare hominem *mortuum delectatione viventium. Neque* quidquam *profero, niſi quod* illi *norunt eſſe verum, qui teſtes fuerunt partis ejus vitæ. Puto autem, cum ille obierit diem ſupremum, æque nefas mihi eſſe falſa loqui, ac aëra premere ſilentio. Hæc carmina ſubſcripta ſunt* à me *ejus effigiei: & ſimul inſerta meis opuſculis. Cætera cuncta mea* carmina *faſtidio mihi ſunt: delector his* verſibus *revolvendis. Vale.*

NOTÆ.

1. *Onerare.*] Id eſt, ei moleſtus eſſe laudatione, quam viventes amant, mortui aſpernantur.

[1] *Epicedion in patrem ſuum Julium Auſonium.* II.

319 [2] NOmen ego Auſonius, [3] non ultimus arte medendi:
Et mea ſi noſces tempora, primus eram.
[4] Vicinas urbes colui patriaque domoque,
Vaſates patria, ſed [5] lare Burdigalam.
[6] Curia me duplex, & uterque Senatus habebat
[7] Muneris exſortem, nomine participem.

INTERPRETATIO.

Ego appellor Auſonius, non poſtremus in medicinæ arte: & ſi cognoſceres meam ætatem, diceres me Principem in eâ *fuiſſe. Fui in* duabus *propinquis civitatibus origine & habitatione: origine* quidem *apud Vaſates, habitatione* verò *apud Burdegalam. Gemina Curia & ambo Senatus me tenebant expertem officii,* & *nomine* tantùm ipſo *gaudentem. Vixi nec dives,*

NOTÆ.

1. *Epicedion.*] Lucilliano ſtylo, patris ſui, itemque prædioli elogium ſcripſit. In quo mihi videtur omnium, quicunque idem tentaturi ſunt, conatus poſſe deterrere. De induſtriâ enim veterem illam ſimplicitatem affectat, & quantum poteſt, ad ejus characterem ſtylum ſuum componit. *Hæc Scaliger.*

2. *Nomen ego Auſonius.*] Id eſt, *quoad nomen* ſum Auſonius. Sic enim ex veteribus libris ſcriptum volunt *nomen*, non autem, ut in quibuſdam, *nomine.*

3. *Non ultimus arte medendi.*] Vide carmen primum Parentalium.

4. *Vicinas urbes.*] Vaſates & Burdigalam, unius tantum diei itinere diſtantes inter ſe.

5. *Lare Burdigalam.*] Quam Vaſatum urbi patriæ ſuæ, ut pote clariorem & celebriorem prætulit, in quâ habitaret.

6. *Curia me duplex, &c.*] Burdigalenſis, & Romana. Cum enim Præfectus Illyrico fuerit, ut habetur infrà, veriſimile eſt eum in civitatem Romanam, atque etiam in ſenatum prius adlectum fuiſſe, quàm ad præfecturam illam eveheretur.

7. *Muneris exſortem, &c.*] Honorarium, ut vocant, & ſolo nomine ſenatorem.

[1] Non

[1] Non opulens, nec egens: parcus ſine ſordibus egi.
Victum, habitum, mores [2] ſemper eadem habui.
[3] Sermone impromptus Latio: verum [4] Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquii.
Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ:
Officiumque meum cum pietate fuit.
Judicium de me ſtudui præſtare bonorum:
Ipſe mihi nunquam, judice me, placui.
Officia in multos diverſo debita cultu,
Perſonis, meritis, tempore diſtribui.
Litibus abſtinui: non auxi, non minui rem.
Indice me nullus, ſed neque teſte perît.
Invidi nunquam. Cupere atque ambire refugi.
Jurare, aut falſum dicere, par habui.
Factio me ſibi non, non conjuratio junxit.
Sincero colui fœdere amicitias.
[5] Felicem ſcivi, [6] non qui, quod vellet, haberet:
Sed qui per fatum non data non cuperet.

INTERPRETATIO.

nec pauper: parcus, neque tamen *avarus. Semper uſus ſum eodem victu, eodem veſtitu, &* iiſdem *moribus. Imparatus ad loquendum Latinè: ſed lingua Græca ſuppeditavit* mihi *verba ad eloquentiam expolitam. Exhibui auxilium gratuitum* meæ *artis omnibus* illud *flagitantibus: & officium meum fuit conjunctum cum pietate. Eniſus ſum reſpondere opinioni* quam viri *probi de me* conceperant: *Ego* verò *numquam mihi* ipſi *probatus ſum, meo judicio. Diviſi juxta perſonas, merita, & tempora, officia quæ debebam multis cum honore diverſo. Fugi lites: non amplificavi, neque detrivi bona* mea. *Nemo morti additus eſt meâ delatione, aut etiam meo teſtimonio. Numquam invidi* alienis bonis. *Carui cupiditate atque ambitione. Perinde exiſtimavi mentiri, & pejerare. Nulli factioni aut conſpirationi me immiſcui. Obſervavi amicitias purâ fide: cenſui* illum eſſe *beatum, non qui poſſideret quodcumque optaret: ſed qui non optaret* ea

NOTÆ.

1. *Non opulens.*] Sic & in claris urbibus, carmine de Mediolano, *opulenſque Moneta*, pro *opulenta*.

2. *Semper eadem habui.*] In vulgatis *eoſdem*, plano ſenſu: ex vett. libb. reſtituit Scaliger *eàdem*, quod adverbialiter ſumendum monet, ut apud Græcos ταὐτῇ, id eſt *ὁμοιοτρόπως*. *Eàdem* ſupple *ratione*.

3. *Sermone impromptus Latio.*] Livius lib. 7. ab urbe condita: *Quia infacundior ſit, & lingua impromptus.*

4. *Attica lingua.*] Quam ut pote medicus magis coluerat.

5. *Felicem ſcivi.*] Id eſt *cenſui, decrevi, ſtatui*. A *ſciſco* eſt; ut *plebs ſcivit*, paſſim apud Livium, & *Plebiſcita, decreta plebis*.

6. *Non qui quod vellet haberet, ſed qui, &c.*] Horatius libro quarto carminum Ode 9.

Non poſſidentem multa, vocaveris
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati, &c.

Non [1] occurſator, non garrulus, obvia cernens,
  Valvis & velo condita non adii.
Famam, quæ poſſet vitam lacerare bonorum,
  Non finxi: & veram ſi ſcierim, tacui.
Ira procul: ſpes vana procul: procul anxia cura;
  Inque bonis hominum gaudia falſa procul.
Vitati cœtus, ejuratique tumultus,
  Et ſemper fictæ Principum amicitiæ.
[2] Deliquiſſe nihil nunquam laudem eſſe putavi,
  Atque [3] bonos mores legibus antetuli.
Iraſci promptus, properavi condere motum:
  Atque mihi pœnas pro levitate dedi.
Conjugium per luſtra novem, ſine crimine, concors,
  Unum habui: [4] gnatos quattuor edidimus.
[5] Prima obiit lactens. At [6] qui fuit ultimus ævi,
  Pubertate rudi [7] non rudis interiit.

INTERPRETATIO.

qua ſibi *fortuna non conceſſiſſet. Non obtuli me importunè obvium* aliis, *non fui loquax, aſpexi quæ occurrebant, ſed non acceſſi ad* ea *quæ occultabantur foribus, & ſipario. Non commentus ſum rumores, qui poſſent diſcerpere vitam proborum* hominum: *& ſi quos novi veros, preſſi* eos *ſilentio.* Amovi *longè à me iram; longè ſpem inanem: longè ſollicitudinem inquietam; longè etiam falſam lætitiam in bonis humanis. Fugi conventus* hominum, *odio habui turbas, & amicitias Principum ſemper ſimulatas. Numquam exiſtimavi laudi* ducendum *eſſe* mihi, *quod non peccaviſſem, & prætuli legibus probos mores. Cum facilè abriperer irâ, curavi premere* illam *permotionem: & ſumpſi de me* ipſo *ſupplicium* quod tam *levi de cauſâ* iraſcerer. *Vixi in unica Matrimonio per quadraginta quinque annos, abſque exprobratione,* & *unanimiter: procreavimus quatuor liberos. Prima mortua eſt* adhuc *ſub nutrice. Sed* ille *qui fuit minimus natu, obiit in prima pubertate non imperitus. Maximus*

NOTÆ.

1. *Occurſator.*] Is eſt, qui aliis opportunè importunè ſeſe offert obvium, ſalutandi, ſciſcitandi, & de rebus audiendi gratiâ.

2. *Deliquiſſe nihil, &c.*] Similiter in alio argumento Horat. in Arte Poët.

—— Vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

3. *Bonos mores legibus antetuli.*] Id eſt, inductus ſum ad probè vivendum ex amore potius virtutis, & voluptate quæ ex probitate morum percipitur, quàm ex metu pœnarum, quas leges irrogant peccantibus, juxta illud tritum:

Oderunt peccare boni virtutis amore, &c.

4. *Gnatos quattuor edidimus.*] Sic ex veteri libro Vinetus & Scaliger. Nati illi quatuor fuerunt Æmilia Melania, quæ in cunis deceſſit; D. Auſonius poëta noſter; Julia Dryadia, quæ nupſit Pomponio Maximo, & juvenis virum amiſit, de quâ carmen 12. Parentalium; & Avitianus, quem ævi ſupra puberis exire metas vetuit infeſta Atropos, ut habet carm. 13. Parental.

5. *Prima.*] Æmilia Melania, de quâ eſt carmen 29. Parental.

6. *Qui fuit ultimus.*] Avitianus.

7. *Non rudis.*] De hoc in carm. 13. Parental.

Minor iſte natu me, ſed ingenio prior
Artes paternas imbibit.

[1] Maximus ad ſummum culmen pervenit honorum,
[2] Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio,

Interpretatio.

natu *evectus eſt ad ſupremum faſtigium dignitatum*, *Præfectus* Prætorio *Galliarum*, *& Afri-*

Notæ.

1. *Maximus.*] Ipſe Auſonius Poëta.

2. *Præfectus Gallis, &c.*] Noſter in Protreptico ad Nepotem :

Ut præfecturam duplicem, ſellamque curulem, &c.

Duplicis tantum præfecturæ meminit, quia ſcilicet Libya ſeu Africa ſub Præfecto Præt. Italiæ erat, & per Vicarium regebatur. Eam tamen multo poſt, profligatis Vandalis, Juſtinianus Auguſtus propriam juſſit habere præfecturam, ut patet ex lege *Quas gratias* 1. Cod. *de officio præfecti Prætorio Africæ, & de omni ejuſdem diœceſeos ſtatu.* Sed juvat Scaligeri ad hunc locum obſervationes hic attexere. Poſt tempora, inquit, aut jam à temporibus Conſtantini, certiſſimum eſt quatuor præfectos Prætorii fuiſſe. Cauſa eſt quia jam tum Imperium non diviſum quidem fuit, ut temporibus Caroli Magni, ſed ſocietatem admiſit. Itaque Orientale Imperium fuit, & Occidentale. Ita vides ab illis temporibus numquam ferè Imperatores Romanos ſine ſocio adſcito fuiſſe; quare in Oriente præfectos Prætorio habuerunt, & in Occidente. Secundo poſt Imperatorem gradu fuit Præfectus Prætorio. Quare habebat eadem officia, quæ & Impp. Hoc ex notitiâ Imperii, item ex conſtitutionibus, præſertim ex Codice Theodoſiano patet. In Oriente ſedes Imperii fuit Conſtantinopolis : in Occidente Roma. Ita Conſtantinopoli ubi erat Imperator, ibi & Præfectus Prætorio; & Romæ, ubi etiam ſocius Imperii, ibi & Vicarius Imperatoris, hoc eſt Præfectus Prætorio. Quia tamen neque Romæ unus ſufficiebat, alter in Occidente Prætor, alter in Oriente creatus eſt. Primus igitur in Oriente, Conſtantinopoli, ſecundus in Illyrico; in Occidente primus Romæ, alter in Galliis, in urbe Treveris. Ita invenimus in Oriente Præfectum Prætorio Orientis, hoc eſt Conſtantinopolis, qui ſub ſe habebat Aſiam, Syriam, Pontum, &c. Præfectum Prætorio Illyrici, qui ſub ſe habebat Græciam, Myſiam, Daciam, & alia. In Occidente Præfectum Prætorio Italiæ, hoc eſt Romæ, qui ſub ſe habebat Italiam, Hiſtriam, Dalmatiam, Africam. Præfectum Prætorio Galliarum, qui ſub ſe habebat Gallias, Britanniam & Hiſpanias, antequam Hiſpaniæ regerentur à Proconſule, quod accidiſſe temporibus Gratiani auctor eſt Severus Sulpitius. Auſonius poëta fuit Præfectus Prætorio Italiæ : at fuit Præfectus Prætorio Italiæ alius à Præfecto urbis. Auſonius nunquam fuit Præfectus urbis, ſed primùm Præfectus Prætorio Italiæ. Quem Magiſtratum neſcio quâ calamitate diutius gerere non potuit, ſed, ut inquit ipſe, quaſi fortunam pœnitere videretur, quod diuturnum illum honorem ei conſervare non potuiſſet, præfecturam Galliarum obtinuit. Itaque ait :

Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio.

Nam & Galliarum, & Italiæ Præfectus fuit. At Libyæ Præfectus idem cum Italiæ Præfecto. Quin etiam alibi profitetur ſe ſecundam Præfecturam habuiſſe, cum ait :

Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.

Secundum titulum præfecturæ vocat Gallias. Ea enim erat Occidentis ſecunda præfectura, ut Italiæ, prima. Quare Alciatus immane quantum hallucinatus eſt in eo verſu interpretando in annotationibus in Cornel. Tacitum. Juſtiniani temporibus duo tantum primùm fuerunt Præfecti Prætorio, illi videlicet, qui ante eum à Conſtantini temporibus erant, hoc eſt, Præfectus Prætorio Illyrici, & Præfectus Prætorio Orientis. Nam Occidentem Barbari occupaverant. Sed receptâ Africâ, ipſe novum addidit Præfectum Prætorio, cum anteà eſſet ſub Præfecto Prætorio Italiæ, & ibi præficeretur Vicarius ab ipſo Præfecto Prætorio. Nam ita Africa erat ſub Præfecto

Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore ſerenus,
[1] In genitore ſuo mente animoque pater.
Hujus ego & [2] natum, & [3] generum pro Conſule vidi.
[4] Conſul ut ipſe foret, ſpes mihi certa fuit.
Matronale decus poſſedit [5] filia: cujus
Egregia & nuptæ laus erat, & viduæ;
Quæ [6] nati, [7] generique & [8] progeneri, [9] ſimul omnium
Multiplici illuſtres vidit honore domos.
Ipſe nec affectans, nec detrectator honorum,
[10] Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia ſuaſit,
Numine adorato, [11] vitæ abitum petere.
Ne fortunatæ ſpatium [12] inviolabile vitæ,
Fatali admorſu ſtringeret ulla dies.

Interpretatio.

•a, ac Italiæ; placidus, mitis, blandus aſpectu, loquelâ, & vultu, animo & pectore paterno •rga ſuum patrem. Ego vidi ejus filium, & generum in Proconſulari dignitate. Et habui ſpem haud dubiam, fore *ut ipſe conſul evaderet. Filia gaviſa eſt honore matris familias: quæ floruit inſigni laude* pudicitiæ, *& per matrimonium, &* dum eſſet *vidua; quæ vidit domos filii, & generi, ac progeneri, omnium ſimul claras multis dignitatibus.* Ego *ipſe nec quærens, nec fugiens honores, appellor præfectus magni Illyrici. Hæc ampla fortunæ benignitas induxit me, ut Deo adorato, precarer* ab ipſo *migrationem è vita, ne aliqua dies fatali morſu carperet ſpatium* meæ

Notæ.

Prætorio Italiæ, ut Britannia, & Hybernia ſub Præfecto Prætorio Galliarum. Formula Præfecti Prætorio extat apud Caſſiodorum lib. 6. *Hactenus Scaliger.*

1. *In genitore ſuo.*] Pro *in genitorem ſuum.* Sic Ovid. lib. 5. Triſtium Eleg. 2.

Sæpe ſuo victor lenis in hoſte fuit.

2. *Natum.*] Heſperium.

3. *Generum.*] Val. Latinum Euronium, de quo eſt carmen 14. Parentalium.

4. *Conſul ut ipſe foret, ſpes mihi.*] Nec enim filium Auſonium Conſulem vidit pater, qui obiit ante ejus conſulatum quem Olibrio Hermogeniano collegâ geſſit, anno Chriſti 382.

5. *Filia.*] Julia Dryadia Pomponii Maximi, ut ſuſpicatur Vinetus, uxor, de quâ eſt carmen 12. Parental. quod vide; facit enim ad totum hunc locum.

6. *Nati.*] Arborii, qui Veriam Liceriam uxorem duxerat, de quâ eſt carmen XVI. Parent. Nam alter Pomponius Maximus Herculanus de quo eſt carm. XVII. juvenis obierat.

7. *Generique.*] Paulini, de quo carm. XXIV. Parent. qui Megentiram ejus filiam duxerat.

8. *Progeneri.*] Mariti Dryadiæ, quæ Paulini & Megentiræ fuit filia, & quater enixa obiit, ut patet ex carm. Parent. XXIII.

9. *Simul omnium.*] *Omnium* diſſyllabum legendum eſt. Sic apud Lucretium lib. 5.

Imbecillorum eſſe æquum miſererier omnium.

10. *Præfectus, &c. nuncupor*] Solo nomine, & honoris tantum cauſâ; non autem quod revera Præfecturâ illâ fungeretur, cujus titulum ei vel filius Auſonius, vel ſua ipſius peritia ab Imperatore impetraverat. Sic ſupra

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat
Muneris exſortem, nomine participem.

11. *Vitæ abitum.*] Mortem.

12. *Inviolabile.*] Hactenus *inviolatum*, non autem, *quod violari non poſſet.*

[1] Obtinui: auditæque preces: ſpem, vota, timorem,
  Sopitus placido fine, relinquo aliis.
Inter mœrentes, ſed non ego mœſtus, amicos
  Diſpoſitis jacui funeris arbitriis.
Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
  Exegi, cunctis integer officiis.
Hæc quicunque leges, non aſpernabere fari:
  Talis vita tibi qualia vota mihi.

INTERPRETATIO.

Vita felicis, nullo anteà *læſum* infortunio. *Impetravi; & preces* meæ *exauditæ ſunt*: ego; *ſopitus tranquillâ morte, relinquo cæteris ſpem, deſideria, & metum. Ego in medio amicorum* meorum *lugentium, ſed non* ipſe *lugens, obii, ordinatis prius quæ in funere* meo fieri *volebam. Tranſegi nonaginta annos abſque ſcipione, cum totum* meum *corpus plenè exercerei omnia* ſua *munia. Quiſquis leges hæc, non dedignaberis dicere: Talis vita tibi* fuit, ô Auſoni, *qualem ego cuperem* mihi eſſe.

NOTÆ.

1. *Obtinui.*] A Deo, ut morerer.

[1] Quum [2] de palatio, poſt multos annos honoratiſſimus, quippe jam Conſul, rediſſet ad patriam, villulam quam pater reliquerat introgreſſus, his verſibus luſit, [3] Luciliano ſtilo.

NOTÆ.

1. *Quum de Palatio, &c.*] Hæc veluti præfatiuncula eſt ſequentis poëmatii, aliûs quam Auſonii, ut videtur manu adjecta, præfixo hoc titulo: *Incipit de prædiolo-præfatio in proſa.*

2. *De Palatio.*] Ex aula Romani Principis.

3. *Luciliano ſtilo.*] In MSS. *Luciano.* Repoſuit *Luciliano* Scaliger, ut & initio Satyrici Petronii: *Sed ne me putes improbaſſe ſchedium Lucilianæ improbitatis*, vel, ut alii, *humilitatis.* At quid hîc per Lucilianum ſtilum intelligendum? An inelaboratum opus & extemporanea ſcriptio, ut Boſchius exponit ad locum Petronii ſupra laudatum, & qualis fuit teſte Horatio Lucilii ſtilus, qui in horâ ſæpè ducentos verſus dictabat ſtans pede in uno, & fluebat lutulentus? An potius ſimplex quidem & neglectum, ſed venuſtatis antiquæ opuſculum?

Auſonii Villula. III.

SAlve [1] hæærediolum, majorum regna meorum,
  Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.

INTERPRETATIO.

Salve prædiolum, poſſeſſio meorum majorum, quod proavus meus, *quod avus, quod pater*

NOTÆ.

1. *Herediolum.*] Columella, in præfatione lib. 1. de Re Ruſticâ: *Ex quâ Q. Cincinnatus obſeſſi Conſulis & exercitûs liberator ab aratro vocatus ad Dictaturam venerit, ac rurſus faſcibus depoſitis, quos feſtinantius victor reddiderat, quam ſumpſerat Imperator, ad eoſdem juvencos, & quatuor jugerum avitum heredíolum redierit.*

Quod mihi jam ſenior, properata morte, relinquit;
  Heheu nolueram tam cito poſſe frui.
Juſta quidem ſeries patri ſuccedere: verum
  Eſſe ſimul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor, & curæ mea ſunt. Sola ante voluptas
  Partibus in noſtris: [1] cætera patris erant.
Parvum herediolum, fateor. Sed nulla fuit res
  Parva unquam æquanimis: adde etiam, unanimis.
Ex animo rem ſtare æquum puto, non animum ex re.
  [2] Cuncta cupit Crœſus, [3] Diogenes nihilum;
[4] Spargit Ariſtippus mediis in Syrtibus aurum;
  Aurea non ſatis eſt Lydia tota [5] Midæ.
Cui nullus finis cupiendi eſt, nullus habendi.
  Ille opibus modus eſt, quem ſtatuas animo.
Verum ager iſte meus quantus ſit, noſce: etiam me
  Noveris, & noris te quoque, ſi potis es:
Quanquam difficile eſt ſe noſcere. [6] Γνῶθι σεαυτὸν,
  Quam propere legimus, tam cito negligimus.

Interpretatio.

aravit. Quod ipſe quanquam *jam ſenex reliquit mihi*, nimis *cito obitu. Heu noluiſſem poſſe* te *frui tam propere. Æquus quidem ordo eſt ſuccedere patri: at ordo eſt jucundior piis* filiis *poſſidere unà* cum parentibus. *Nunc labor, & ſollicitudo* colendi *in me incumbit. Prius ſola voluptas* fruendi *ad me ſpectabat; reliqua pertinebant ad patrem* meum. *Exiguum* eſt *prædium* hoc, *fateor, ſed nihil unquam fuit exiguum, iis qui moderato animo ſunt: adde quoque, & qui concordes* vivunt. *Exiſtimo par* eſſe *ut opes pendeant ex animo* poſſidentis, *non* autem, *ut animus ex opibus* pendeat. *Crœſus concupiſcit omnia, Diogenes nihil; Ariſtippus projicit aurum in mediis Syrtibus: Lydia tota aurea non ſufficit Midæ. Qui nullum modum ſibi præfinit optandi*, ille *nullum* quoque *habet poſſidendi. Hic terminus eſt* congerendarum *opum, quem* tute *animo* tuo *præfinieris. Sed diſce quis ſit modus hujus mei ruris: ſic etiam me noveris, & noveris etiam te* ipſum, *ſi potes: etſi difficile eſt noſſe ſeipſum. Quam citò legimus* hanc ſententiam NOSCE TEIPSUM, *tam citò* eam *negligimus. Aro ducenta jugera agri. Colo*

Notæ.

1. *Cætera patris erant.*] Nempè labor & cura colendi.

2. *Cuncta cupit Crœſus.*] Quanquam regum ditiſſimus.

3. *Diogenes nihilum.*] Quia, quanquam pauperrimus, æquo animo ferebat rerum omnium inopiam.

4. *Spargit Ariſtippus, &c.*] Cyrenæus Philoſophus, de quo Horat. lib. 2. ſat. 3.

—— Quid ſimile iſti
Græcus Ariſtippus? qui ſervos projicere aurum
In media juſſit Libya, quia tardius irent
Propter onus ſegnes.

quem locum imitatus eſt hic Auſonius, pro mediâ Lybiâ, medias Syrtes ponens, quæ ſunt duo Africæ ſinus arenoſi.

5. *Midæ.*] Cujus ineptum votum, & aſininas aures lege apud Ovidium Metamorph. lib. 11.

6. *Γνῶθι σεαυτόν.*] Solonis ſententiam. Vide ſuprà, Sapientes.

Agri bis centum colo [1] jugera. Vinea centum
Jugeribus colitur, [2] prataque dimidium:
[3] Silva ſupra duplum quam prata, & vinea, & arvum.
Cultor agri nobis nec ſupereſt, nec abeſt.
Fons propter, puteuſque brevis, tum purus [4] & amnis.
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit.
Conduntur fructus geminum mihi ſemper in annum.
Cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
[5] Hæc mihi non procul urbe ſita eſt, nec prorſus ad urbem:
Ne patiar [6] turbas, utque [7] bonis potiar.
[8] Et quoties mutare locum faſtidia cogunt,
Tranſeo: & alternis rure, vel urbe fruor.

INTERPRETATIO.

vineam centum jugerum, & dimidium modum *pratorum:* Eſt mihi *pluſquam bis tantùm ſylva, quantùm eſt pratorum & vineæ,* & agri. *Neque abundant mihi coloni, neque deſunt. Prope* fundum meum *eſt fons & puteus parum altus, præterea fluvius limpidus. Hic naves ferens, & refluens portat me, & reportat. Habeo ſemper fructus collectos in duos annos. Qui non habet penum* congeſtam *in longum tempus, hic etiam citò eſurit. Hæc* mea villa *neque longè ab urbe poſita eſt, neque omnino prope urbem: ne moleſtæ mihi ſint turbæ* commeantium, *& ut fruar* ejus *commodis, & quoties tædium* me *impellit ad mutandum ſedem,* illuc *migro: & alternatim fruor rure, aut urbe.*

NOTÆ.

1. *Jugera.*] Jugerum modus areæ fuit centum & viginti pedes in latitudinem patens, ducentos & quadraginta in longitudinem, juxtà rei ruſticæ ſcriptores.

2. *Prataque dimidium.*] Quinquaginta. Sed ſi legas *dimidio*, magis ad Grammaticæ leges.

3. *Silva ſupra duplum, &c.*] Id eſt pluſquàm ſeptingentorum jugerum, ſi rectè rationem putes.

4. *Et amnis naviger.*] Hic videtur fuiſſe Garumna. Nam cum Vaſates patris & avi Auſonii patria fuerint, à quibus hoc ei heredium obvenit; veriſimile eſt in Vaſatenſi agro fuiſſe ad Garumnam, quo fluvio facilè rure Burdegalam & Burdegalâ rus vehebatur.

5. *Hæc.*] Villa.

6. *Turbas.*] Frequentius commeantium in eam amicorum.

7. *Bonis.*] Villæ fructibus, & commodis.

8. *Et quoties mutare locum, &c.*] Hæc ex Eunucho Terentii expreſſa, ubi ſenex Simo:

Ex meo propinquo rure, hoc capio commodi:
Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi ſatias cœpit fieri, commuto locum.

Auſonius Heſperio filio.

321 Libellum, quem [1] ad nepotulum meum, ſororis tuæ filium, [2] inſtar protreptici luſeram, [3] venturus ipſe præmiſi legendum. Hoc enim malui, quam ipſe recitare: eſſet ut tibi cenſura liberior, quæ duabus cauſis impediri ſolet: quod aures noſtras audita velocius, quam lecta prætereunt; & quod ſinceritas judicandi præſentia recitantis oneratur. Nunc tibi utrumque integrum eſt. Quia & legenti tibi libera mora eſt: & judicaturo non obſtat noſtri verecundia. Sed heus tu, fili dulciſſime, habeo quod admoneam. Si qua tibi in his verſiculis videbuntur (nam vereor, ut multa ſint) fucatius concinnata, quam verius; & plus coloris quam fucci habere: ipſe ſciens [4] fluere permiſi, venuſtula ut eſſent magis, quam forticula; inſtar virginum,

Interpretatio.

Ego cum venturus ſim ad te brevi, *præmiſi* tibi *libellum, quem ludens ſcripſeram ad nepotulum* meum, *gnatum tuæ ſororis, inſtar adhortationis, ut eum legas. Nam malui hoc* facere, *quam ipſe* tibi illum *legere: ut liberius poſſes* de eo *ferre judicium: quod ſolet impediri duabus de cauſis:* ſcilicet *quia quæ audimus* recitari *citius elabuntur è noſtris auribus, quam quæ* ipſi *legimus; & quia ſinceritas cenſuræ gravatur præſentiâ ejus qui recitat* ſua ſcripta. *Nunc neutrum* horum *tibi obſtat. Quoniam habes quantum volueris ſpatii ad legendum; & pudor meæ* præſentiæ *non impedit te in judicio ferendo. Verùm, ô gnate jucundiſſime, eſt* aliquid *cujus te moneam. Si quædam in his carminibus videbuntur tibi magis ad ſpeciem exornata, quam ad verum; & plus habere* externi *nitoris, quam* interioris *ſucci: (non enim timeo ne multa ſint hujuſmodi:) ego ſivi illa elabi de induſtriâ, ut plus haberent venuſtatis quàm roboris; ad exem-*

Notæ.

1. *Ad nepotulum.*] Auſonium nepotem ex filiâ, cujus nomen nuſquàm extat.

2. *Inſtar protreptici.*] Eſt protrepticon, προτρεπτικὸν exhortatoria oratio, à *προτρέπω exhortor, ſuadeo, incito.*

3. *Venturus ipſe præmiſi.*] Scaliger ad hunc locum fusè probat fuiſſe morem hunc veterum eruditorum, cum ex longinquis regionibus amicos inviſerent, ut præmitterent nuncium cum verſibus, aut oratione, aut libro nomine *ἀσπαστικῷ*, ut & viciſſim ipſi ſimile munuſculum reciperent. Hujuſmodi præmiſſam ſcriptionem *metatoriam paginam* appellat Sidonius epiſt. ad Lupum Aginnenſem: *Huic quodam tempore metatoriam paginam, quaſi cum Muſa prævia miſi.* Quod tranſlatum à metatione caſtrorum, quæ per prævios metatores fiebat. Undè & hoſpitium quod advenienti hoſpiti parabatur, apud Græcos *ἀσπαστικὸν* dictum, apud Romanos *metatorium* dicebatur. Eam autem quam advenientes ab hoſpitibus viciſſim recipiebant ſive epiſtolam, ſive ſcriptionem aliam quamvis, *adventoriam* fuiſſe appellatam patet ex hoc loco Martialis ad Priſcum, præfat. libri 12. epigr. *Nequid tamen & advenienti tibi ab urbe, & exigenti negarem (cui non refero gratiam ſi tantum ea praſto quæ poſſim,) imperata mihi, quod indulgere conſueveram, & ſtudui pauciſſimis diebus ut familiariſſimas mihi aures tuas exciperem adventoria ſua, &c.* Adventores ſcilicet dicti ſunt hoſpites peregrè advenientes. Apul. lib. 1. Mileſiarum ſive de Aſino: *Cauponem quoque vicinum, atque ob id æmulum, deformavit in ranam; & nunc ſenex ille dolium innatans vini ſui, adventores priſtinos in fæce ſubmiſſus officioſis ronchis raucus appellat.*

4. *Fluere permiſi.*] Signanter *fluere* de iis quæ negligentius ſcripta, ſcribenti veluti effluunt. Horat. ſat. 4. lib. de Lucilio:

> *Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.*

[1] *quas*

— [1] *quas matres ſtudent*

Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient.

noſti cetera. Supereſt igitur, ut dicas: Quid moraris judicationem meam de eo, quod ipſe pronuncias eſſe mendoſum? Dicam ſcilicet me hujuſmodi verſibus foris erubeſcere, ſed intra nos minus verecundari: namque ego hæc annis illius magis quam meis ſcripſi, aut fortaſſe & meis. [2] *Δις παῖδες οἱ γέροντες.* Ad ſummam, valeat auctoritas tua. Mihi cum infante ratio eſt. Vale, fili dulciſſime.

Interpretatio.

plum puellarum, quas matres earum *curant habere humeros depreſſos, & pectus conſtrictum, ut teniores ſint. Scis reliqua. Reſtat ergò ut reponas* mihi, *quorſùm petis judicium meum de eo* carmine, *quod tu ipſe prædicas eſſe aſperſum mendis? Dicam, nempe, pudere me horum metrorum apud extraneos, ſed inter nos non ita erubeſcere* illis. *Ego enim hæc compoſui potius ad* rationem *ætatis illius, quam mea: vel fortaſſe etiam ad mea. Senes* enim *bis pueri* ſunt. *Poſtremò, valeat tua* iſta cenſoria *gravitas. Ratio mihi* putanda *eſt cum infante. Vale jucundiſſime nate.*

Notæ.

1. *Quas matres ſtudent.*] Deſumpta hæc ex Eunucho Terentii act. 2. ſc. 3.

2. *Δὶς παῖδες, &c.*] Plaut. Merc. act. 2. ſc. 2.

Senex cum extemplo eſt, jam nec ſentit, nec ſapit.

Aiunt ſolere eum rurſum repueraſcere.

vide proverbii hujus explicationem apud Eraſmum.

Ad nepotem Auſonium protrepticon de ſtudio puerili. IV.

322 Sunt etiam Muſis ſua ludrica. Miſta camœnis
Otia ſunt, mellite nepos; nec ſemper acerbi
Exercet pueros vox imperioſa magiſtri.
[1] Sed requie, ſtudiique vices rata tempora ſervant.
Et ſatis eſt puero memori legiſſe libenter.
Et ceſſare licet. [2] Graio ſchola nomine dicta eſt,
Juſta laboriferis tribuantur ut otia Muſis.
Quo magis alternum certus ſuccedere ludum,

Interpretatio.

Camœnæ quoque habent ſuos luſus. Muſæ habent admixtam quietem, ô dulcis nepos: neque vox imperioſa præceptoris perpetuò exagitat pueros. Verùm ſucceſſio quietis & ſtudii obſervat tempora ſtata. Et ſufficit puero, qui memoriâ valet, libenti animo legiſſe. Et licet ei etiam *ceſſari. Schola vocata eſt Græco vocabulo, ut juſta requies concedatur Camœnis laborioſis. Quo libentius ſtudeas* velim, *cum ſcias luſum alternatim excipere* ſtudium, *indulgemus relaxationes*

Notæ.

1. *Sed requie, &c.*] *Requie* pro *requiei* ut *die*, pro *diei*. Virg. Georg. 1.

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

2. *Graio ſchola nomine.*] Σχολή, id eſt, *otium*; & apud Latinos *ludus*, undè *ludi magiſter*.

Diſce libens, longum delenitura laborem
Intervalla damus. Studium puerile [1] fatiſcit,
Læta niſi auſteris varientur [2] feſta [3] profeſtis.
Diſce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Deteſtere nepos. Nunquam horrida forma magiſtri.
Ille licet triſtis ſenio, nec voce ſerenus,
Aſpera contractæ minitetur jurgia frontis;
Nunquam immanis erit, placitâ aſſuetudine vultus
Qui ſemel imbuerit. Rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. Pappos, aviaſque trementes
Anteferunt patribus ſeri nova cura nepotes.
[4] Sic neque [5] Peliden terrebat Achillea [6] Chiron
[7] Theſſalico permixtus equo: nec [8] pinifer Atlas
[9] Amphitryoniadem puerum: [10] ſed blandus uterque

INTERPRETATIO.

mitigaturas laborem diuturnum. Pueri defatigantur ſtudendo, niſi hilares feſti dies *intermiſceantur acerbis profeſtis* diebus. *Diſce libenter, neque averſare regimen magiſtri moroſi*, ô mi *nepos. Præceptoris facies numquam eſt horrenda. Ille quamvis ſit moroſus ob ſenectutem, & voce truci minetur ſævas objurgationes fronte corrugatâ; qui ſemel aſſuefecerit* te *placidè vultui ſuo, nunquam videbitur* tibi *truculentus.* Puer *qui averſatur matrem* ſuam, *amabit caperatam frontem* vetulæ *nutricis. Nepotes tardè nati anteponunt parentibus avos, & avias* ſenio *trementes*, quibus *nova curæ* materia ſunt. *Ita neque Chiron Theſſalus Centaurus territabat Achillem Pelei filium: neque Atlas pinifer filium Amphitryonis: ſed uterque mitis demulcebat teneros alum-*

NOTÆ.

1. *Fatiſcit.*] Reſolvitur, frangitur, vaneſcit, durare atque ad fructum perduci non poteſt.

2. *Feſta.*] Otii & vacationis dies.

3. *Profeſtis.*] Quibus opus ſit.

4. *Sic neque Peliden.*] Legit Scaliger eodem plane ſenſu:

Sic neque Peliden Chiron terrebat Achillem.

5. *Peliden.*] Pelei & Thetidis filium.

6. *Chiron.*] Centaurus, Saturni in equum præ metu Opis conjugis mutati, & Phylliræ, ſeu, ut vult Lactantius, Pelopeæ filius, Achillis Pædagogus, Æſculapii item fuit, quem medicinam docuit. Vide Ovid. lib. 2. Metam. fab. 11.

7. *Theſſalico permixtus equo.*] Theſſalus ſcilicet erat Chiron, quemadmodum & alumnus Achilles, quem leonum medullis paviſſe puerum fertur. Et permixtus equo dicitur, quod parte ſupernâ homo, infernâ equus eſſet.

8. *Pinifer Atlas.*] Mauritaniæ primum rex, dein mons, viſâ Gorgone, factus, ut habet Ovid. l. 4. Metam. Pinifer dicitur, quod multâ pinu onuſtum haberet verticem. Suſtentare dictus eſt cœlum humeris, quod dum viveret aſtrorum curſus & nomina apprimè ſciret, iiſque contemplandis ſæpè vacaret. Hunc Aſtrologiæ peritiſſimum fuiſſe, & Herculem Aſtrologiam docuiſſe, auctor eſt Diodorus Siculus lib. 4. Hinc locus fabulæ factus, quâ ſublatum ex Atlantis humeris cœlum Hercules ſuis tuliſſe fertur. Non deſunt tamen qui Herculem non ab Atlante, ſed à Chirone Aſtrologiam edoctum affirment.

9. *Amphitryoniadem puerum.*] Herculem Jovis & Alcumenæ Amphitryonis uxoris filium, cui tamen Amphitryoniadæ nomen impoſitum eſt, ut Dioſcuris & Helenæ, Tyndaridarum: licet Caſtori ſolum & Clytemneſtræ Tyndarus, Polluci & Helenæ Jupiter pater eſſet.

10. *Sed blandus uterque.*] Statius, in Glauciam Melioris:

Digitized by Google

Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas : quamvis ſchola verbere multo
Increpet, & truculenta ſenex gerat ora magiſter.
[1] Degeneres animos timor arguit : at tibi conſta
Intrepidus; nec te clamor, [2] plagæque ſonantes,
Nec [3] matutinis agitet formido ſub horis:
Quod [4] ſceptrum vibrat ferulæ, [5] quod multa ſupellex
Virgea, [6] quod fallax ſcuticam prætexit aluta :
Quod fervent trepido ſubſellia veſtra tumultu.
Pompa loci, & vani fugiatur ſcena timoris.
Hæc olim genitorque tuus, [7] genitrixque ſecuti

INTERPRETATIO.

nos blandis ſermonibus. Tu quoque ne timeas : etiamſi ſchola perſonet crebris flagris, & vetus præceptor habeat vultum ſævum. Metus prodit ignava pectora. At tu *idem mane* ſemperè *nihil metuens. Neque clamor, & verbera ſtridentia te exagitent, neque metus circa tempus matutinum : quod* magiſter *quatiat ferulam, ſceptrum* ſuum, *quod* ſchola *probe inſtructa ſit virgis, quod ſcutica callidè operiatur corio molliori : quod ſellæ veſtræ perſonent tremulo ſtrepitu ; ne metuas* illam *pompam ſcholæ, & apparatum inanem* inventum *ad* incutiendum *terrorem. Pa-*

NOTÆ.

—— *Tenero ſic blandus Achilli*
Semifer Æmonium vincebat Pelea Chiron.

Quidam MS. codex hîc habet :

Sed balbus uterque.

Notus ſenum mos, ut pueros demulceant, ſæpè cum illis de induſtriâ balbutientium.

1. *Degeneres animos.*] Ex lib. 4. Æneid.

2. *Plagæque ſonantes.*] In alieno tergo.

3. *Matutinis ſub horis.*] Quo tempore eundum in ſcholam.

4. *Sceptrum vibrat ferulæ.*] Sic Martialis lib. 10. epigram. 62.

Ferulæque triſtes ſceptra pædagogorum
Ceſſent, & Idus dormiant in Octobres.

Ferula porrò frutex eſt, è quo virgæ Ludimagiſtrorum fiebant ;cum ex Betulâ arbore fierent virgæ Magiſtratuum, teſte Plinio lib. 16. cap. 18.

5. *Quod multa ſupellex Virgea.*] Virg. lib. 1. Georg. verſ. 165.

Virgea præterea Celei, viliſque ſupellex.
Arbutea crates, & myſtica vannus Iacchi.

6. *Quod fallax ſcuticam, &c.*] Vinetus ad hunc locum : Scutica, quam à Græco σκύτος, quod corium ſignificat, appellatam volunt Grammatici, quale flagellum fuerit, parum competi, niſi forte cujuſmodi meminimus in Hiſpania vidiſſe. Fuſtis eſt ſeſquipedali longitudine, pollice aliquanto craſſior, præſertim qua parte perforatus lora admittit. Alteri parti, quæ exilior eſt, additur orbiculus digitum unum craſſus, & diametro palmum unum fere longâ, quo quia puerorum palmas cædunt, *Palmatoriam* id genus appellarunt (hæ ſunt palmulæ quas hodie *ferules* vocant.) Lora terna eſſe ſolent, quibus ad nates utuntur, ex corio paulo craſſiore facta, eaque digito auriculari non exiliora, niſi ſi qui paulo humaniores molli alutâ (ut ait Auſonius ad nepotulum) tenellis parcant. Sed neque *alutam* ſatis compertum habemus quam propriè antiqui dixerint. Ex quâ tamen non dubitamus, quin noſtra *Luda* facta ſit. *Ludam* autem appellamus. id eſt, alutam, melliores pelles & albas, ut ex quibus chirothecæ vulgò fiunt. *Hæc Vinetus.*

7. *Genitrixque.*] Quam à Patre Auſonio ingenuas Muſarum artes edoctam fuiſſe, vel hinc colligas. Sic ſupra colum ſapere audivimus non paucas, & omni politioris eruditionis genere excultam à Patre doctiſſimo miramur hac ætate digno conjunctam viro Annam Tanaquilli Fabri filiam.

Securam placido mihi permulſere ſenectam.
Tu ſenium, quodcunque ſuper labentibus annis
Fata dabunt, qui [1] nomen avi geris indole prima,
Prime nepos, vel re vel ſpe mihi [2] porge fruendum.
Nunc ego te puerum, mox in juvenilibus annis,
Jamque virum cernam, ſi fors ita juſſerit; aut ſi
[3] Invidia eſt, ſperabo tamen, nec vota fatiſcent,
Ut patris, utque mei non immemor, ardua ſemper
Præmia Muſarum cupias: facundus & olim
Hac gradiare via, qua nos præceſſimus: & cui
[4] Proconſul genitor, [5] Præfectus avunculus inſtant.
Perlege quodcunque eſt memorabile. [6] Priva monebo.
[7] Conditor Iliados, [8] & amabilis orſa Menandri
Evolvenda tibi. Tu flexu & acumine vocis

INTERPRETATIO.

ter & mater tua, amplexi quondam iſta, oblectaverunt meam tranquillam ſenectutem. Tu qui jam à puero appellaris nomine avi tui, prime meorum *nepotum, fac ut vel reipſa, vel propter ſpem de te conceptam, fruar* lætus *ſ nihi* hoc *avo, quodcunque adhuc fata indulgebunt mihi, annis fluentibus. Nunc* video *te puerum, jamjam videbo juvenem, & mox virum, ſi fortuna ſic voluerit: vel ſi* hoc mihi *invidetur, ſperabo nihilominus, neque vota mea inania erunt,* fore ut tu *non oblitus patris & mei* ipſius, *concupiſcas præmia Muſarum ſemper difficilia* acquiſitu: & ut *aliquando diſertus hac viâ incedas, quâ nos præivimus, & cui inſiſtunt pater tuus Proconſul, & avunculus Præfectus. Evolve quidquid eſt memoriâ dignum. Indicabo ſingula. Legendus tibi eſt auctor Iliadis, & opera jucunda Menandri. Tu pronuntia inflexione & acumine vocis doctis ac-*

NOTÆ.

1. *Nomen avi.*] Auſonius ſcilicet appellabatur hic nepotulus.

2. *Porge.*] Syncopa pro *porrige.*

3. *Invidia eſt.*] Melius legas *Invidia eſt.*

4. *Proconſul genitor.*] Pater ſcilicet ejus, Auſonii gener, quem Thalaſſium vocat hic Scaliger, & Proconſulem Africæ fuiſſe ait Valente VI. & Valentiniano II. Augg. Coſſ. Ipſe Auſonius generum celebrat Euronium carm. XIV. Parentalium: quem præfecturam obtinuiſſe, & præſidem fuiſſe Illyrici ait, ſed cum de eodem dicat:

Occidis in prima raptus mihi flore juventa
Lactantis nati vix bene note pater.

vix credam hunc eſſe, de quo hic loquitur, Auſonii Nepotis patrem.

5. *Præfectus avunculus.*] Heſperius, Auſonii filius, qui fuit Præfectus prætorio Galliarum, ipſo Auſonio patre ejus, & Olybrio Coſſ.

6. *Priva monebo.*] *Privus* ſingularis eſt; & proprius. Sic apud Phædrum ex recenſione Tanaquilli Fabri.

Sua cuique cum ſit animi cogitatio,
Colorque privus:

Hinc *privatus* derivatum eſt.

7. *Conditor Iliados*] Homerus.

8. *Et amabilis orſa Menandri.*] De hoc Poëta comico Quintilianus Inſt. Orat. I. 10. *Hunc* (Euripidem) *& admiratus maxime eſt, (ut ſæpe teſtatur) & ſecutus, quanquam in opere diverſo, Menander: qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus effingenda ſufficiat: ita omnem vitæ imaginem expreſſit: tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita eſt omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus, &c. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum declamatoribus puto, quoniam his neceſſe eſt ſecundum conditionem controverſiarum plures ſubire perſonas, patrum, filiorum, maritorum, militum, ruſticorum, divitum, pau-*

Digitized by Google

[1] Innumeros numeros doctis accentibus effer.
[2] Affectuſque impone legens. Diſtinctio ſenſum
Auget, & [3] ignavis dant intervalla vigorem.
Ecquando iſta meæ contingent dona ſenectæ?
Quando [4] oblita mihi tot carmina, totque per ævum
Connexa hiſtoriæ, [5] ſoccos [6] aulæaque Regum,
Et [7] melicos, lyricoſque modos præfando, novabis,

INTERPRETATIO.

centibus verſus ejus *parum adſtrictos numeris. Et inter legendum exprime permotiones* animi. *Diſtinctio corroborat ſententiam orationis, & ſpatia*, obſervata inter legendum, *addunt vim* ſententiis *parum vegetis. Quandonam mea ſenectus fruetur his gaudiis? Quandonam* mihi *revocabis* in mentem *tot verſus è memoria mihi elapſos, tot hiſtorias inter ſe connexas per ætates* varias, *Comœdias, & Tragœdias, & verſus Melicos ac Lyricos, prælegendo* eos mihi, *ac facies juveneſcere ſen-*

NOTÆ.

perum, iraſcentium, deprecantium, militum, aſperorum. In quibus omnibus mire cuſioditur ab hoc poëta decorum. Atque ille quidem omnibus ejuſdem operis auctoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Hæc de Menandro Quintil. ex quibus facilè videre eſt, cur *amabilis* dicatur, & quanto noſtro damno opera ejus perierint.

1. *Innumeros numeros.*] Hic diſcrepant interpretes. Quidam *innumeros* innumerabiles, & infinitos numeros, ac verſus accipiunt. Turnebus cap. 12. lib. 10. adverſariorum diſtinguit *innumeros, numeros*: & *numeros* verſus intelligit, *innumeros* verò orationem ſolutam & proſam, ex Plauti epitaphio quod extat apud Gellium lib. 1. noct. Attic.

Poſtquam eſt morte captus, Plautus comœdia luget,
Scena eſt deſerta, dein riſus, ludus, jocuſque,
Et numeri, innumeri, ſimul omnes conlacrumarunt.

Joſephus Scaliger, contra Turnebum, nihil diſtinguendum cenſet: *& numeros innumeros* intelligit tam hoc loco, quam in Planti epitaphio, verſus Comicorum, qui numeri ſint, ſed innumeri, hoc eſt, non numeri, & ſolutæ orationi ſimiliores, quam vinctæ Barthius ſuſpicatur *τὸ innumeros* his duabus vocibus legendum *in numeros*, ut dicat Auſonius: *effer* numeros doctis accentibus, & acumine vocis in numeros, hoc eſt, velut ad muſicæ imperium, & modos à Lyriſtâ commendatos. Poteſt tamen, (inquit idem Barthius) & acumen in eo quæſitum eſſe, ut numeri ſint ſimul, & ſint ſimul innumeri, pronuntiatione tam artificioſâ, qualem requirit ſolida ad eorum temporum normam eruditio. Hoc eſt nec planè canas, nec prorſus loquare, ſed intermedio quodam ſono numeros poëticos ſerves in pronuntiando. Huic ſententiæ favere videtur quod ſequitur: *doctis accentibus effer.* Scaligeri nihilominus mentem in interpretatione ſum ſequutus.

2. *Affectuſque impone legens.*] Vide quæ Quintil. lib. 11. cap. 3. quod eſt de pronuntiatione.

3. *Ignavis.*] Vel iis qui ignavè, hoc eſt, tardè & languidè legunt, ut expreſſi in interpretatione: vel ſubintellige *rebus* aut *enuntiationibus*: ut ſit ſenſus; morâ illâ emphaticâ, quæ inter pronuntiandum obſervatur, enuntiationibus, quæ aliàs languidæ viderentur, robur quodammodo addi.

4. *Oblita mihi tot carmina.*] Ex Virg. Ecloga 9.

5. *Soccos.*] Metonym. Soccus, calceamentum hiſtrionum comœdiam agentium, pro ipſa comœdiâ.

6. *Aulæaque Regum.*] Meton. adjuncti. Aulæa & ſiparia in Theatris notum quid. Et Regum perſonæ vix alibi quàm in Tragœdiis.

7. *Melicos, Lyricoſque modos.*] Iidem modi *melici*, à μέλος, cantus, qui Lyrici à

Digitized by Google

Obductoſque ſeni facies [1] pueraſcere ſenſus?
Te præeunte, nepos, modulata poëmata Flacci,
Altiſonumque iterum fas eſt didiciſſe Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto ſermone Terenti
Comis, & aſtricto percurris pulpita ſocco,
[2] Ad nova vix memorem diverbia coge ſenectam.
[3] Jam facinus, Catilina, tuum, [4] Lepidique tumultum,
Ab Lepido & Catulo jam res & tempora Romæ
Orſus, [5] bis ſenos ſeriem connecto per annos.
Jam lego civili miſtum mavorte duellum,
Movit quod ſocio [6] Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hoc avus admoneo, ſed mille docendo
Ingenia expertus. Multos lactantibus annis
Ipſe alui: gremioque fovens, & murmura ſolvens,
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu, & formidine leni

INTERPRETATIO.

ſus mihi *ſeni* jam *obſtructos? Libet* mihi *rurſus diſcere carmina numeroſa Horatii, & Virgilium grande ſonantem, te prælegente, ô Nepos. Tu etiam, ô Terenti, qui exornas Latinam* linguam tuâ *oratione purâ, & exhibes in theatro Comœdias* numeris *vinctas, revoca* meam *ſenectutem vix recordantem ad* tua *diverbia*, quæ mihi iterum *nova* videntur. *Jamjam aggreſſus* legere *ſcelus tuum, ô Catilina, & bellum civile Lepidi, dein poſt Lepidum & Catulum, hiſtoriam, & annales Romæ, continuo* eorum *ordinem per duodecim annos. Dein evolvo bellum permixtum civilibus armis, quod Sertorius extorris excitavit* aſſumpto *in ſocietatem Hiſpano. Atque* ego tuus *avus non imperitus* rerum *hæc* tibi *monita do, ſed* jam *expertus mille ingenia docendo. Ego ipſe educavi multos etiam tum lactentes: & fovens* eos *ſinu, & ſedans* eorum *vagitus, ſubtraxi tenellam* eorum *ætatem dulcibus nutriculis. Deinde* cum *pueri* facti

NOTÆ.

λύρᾳ. Sic Pindarus apud Plutarch. dicitur μελικὸς, id eſt, vel *harmonice loquens* à prædicto μέλος, vel etiam *jucundiſſimus*, & *mellens* à μέλι, quod mel ſignificat.

1. *Puerascere ſenſus.*] Hic interrogationis notam omninò appinge, non autem poſt verſum ſequentem, ut contendit Scaliger. Planus eſt ſic, & apertus ſenſus.

2. *Ad nova vix memorem diverbia, &c.*] Ad comœdias tuas, quæ mihi oblivioſo ſeni jam pridem non lectæ, novæ videbuntur. *Membra Comœdiarum tria ſunt*, inquit Diomedes Grammaticus lib. 3. *Diverbium, Canticum, Chorus. Diverbia ſunt partes Comœdiarum, in quibus diverſorum perſonæ verſantur. Perſonæ autem diverbiorum, aut duæ, aut tres: raro autem quatuor eſſe debent. Ultra augere numerum non licet. In Canticis autem una tantum debet eſſe perſona: aut ſi duæ fuerint, &c. Latina vero Comœdia chorum non habens: ſed duobus tantum membris conſtant, diverbio, & cantico.*

3. *Jam facinus Catilina tuum.*] Belli Catilinarii hiſtoriam ex Salluſtio.

4. *Lepidique tumultum.*] Hinc exorſum hiſtoriam Salluſtium, ex hoc loco colligit Scaliger. De hoc civili bello Livius lib. 90. Lucius Annæus lib. 3.

5. *Biſſenos, &c.*] Quo auctore? non apparet.

6. *Sertorius.*] Cujus bellum, hoſtile fuerit an civile, dubitat Lucius Annæus, quippe quod Luſitani, Celtiberique, Sertorio duce, Romano cive, contra Romanos geſſerunt.

Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi [1] dulcem fructum radicis amaræ.
Idem [2] veſticipes [3] motu jam puberis ævi,
Ad mores, arteſque bonas, ſandique vigorem
Produxi: quanquam imperium cervice negarent
Ferre, [4] nec incertis præberent ora lupatis.
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum ſpectatus ab uſu,
Ut regat indocilem mitis cenſura juventam.
Quæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Leniretque uſu [5] bona conſuetudo laborem.
Donec [6] ad Auguſtæ pia munera diſciplinæ
Accirer, varioque accingerer auctus honore:
[7] Aurea quum parere [8] mihi palatia juſſum.
Abſiſtat [9] Nemeſis: ferat & fortuna jocantem.

INTERPRETATIO.

eſſent, *induxi eos blandis monitionibus, & leni timore, ut quærerent dulcem progreſſum per moleſtos* labores, *percepturi* olim *fructum ſuavem amaræ radicis.* Ego *idem*, cum illi jam *veſtirentur* lanugine, & agerentur *impetu ætatis jam puberis, promovi eos ad bonos mores, & artes liberales, & eloquentiam, licet detrectarent ferre collo jugum, neque darent ora frenis quæ ingerebam. Difficile temperamentum* eſt *experientia moleſta, raro* bonus *exitus*, & *cognitus* tantum *diuturno uſu rerum, ut lenis correctio moderetur juventutem indocilem. Quæ* omnia *perpeſſus ſum, donec* ipſe *labor* mihi *jam fieret dulcis, & bona conſuetudo* mihi *leniret moleſtiam* ipſo *uſu. Quoaduſque accerſerer ad pium munus inſtitutionis Cæſaris, &* ad illud *me pararem cohoneſtatus variis honoribus: quum* ſcilicet *imperatum* eſt *ut aurea palatia mihi obedirent. Abſtineat* à me *Nemeſis, & fortuna ſinat me jocari. Præfui imperio, cum Auguſtus,*

NOTÆ.

1. *Dulcem fructum radicis amaræ.*] Iſocratis ſententia eſt: Τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. Quod ex M. Porcio Catone Diomedes Grammaticus lib. 1. ſic effert: *Litterarum radices amaras eſſe, fructus jucundiores.*

2. *Veſticipes.*] Feſtus: *Veſticeps puer eſt, qui jam veſtitus eſt pubertate. E contra inveſtis, qui necdum pubertate veſtitus eſt.* Vide notas noſtras ad hunc locum lib. 5. Aſini Apuleiani: *Prome agedum, quæ ſola mihi fervis amanter, nomen ejus, quæ puerum ingenuum & inveſtem ſollicitavit, &c.*

3. *Motu jam puberis ævi.*] Infra in Genethliaco:

> *At modo cum motu vigeas jam puberis ævi.*

4. *Nec incertis, &c.*] Metaphora ab equis. *Lupata* Servius ad lib. 3. Georg. interpretatur *fræna aſperrima.*

5. *Bona conſuetudo laborem.*] Seneca de tranquill. animi cap. 10. *Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod cum ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem invenit, cito in familiaritatem graviſſima adducens.*

6. *Ad Auguſtæ pia munera diſciplinæ.*] Ad inſtitutionem Gratiani Cæſaris, cujus fuit præceptor.

7. *Aurea Palatia.*] Metonymice, pro Gratiano Auguſto Palatia aurea habitante.

8. *Mihi.*] Præceptori.

9. *Nemeſis.*] Hæc dea, ira, indignatio, & animadverſio divina eſt, ſuperbos & vaniloquos puniens, de quâ ſupra ad epigrammata.

Digitized by Google

Præſedi imperio, dum [1] prætextatus in oſtro,
Et ſceptro, & ſolio, [2] ſibi præfert jura Magiſtri,
Majoreſque putat noſtros Auguſtus honores.
Quos mox ſublimi maturus protulit auctu:
Quæſtor ut [3] Auguſtis, patri, natoque crearer:
Ut [4] præfecturam duplicem, ſellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, Conſul
Induerer: faſtiſque meis prælatus haberer.
His ego quæſivi meritum quam grande nepoti
Conſul avus: lumenque tuæ præluceo vitæ.
Quamvis & patrio jam dudum nomine clarus,
[5] Poſſes ornatus, poſſes oneratus haberi:
Acceſſit tamen ex nobis honor inclytus. Hunc tu

INTERPRETATIO.

adhuc prætextatus, in purpurâ ſuâ, *& ſceptro, & throno, præponit ſibi imperium præceptoris. & exiſtimat majores eſſe* ſuis *noſtros honores, quos deinde adultus promovit grandi incremento:* adeò *ut fierem Quæſtor Auguſtorum patris & filii* · & *ut* adipiſcerer *geminam præfecturam, & ſellam curulem,* utque factus *Conſul veſtirer trabeâ, & togâ pictâ,* quæ erant *mea merces,* ac nomen *meum præfigeretur faſtis* anni *mei. Ego avus* tuus & *Conſul paravi* meo *nepoti ingens meritum his* rebus: *& præfero facem tuæ vitæ. Et ſi* tu *nomine* tui *patris jampridem illuſtris poſſes exiſtimari decoratus, & gravatus; clarum tamen decus tibi eſt additum ex me. Tu*

NOTÆ.

1. *Prætextatus.*] Gratianus, qui annos nondum octo natus, imperator factus eſt, & Auguſtus.

2. *Sibi præfert jura Magiſtri.*] Hoc eſt, obedit Magiſtro ſeu præceptori Auſonio.

3. *Auguſtis patri natoque.*] Valentiniano, & Gratiano, qui in Occidente imperabant, dum Valens Valentiniani frater, ab eo in partem imperii accitus, Orientem obtineret. Valentinianus porrò, ut ſcribit Ammianus lib. 27. morem inſtitutum antiquis ſupergreſſus, non Cæſares, ſed Auguſtos Germanum filiumque nuncupaverat. Benevolè ſatis, (inquit idem.) Nec enim quiſquam antehac adſcivit ſibi pari poteſtate collegam, præter principem Marcum, qui verum adoptivum fratrem abſque diminutione aliquâ Majeſtatis Auguſtæ, ſocium fecit. Quæſturæ hujus ſuæ meminit Auſonius in actione gratiarum, & in Epiſt. ad Urſulum.

4. *Præfecturam duplicem.*] Prætorii ſcilicet Italiæ, quam præfecturam non diu tenuit, ſed veluti libavit tantùm, & Prætorii Galliàrum, ſub quo erat quoque Britannia, quam præfecturam plenè rexit. Utriuſque meminit ſuprà in Epicedio patris:

Præfectus Gallis, & Lybiæ, & Latio.

Ubi vide quæ annotavimus. Meminit & in Moſellâ:

Aut Italûm populos, Aquilonigenaſque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.

5. *Poſſes ornatus, poſſes oneratus, &c.*] Poſt habitis quæ Barthius in hunc locum affert, lego hic *oneratus.* Paronomaſia eſt in his vocibus *ornatus* & *oneratus*, cujuſmodi figurâ delectatus eſt non mediocriter Auſonius, ut mox:

Acceſſit tamen ex nobis honor *inclytus.*
Hunc tu
Effice ne ſit onus.

Oneratus haberi poteſt Nepos, cui reſpondendum eſt virtutibus, & honoribus avi Conſulis, cavendumque ne abeo degeneret.

Effice,

Effice, ne ſit onus : per te ut connixus in altum
Conſcendas; [1] ſpereſque tuos, te Conſule, faſces.

INTERPRETATIO.

fac ne illud ſit tibi *onus* : adeò *ut per te* ipſum *contendens ſurſum eveharis* ; *&* *ſperes te propriis faſcibus* ornatum iri, *quum Conſul eris.*

NOTÆ.

1. *Spereſque tuos, &c.*] Non ſolum avitis faſcibus, ſed etiam tuis inclareſcas, cum tu ipſe ad conſulatum tuâ virtute fueris evectus.

Genethliacon ad eundem Auſonium nepotem. V.

323 Carmina prima tibi quum jam puerilibus annis
Traderet aſſidui permulcens cura magiſtri,
Imbueretque novas aureis, ſenſuſque ſequaces,
Ut reſpondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato,
Addidimus nil triſte ſenes: ne cura monendi
Læderet, aut dulceis guſtus vitiaret amaris.
At modo, quum motu vigeas jam puberis ævi,
Fortiaque à teneris poſſis ſecernere; & ipſe
Admonitor morumque tibi, fandique videri:
[2] Accipe non præcepta quidem, ſed vota precantis
Quin gratantis avi [3] feſtum ad ſollemne nepotis.
Adnuito, ut reducem fatorum à fine ſenectam
Soſpes agam: feſtumque diem, dubitataque cernam
Sidera, depoſito prope conclamatus in ævo.
Hoc, mellite nepos, duplicato fœnore partum

INTERPRETATIO.

Cum cura præceptoris aſſidui blandiens doceret te verſus primos jam tum in puerili ætate, & *iis impleres* tuas *aures teneras, & ſenſus* facilè *amplectentes* præcepta, *adeò ut lingua* tua *caſtigata* in *ore* tuo adhuc *rudi pronuntiaret etiam ſuſurro docili verba* quæ erant *reſpondenda*, ego *ſenex nihil adjeci ſeverum* : *ne* hæc *cura* te *admonendi* te *offenderet, aut corrumperet ſuaves ſapores amaris. At nunc cum jam ferveas impetu ætatis juvenilis, & valeas diſtinguere generoſa à blandis* ; *atque ipſe tibi videri præceptor vivendi, & loquendi* : *accipe* à me *non monita quidem, ſed vota avi optantis, atque* etiam *gratulantis in* die *feſto ſolemni Nepotis ſui. Teſtare nutu* te libenter accipere, *ut* ego *incolumis degam ſenectutem* quaſi *remeantem mihi à vitæ termino* : *&* ego qui *ferè* jam ſum *conclamatus in* hac *ætate decrepitâ, aſpiciam diem tibi feſtum, & aſtra* quæ *vix ſperabam* me viſurum. *Hoc* mihi *comparatum eſt geminato*

NOTÆ.

1. *Genethliacon, &c.*] Carminis hujus titulus fuit in codice vetuſto :

Auſonius Avus Auſonio Nepoti.

2. *Accipe, &c.*] Hos verſus duos ex emendatione Scaligeri excudendos curavimus.

3. *Feſtum ad ſolemne.*] Natalem ſcilicet ejus diem. Eſt enim hoc carmen natalitium.

Natali accedente tuo : munuſque ſalutis
Plenius hoc noſtræ, quod jam tibi puberis ævi
Creſcit honos, juvenemque ſenex jam cerno nepotem.
[1] Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno,
Septembres notis referens natalibus Idus.
Idus alma dies, [2] geniis quoque culta deorum.
[3] Sextiles Hecate Latonia vendicat Idus ;
Mercurius Majas ſuperorum adjunctus honori.
Octobres olim genitus Maro dedicat Idus.
Idus ſæpe colas biſſenis menſibus omnes,
Auſonii quicunque mei celebraveris Idus.
Vale, nepos dulciſſime.

INTERPRETATIO.

fructu, *tuo* die *natali adventante*, *ô dulciſſime Nepos* : & *hoc eſt* multo *uberius beneficium meæ incolumitatis, quod juvenilis ætatis decus augetur tibi* in dies, & *quod* ego *ſenex jam video meum nepotem juvenem. Sextum hoc triennium à primo* tuo *anno tibi recurrit, reducens Idus Septembres claras* tuis *natalibus. Idus* ſunt *dies inclyta, celebrata etiam natalibus Deorum. Diana Latona filia ſibi ſumit Idus Auguſtas ; Mercurius in deorum numerum aſcitus Majas* Idus ſibi vindicat. *Virgilius conſecrat Idus Octobres quondam natus* eo die. O tu *quiſquis celebraveris Idus* natalem *mei Auſonii, ſæpe celebres omnes Idus menſibus duodenis. Vale, jucundiſſime Nepos.*

NOTÆ.

1. *Sexta trieteris, &c.*] Sextum triennium tibi redit, id eſt quindecim jam annos ſupergreſſus ſpatium illud ingrederis, quod à decimo quinto ad decimum octavum annum eſt.

2. *Geniis quoque culta deorum.*] Ovid. lib. 1. Faſt.

Idibus Alba Jovi grandior agna cadit.

Geniis interpretatus ſum *natalibus*, quibus præerant Genii.

3. *Sextiles Hecate, &c.*] Expreſſus totus hic locus eſt ex Martialis epigrammate 68. lib. 12. in Natalem Maronis, quod eſt hujuſmodi :

Maja Mercurium creaſtis Idus.
Auguſtis redit Idibus Diana.
Octobres Maro conſecravit Idus.
Idus ſæpe colas & has, & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Ausonius [1] Gregorio filio S.

324 [2] En unquam vidiſti [3] nebulam pictam in pariete? Vidiſti utique, & meminiſti. Treveris quippe [4] in triclinio Æoli [5] fucata eſt pictura hæc: Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices, non hæ de noſtro ſæculo quæ ſponte peccant: ſed illæ Heroïcæ, quæ ſibi ignoſcunt, & plectunt deum: quarum partem [6] in lugentibus campis Maro noſter enumerat. Hanc ego imaginem ſpecie & argumento miratus ſum. Deinde mirandi ſtuporem tranſtuli ad ineptiam poëtandi. Mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum.

Interpretatio.

Aſpexiſtine aliquando nubem adumbratam in pariete? Aſpexiſti ſanè, & recordaris. Nam Treveris in triclinio Æoli hæc imago picta eſt: Cupidinem tollunt in crucem fœminæ amatrices, non hæ quidem noſtræ ætatis, quæ ultro peccant: ſed illæ Heroicæ, quæ dant ſibi veniam, & puniunt Deum Cupidinem *: quarum partem Virgilius noſter recenſet in campis lugentibus. Ego admiratus ſum hanc picturam propter ſpectaculum* quod exhibet, & propter illius *argumentum. Poſtea, ex admiratione & ſtupore reverſus, ſat ineptus fui, ut eam carmine deſcriberem. Nihil* in eo *mihi placet præter argumentum. Attamen commendo tibi* hunc *meum erro-*

Notæ.

1. *Gregorio filio.*] Quis fuerit ille Gregorius, non liquet. Filium crediderim amoris non cognationis nomine appellatum ab Auſonio. Nam, ut ex parentalibus patet, filios habuit tantum duos, Auſonium, qui puer obiit, & Heſperium, ex quo Paſtorem habuit nepotem; at Gregorii hujus nuſquam, niſi hic, mentionem facit. Sic etiam Symmachum, & Pontium Paulinum, in Epiſtolis filios vocat.

2. *En unquam vidiſti.*] Modus percontandi, Terentio valdè familiaris. Phorm. act. 2. ſcena 2.

Cedo dum, en unquam injuriarum audiſti
mihi ſcriptam dicam?

Eodem actu ſcenæ 3. initio:

En unquam cuiquam contumelioſius
Audiſtis factam injuriam, quam hæc eſt
mihi?

Et alibi paſſim.

3. *Nebulam pictam in pariete.*] Noſter in epiſtolâ ad Symmachum: *Hoc me velut aërius bractea fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur, oblectat.* Unde videre eſt, non hic mutandum τὸ *nebulam* in *tabulam* (quod quibuſdam placuit;) cum hic *Aëris campos*, & marcentes *nebuloſo lumine* flores, aliaque hujuſmodi ſit deſcripturus.

4. *In triclinio Æoli.*] Veteres quidam codices habent *Zoili* non *Æoli*: quæ lectio placeret magis. Frequens ſatis *Zoili* nomen in veteribus monumentis, at non ſic *Æoli*. Quod ventorum regis proprium, alii temerè tributum haud reperias. Niſi forte *triclinium Æoli* intelligamus, triclinium aliquod palatii Treverici, quod *Æoli* dictum ſit à picturâ aliquâ, aut ſculpturâ *Æoli* ventorum regis, quæ in eo fuerit. Sic enim ſolent palatiorum diætæ à picturis, aut aliis adjunctis denominari.

5. *Fucata eſt.*] Id eſt *picta*. *Fucare* illius ævi ſcriptoribus pro *pingere* ſæpe uſurpatum. Paulin. VII. Natali.

Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas.

6. *In lugentibus campis.*] Virgil. l. 6. Æn.

Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur
in omnem
Lugentes campi. Sic illos nomine di-
cunt.
Hic quos durus amor crudeli tabe pere-
dit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylva tegit. Curæ non ipſa in morte re-
linquunt.
His Phædram, Procrinque locis, mæſtam-
que Eriphylen, &c.

[1] Nævos noſtros & cicatrices amamus : nec ſoli noſtro vitio peccaſſe contenti, affectamus ut amentur. Verum quid ego [2] huic eclogæ ſtudioſe patrocinor ? Certus ſum, quodcunque meum ſcieris, amabis. [3] Quod magis ſpecto, quam ut laudes. Vale.

INTERPRETATIO.

rem. Delectamur etiam *noſtris nævis*, & noſtris *cicatricibus. Neque contenti quod ſoli noſtrâ culpâ erraverimus*, *cupimus* ut cæteri quoque iis *delectentur. Sed quare ego tam cupide defendo hoc Idyllium ? Certè ſcio te amaturum quidquid meum eſſe ſcies. Quod magis intendo animo, quam ut laudes. Vale.*

NOTÆ.

1. *Nævos noſtros & cicatrices.*] Metaph. pro vitiis & erroribus animi

2. *Hui eclogæ.*] Quæ poëmata Theocriti εἰδύλλια & βουκολικὰ vulgo inſcribuntur, ac Virgilii Bucolica, hæc antiqui Grammatici *Eclogas* vocant, ut Servius in 3. 7. & 9. Bucolic. Virg.

3. *Quod magis ſpecto.*] Ita Barthius, pro *ſpero*, cui aſſentior libens. Non enim ſperamus ea quæ certò ſcimus. Et lectionem quidem Barthii expreſſi in interpretatione.

Cupido cruci affixus. VI.

325 [1] AEris in campis, memorat quos Muſa Maronis,
[2] Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
[3] Orgia ducebant Heroïdes, & ſua quæque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant,
[4] Errantes ſylva in magna, & ſub luce maligna,
Inter arundineaſque comas, gravidumque papaver,

INTERPRETATIO.

In campis Ætheriis, quos carmen Virgilii celebrat, ubi ſylva myrtea tegit inſanos amantes, Heroica mulieres *celebrabant orgia, & ſingulæ ferebant ſigna ſuæ mortis, quemadmodum olim occubuerant, vagantes in lato nemore, & ſub ambiguo lumine, inter capita arundinum, &*

NOTÆ.

1. *Aëris in campis.*] Id eſt, inanibus, ubi umbræ tantum & aëriæ rerum formæ volitant.

2. *Myrteus, &c.*] Virg lib. 6. Æneid. loco jam ſupra laudato :

> —— *Et myrtea circum*
> *Sylva tegit.*

Quod ideo finxerunt, quia myrtus arbor ſacra Veneri eſt.

3. *Orgia.*] Servius ad hunc verſum quarti Æneidos.

> —— *Ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
> *Orgia, &c.*

Sane ſciendum, inquit, ὄργια apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud Latinos, ceremoniæ dicuntur, ſed abuſivè ſacra Liberi orgia vocant, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id eſt à furore, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, à montibus in quibus præſertim fiebant. Addit alia duo etyma Voſſius, nempe ab εἴργω *arceo* : quia non initiati ab iis arcerentur & à ῥέζω *facio*, & *ſacrifico* cujus præteritum ἔοργα : ut ita dicantur, quaſi θεῖα ἔργα. Certè hæc Heroidum Orgia, amoris infauſti Orgia erant, non Bacchi.

4. *Errantes ſylva in magna & ſub luce maligna.*] Deſumptum è duobus ejuſdem libri 6. Æneid. locis.

Et tacitos [1] ſine labe lacus, ſine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloſo lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomina flores,
[2] Mirator Narciſſus, & [3] Oebalides Hyacinthus,
Et [4] Crocus auricomans, [5] & murice pictus Adonis,
[6] Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis & amoribus anxia mœſtis
Exercent memores obita jam morte doloris:
Rurſus in amiſſum revocant Heroïdas ævum.
[7] Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambuſtas lacerans per inania cunas

INTERPRETATIO.

papaver grave, & ſtagna ſilentia abſque lapſu, & fluvios abſque ſuſurro: juxta quorum ripas, flores quondam deplorati, inſcripti *nominibus regum & puerorum, ſquallent* ſub *luce caliginoſâ*, nempe *Narciſſus admirator* ſui ipſius, *& Hyacinthus Oebali filius, & Crocus capillis aureis, & Adonis tinctus oſtro, & Ajax Salaminius inſcriptus* voce *luctuoſi gemitus. Quæ cuncta ſollicita fletibus & triſtibus amoribus, exagitant vitâ* jam *defunctos recordantes* adhuc *doloris* priſtini: eadem *revocant iterum Heroïdas in præteritam ætatem. Semele puerpera deluſa plorat partum* ſuum *fulmine* maturatum; *& divellens per aërem cunas flagrantes, excutit fatuam flam-*

NOTÆ.

1\. *Sine labe.*] *Labes* à *labendo.* Hic pro *lapſu*, ſeu fluento accipe.

2\. *Mirator Narciſſus.*] Mirator ſuæ ipſius formæ, cujus in fonte conſpectæ amore obiit, in florem deinde cognominem verſus. Metam. 3.

3\. *Oebalides Hyacinthus*] Oebali regis Laconiæ filius, Apollini dilectus, atque ab eo, per imprudentiam, diſci jactu interfectus, in floremque mutatus ejuſdem nominis. Ovid Metam. lib. 10.

4\. *Et Crocus auricomans*] Ovid. Metam. lib. 4. in fine quintæ fabulæ:

> *Et Crocon in parvos verſum cum ſmilace flores*
> *Prætereo.*

5\. *Et murice pictus Adonis.*] Ovid. Metam. 10. de hoc flore:

> ——— *Nec plena longior hora*
> *Facta mora eſt, cum flos de ſanguine concolor ortus,*
> *Qualem, quæ lento celant ſub cortice granum,*
> *Punica ferre ſolent, &c.*

6\. *Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Æas.*] Qui Latinis *Ajax*, Græcis eſt *Αἴας*, unde hic *Æas*. Tragicum autem gemitum intellige *αἶ, αἶ*, voces in Tragœdiis frequentes, quas voces inſcriptas Hyacintho flori, gemitûs Apollinis indices in Hyacinthi fabulâ Ovid. ait:

> *Non ſatis hoc Phœbo eſt. Is enim fuit auctor honoris,*
> *Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit, & αἶ αἶ*
> *Flos habet inſcriptum; funeſtaque littera ducta eſt.*

Eaſdem, priores litteras referre nominis Ajacis, cujus cruor in conſimilem florem ſit verſus, idem ait Ovid lib. 13. Metam. fab 3. quæ de Ajace eſt:

> *Nec valuere manus infixum educere telum:*
> *Expulit ipſe cruor, rubefactaque ſanguine tellus*
> *Purpureum viridi genuit de caſpite florem,*
> *Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.*
> *Littera communis, mediis, pueroque, viroque*
> *Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.*

Salaminius dicitur à Salamine inſulâ Interni Maris, ejus patriâ

7\. *Fulmineos Semele.*] Vide Ovid. Metam. lib. 3. fab. 6.

Digitized by Google

Ventilat [1] ignavum ſimulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, ſexu gaviſa virili,
Mœret in antiquam [2] Cænis revocata figuram.
Vulnera ſiccat adhuc [3] Procris: Cephalique cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſta
Lumina Seſtiaca [4] præceps de turre puella.
[5] Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur

Interpretatio.

mam fulminis ficti. Cænis quæ gaviſa quondam fuit *ſexu maſculo*, jam *reducta ad priſtinam formam, luget, conquerens donum* ſibi à Neptuno conceſſum *vanum* eſſe. *Procris ſiccat adhuc vulnus* ſuum: & quamvis *vulnerata amat manum ſanguinolentam Cephali. Puella ruens è turre Seſtiacâ, geſtat fumoſum lumen* in lampade *fictili. Et maſcula Sappho, interitura amore Leſ-*

Notæ.

1. *Ignavum ſimulati fulminis ignem.*] Iſta quippe Heroidum Orgia, & mortis argumenta varia ſpecie tantùm tenus adumbrata erant.

2. *Cænis revocata figuram.*] Sive *Cænis* legas, quod nomen ejus fuit, ſive *Cæneus*, quod ipſi in virum mutatæ inditum eſt, utrumque benè erit. Expreſſa hæc ſunt ex his Virg. lib. 6. Æneid.

His Phædram Procrinque locis, mæſtamque Eriphylem,
Crudelis gnati monſtrantem vulnera cernit,
Evadnenque, & Paſiphaën: his Laodameia
It comes, & juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.

De Cæneo vide Ovid. lib. Metam. 12. fab. 5.

3. *Procris.*] quæ, cum præ zelotypiâ poſt dumum lateret, maritum Cephalum obſervans, ab eo, feram eſſe rato, percuſſa jaculo eſt & interfecta. Vide Ovid. in fine lib. 7. Metam.

4. *Præceps de turre puella.*] Hero, cui patria Seſtos ad Helleſpontum in Europâ ſita contra Abydum Aſiæ oppidum, ex quo adnantem ſingulis noctibus amatorem Leandrum, ſuſpensâ è turri, ne erraret, lampade, excipere ſolita, cum ſubmerſum ipſum undis tempeſtate furentibus conſpexiſſet, præceps è turre deſiliit. Additur hic ei lampas ſua amorum teſtis & conſcia. Vide elegantiſſimum de Leandri & Herûs amoribus Muſæi Poëtæ Græci carmen.

5. *Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur.*] Virg. lib. 3. Æneid.

Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis.

ad quem locum Pomponius Sabinus: *Leucates mons mare intrat, dictus à petra coloris albi, in qua eſt Apollinis fanum. Hinc jaciebant ſe amantes, qui volebant oblivisci amoris.* Ipſa Sappho epiſtolâ ad Phaonem apud Ovid.

Hic ego cum laſſos poſuiſſem flebilis artus,
Conſtitit ante oculos Naïas una meos:
Conſtitit, & dixit: Quoniam non ignibus æquis
Ureris, Ambracia eſt terra petenda tibi.
Phœbus ab excelſo, quantum patet aſpicit æquor:
Actiacum populi, Leucadiumque vocant.
Hinc ſe Deucalion, Pyrrhæ ſuccenſus amore,
Miſit, & illæſo corpore preſſit aquas:
Nec mora, verſus amor fugit lentiſſima merſi
Pectora. Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet. Pete protinus altam
Leucada, nec ſaxo deſiluiſſe time, &c.

Hinc locus ille ἅλμα τῶν ἐρώντων *ſaltus amantium* dictus eſt. Plura huc congeſta ex Ptolemæo Hephæſtionis filio vide apud

[1] Maſcula [2] Lesbiacis Sappho peritura ſagittis.
[3] Harmoniæ [4] cultus Eriphyle [5] mœſta [6] recuſat,

INTERPRETATIO.

bii juvenis, *videtur jam jam deſultura è Leucate nubes tangente. Triſtis Eriphyle, infor-*

NOTÆ.

Scaligerum in caſtigationibus Auſonianis ad hunc locum. Porrò *Leucate* hic ſextus caſus eſt à recto *Leucas.* Ampelius in lib. memoriali cap. 8. à Tollio laudatus: *Leucade mons, undè ſe Sappho dejecit propter virum, &c.*

1. *Maſcula.*] Sive virili animo, quod auſa ſit è rupe deſilire, è quâ tantum ſolebant viri ſeſe impatientiâ amoris jaculari; ſive *maſculæ libidinis* ut de Ariminenſi Foliâ ait Horatius; quod fœminarum arſerit amoribus. Undè ipſa in epiſtolâ ad Phaonem ſuprâ laudata:

Lesbides, infamem quæ me feciſtis amatæ, &c.

& Horat. ode 13. lib. 2. carm.

—— Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

2. *Lesbiacis ſagittis.*] Amore Phaonis Lesbii juvenis, qui unguentum à Venere accepiſſe dicitur, quo cum ſe perunxiſſet totum, formoſiſſimus evaſit, & cum alias mulieres quamplurimas, tum Sappho ipſam ad ſui amorem pellexit; quod Plinius lib. naturalis hiſtoriæ 22. cap. 8. radici erynges candida tribuit, quam *centum capita* vocari ait. *Portentoſum eſt*, inquit, *quod de ea* (alba erynge) *traditur. Radicem ejus alterutrius ſexus ſimilitudinem referre, raram inventu: ſed ſi viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc & Phaonem Lesbium dilectum à Sappho.*

3. *Harmoniæ.*] Martis & Veneris ex adulterio filiæ, quæ Cadmo nupſit.

4. *Cultus.*] Monile infauſtum, quod Vulcanus vindictæ cupidus, adulterinæ uxoris filiæ donum nuptiale fecerat eo fato, ut funeſtum eſſet geſtanti cuilibet. Atque ut ait Statius Thebaidos 2.

Prima fides operi Cadmum comitata jacentem
Harmoniæ verſis in ſibila dira querelis,
Illyricos longo ſulcavit pectore campos.
Improba mox Semele vix dona nocentia collo
Induit, & fallax intravit limina Juno.
Teque etiam infelix perhibent Jocaſta Deorum
Poſſediſſe nefas. Vultus hac laude colebas
Heu quibus, heu! placitura toris! poſt longior ordo.
Tum donis Argia nitet, &c.

donata ſcilicet illo monili à Polynice conjuge, qui poſtea, cum Amphiarao vate ad bellum Thebanum egeret, neque convenire eum deliteſcentem poſſet; uxoris ejus Eriphyles fidem eodem monili oblato per Adraſtum ſocerum illius fratrem tentavit, & corrupit, atque proditum ab eâ Amphiaraum abduxit in infauſtam militiam, in quâ periturum ſe vates ſciebat. Nec tamen impunè hoc Eriphylæ uxori abire paſſus, filio Alcmæoni mandat proficiſcens, ut cum primum perlatus ad eum eſſet paternæ mortis nuntius, ſupplicium de matre ſumeret. Quod ille fecit. Undè noſter de eâ hic:

Infelix nato, nec fortunata marito,

& Virgil. loco ſupra laudato

—— meſtamque Eriphylen
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit.

5. *Mœſta.*] Sic Virg.

—— mœſtamque Eriphylen

Homerus lib. 11. Odyſſ.

—— στυγερήν τ' Ἐριφύλην.

6. *Recuſat.*] Sed tardius. Dum enim viveret optaverat cupidius. Statius loco ſuprà laudato:

Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulaſque trucem ſecreta coquebat
Invidiam, ſævis detur ſi quando potiri
Cultibus. Heu nihil auguriis adjuta propinquis,
Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades, &c.

de hâc Propert. lib. 3. eleg. 13.

Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos
Dilapſis nuſquam eſt Amphiaraïs equis.

Digitized by Google

Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque [1] aëriæ [2] Minoïa fabula Cretæ,
[3] Picturarum inſtar tenui ſub imagine vibrat.
[4] Paſiphaë nivei ſequitur veſtigia tauri.
[5] Licia fert glomerata manu [6] deſerta Ariadne.
Reſpicit [7] abjectas [8] deſperans Phædra tabellas.
[9] Hæc [10] laqueum gerit: [11] hæc [12] vanæ ſimulachra coronæ:
[13] Dædaliæ [14] pudet hanc [15] latebras [16] ſubiiſſe juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
[17] Laodameïa [18] duas, vivi functique mariti.

Interpretatio.

tunata filio, nec felix viro, reſpuit ornatum Harmoniæ. Tota etiam fabula Cretæ inanis ad Minoëm ſpectans coruſcat ſub levi ſimulacro ad exemplum picturarum. Paſiphae ſequitur paſſus albi juvenci. Ariadne derelicta gerit manu filum convolutum. Phædra ad deſperationem redacta, aſpicit pugillaria humi *projecta. Hæc fert laqueum: illa* fert *inanem imaginem coronæ: hanc pudet intraviſſe latibulum vaccæ à Dædalo fabricatæ. Laodamia conqueritur nimis citò elapſas inter caſſas voluptates noctes duas,* alteram *cum vivente conjuge,* alteram *cum* eodem *mor-*

Notæ.

1. *Aëriæ.*] Vel *inanis* & *umbratica* tantùm, ut expreſſi in interpretatione: & cujuſmodi erant, quæ in illis lugentibus campis gerebantur: vel, ſi refers ad veram Cretam, intellige *altæ*, & *ſublimis.* Sic *aërius mons*, & *aëriæ turres* ſæpe apud Poëtas.

2. *Minoïa.*] Ad Minoëm Cretæ regem pertinens, ut quæ de Paſiphaë uxore ejus & filiabus Phædrâ & Ariadne eſſet.

3. *Picturarum inſtar.*] Barthius reponit *Picturatum inſtar* & interpretatur; *imaginem variis coloribus expreſſam.* Vulgatam ſequutus ſum lectionem in interpretatione. Elige Lector utram malueris.

4. *Paſiphaë nivei.*] Ex Virgil. ecloga 7.

5. *Licia.*] Filum, quo cæca Theſei veſtigia in Labyrintho rexerat.

6. *Deſerta.*] A Theſeo, qui illam cum ſorore Phædrâ rapuerat abiens. Et hujus amore captus, illam dereliquerat in Diâ inſulâ dormientem. Quam poſtea Liber pater, illac iter habens, repertam amavit, & duxit uxorem.

7. *Abjectas tabellas.*] In quibus litteras ſcripſerat ad privignum Hippolytum inceſti amoris indices.

8. *Deſperans.*] Se poſſe amore potiri.

9. *Hæc.*] Phædra.

10. *Laqueum gerit.*] Quo vitam finierat.

11. *Hæc.*] Ariadne.

12. *Vanæ ſimulachra coronæ.*] Quam Bacchus ei dederat, quæque poſtea inter ſidera collocata eſt. De hâc Virgilius lib. Georg. 1.

Gnoſſiaque ardentis decedat ſtella coronæ.

13. *Dædaliæ.*] Quam Dædalus peritiſſimus artifex è ligno compegerat, & tergo bovis contexerat.

14. *Pudet hanc.*] Paſiphaën.

15. *Latebras.*] Cavum ventris & femorum vaccæ, in quâ delituit.

16. *Subiiſſe.*] Ut hac ſpecie deceptum Taurum in ſui amorem pelliceret.

17. *Laodameïa.*] Acaſti Theſſaliæ regis filia, Proteſilai uxor: qui cum prius Iolaus appellaretur, Proteſilaus poſt mortem à Græcis eſt appellatus, quòd primus omnium è navi in littus Trojanum deſiliens, ab Hectore fuiſſet interfectus, ut jam obſervavi ad epigrammata.

18. *Duas noctes.*] Alteram quam extremam cum marito adhuc vivente & ad bellum jam jam profecturo tranſegerat: alteram quâ cum eodem mortuo & ab inferis à Mercurio reducto collocuta erat. Diem unum eam à Diis impetraſſe ad congreſſum defuncti mariti Lucianus auctor eſt in dialogis. Tres tantum horas Hyginus fab. 103. Quo iterum ad inferos abducto,

Parte

Parte truces alia ſtrictis mucronibus omnes
Et [1] Thisbe & [2] Canace, & Sidonis horret Eliſſa.
[3] Conjugis hæc, [4] hæc patris & [5] hæc gerit [6] hoſpitis enſem.
Errat & ipſa olim, qualis [7] per Latmia ſaxa
Endymioneos ſolita [8] affectare ſopores
Cum face, & aſtrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus & mœſtis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias furvæ caliginis umbram
Diſpulit inconſultus Amor ſtridentibus alis.
Agnovere omnes puerum: memorique recurſu
Communem ſenſere reum, quanquam humida circum
Nubila, & auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, & rutilæ fuſcarent lampados ignem:
Agnoſcunt tamen: & [9] vanum vibrare vigorem

INTERPRETATIO.

tuo. In aliâ parte Thisbe, & Canace, & Dido Sidonia apparent *horridæ omnes & truculentæ cum nudatis enſibus. Hæc geſtat gladium mariti, hæc patris, & hæc hoſpitis. Ipſa quoque Diana bicornis vagatur cum tædâ, & diademate ſtellato, qualis ſolita* erat *quondam aucupari ſomnos Endymionis per cautes Latmi* montis. *Centum aliæ, renovantes plagas veterum* ſuorum *amorum, refovent cruciatus* ſuos *querimoniis jucundis* ſimul *& triſtibus. Per quarum medium Cupido imprudens diſcuſſit pennis ſtrepentibus obſcuritatem nigræ nebulæ. Omnes agnoverunt puerum: & celeri recordatione animadverterunt* eum eſſe *communem* ſibi omnibus *reum, quamvis humida caligo circumfuſa obſcuraret & cingulum* ejus *ſplendens bullis deauratis, & pharetram & flammam facis* ejus *micantis: nihilominus agnoſcunt* eum: *& incipiunt ruere*

NOTÆ.

ſimulacrum æreum fecit ſimile conjugi, & in thalamis poſuit, ſub ſimulatione ſacrorum, & illud colere cœpit, ut refert idem Hyginus fabulâ ſequenti. Quod amplectentem illam famulus per rimam conſpicatus, & ratus adulterum eſſe, cum nuntiaſſet Acaſto ejus patri, in thalamum is irrupit, viſamque Proteſilai effigiem, ne filia diutius eâ torqueretur, juſſit pyrâ factâ comburi, quò ſe Laodamia, dolorem non ſuſtinens, immiſit, atque uſta eſt.

1. *Thisbe.*] Cujus vide fabulam lib. 4. Metamorph.

2. *Canace.*] Æoli filia, quæ cum ex inceſto fratris Macarei concubitu mater facta peperiſſet, miſſo gladio à patre, cui latens ſub olivæ frondibus & vitis infans, dum ſpecie ſacrorum aufferretur, vagitu ſuo ſeſe prodiderat, ſeſe interficere coacta eſt. Vide ejus ad Macareum epiſtolam apud Ovidium.

3. *Conjugis hæc.*] Pyrami Thisbe.

4. *Hæc patris.*] Canace Æoli.

5. *Et hæc.*] Dido.

6. *Hoſpitis.*] Æneæ, cujus gladio muneri ſibi dato, ſeſe interfecit. lib. 4. Æneid.

——— *Enſemque recludit*
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus, &c.

7. *Per Latmia ſaxa.*] Latmus mons eſt Cariæ, Endymionis à Lunâ in eo adamati fabulâ nobilis, cujus fabulæ ait originem hanc fuiſſe Plinius lib. 2. cap. 9. quod lunæ defectus, & phaſes varias Endymion in illo monte primus obſervaverit.

8. *Affectare ſopores.*] Id eſt conciliare ei ſomnum, & obſervare quandonam dormitet; ut ſcilicet dormientem oſcularetur.

9. *Vanum.*] Inanem, & ut inter umbras umbraticum.

Occipiunt : hoſtemque unum loca non ſua nactum,
Quum pigros ageret denſa ſub nocte volatus,
Facta nube premunt. Trepidantem & caſſa parantem
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœſto myrtus notiſſima luco,
Invidioſa Deûm pœnis. [1] Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonin.
Hujus in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
[2] Affigunt. Reus eſt ſine crimine, judice nullo
Accuſatus Amor. Se [3] quiſque abſolvere geſtit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati inſignia leti
Expediunt : hæc arma putant, hæc ultio dulcis,

INTERPRETATIO.

in eum *umbratico impetu : & agglomeratæ* inſtar *nubis, urgent hoſtem* illum *unicum, qui inciderat in locum ſibi iniquum, cum moliretur tardos volatus per caliginem opacam. Cum trepidaret & fruſtra conaretur effugere, traxerunt* eum *in mediam* ipſarum *turbam. Eligunt myrtum notiſſimam* in *triſti nemore, odioſam ſuppliciis Deorum. Proſerpina contempta ibi excruciaverat quondam Adonin recordantem Veneris. In ſummo hujus trunco ſublatum Cupidinem affigunt immodico ſupplicio ligatis manibus poſt tergum, & lugentem quod pedes* ſibi *conſtringerentur vinculis. Cupido ſtatuitur reus ſine ſcelere, abſque judice. Unaquæque* earum *conatur ſe abſolvere, ut ſua peccata transferat in alium. Omnes exprobrantes* ei ſuos caſus, *promunt* in eum *monimenta necis quam perpeſſæ ſunt : hæc habent pro armis, hæc* eis videtur *jucunda ultio*, *ut*

NOTÆ.

1. *Cruciaverat olim, &c. Proſerpina Adonin.*] Auſonius fabellam ab Apollodoro relatam lib. 3. Biblioth. reſpicere videtur, quæ eſt hujuſmodi. Adonin Venus adhuc infantem, & non ita pridem è Myrrhæ matris fiſſo cortice eductum, formâ ejus capta, clam Diis in arcâ occultatum ante Proſerpinam conſtituit. Quem ſimul ac illa conſpexit, ſimili amore correpta, negavit ſe reddituram. Lis oritur. Itur ad Jovem, qui rem ſic componit. Tres in partes annum partitur, & imperat ut unam Adonis apud ipſum Adonidem, alteram cum Proſerpinâ, tertiam cum Venere permaneret. Sed enim Adonis pronior in Venerem, ſuum quoque anni trientem illi tribuit. Nec longo poſt tempore Dianæ, (quæ Proſerpina eſt,) iracundiâ ab apro in venatione eſt interfectus Adonis. Nec tamen Veneris etiam poſt mortem oblitus, Proſerpinam in ipſo ejus regno auſus eſt contemnere. Atque illud eſt quod Proſerpina nunc cruce myrteâ vindicat. Ipſe quoque Theocritus huc aſpexit Idyllio 15. quod inſcribitur *Ἀδωνιάζουσαι*.

2. *Affigunt.*] Sic Barthius, & Scriverius pro *afficiunt*.

3. *Quiſque.*] Fæminino genere, cum de Heroidibus ſermo ſit. Nec mirum. *Quis* enim eodem genere apud Plautum ſæpè reperire eſt : ut apud Terentium in Eunucho *quiſquam : hunc oculis ſuis noſtrarum numquam quiſquam vidit, Phædria*, inquit Pythias act. 4. ſc. 4. Et ſanè antiquitus videtur, *hic & hæc quis* & *hoc quid* dictum, deinde fæmininum *quæ* adſcitum à relativo *qui quæ quod*.

Digitized by Google

Ut quo quæque perît, ſtudeat [1] punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc ſpeciem mucronis inanem
Ingerit: illa cavos amnes, rupemque fragoſam,
Inſanique metum pelagi, & ſine fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces. Reſcindit adultum
Myrrha uterum [2] lacrymis lugentibus: inque paventem
[3] Gemmea fletiferi jaculatur ſuccina trunci.
Quædam ignoſcentum ſpecie ludibria tantum
Sola volunt: ſtilus ut tenuis ſub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Roſa nata, cruorem;
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipſa etiam ſimili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat ſecura tumultus.
Nec circumvento properans ſuffragia nato
Terrorem ingeminat, ſtimuliſque accendit amaris
[4] Ancipites Furias: natique in crimina confert

INTERPRETATIO.

unaquæque conetur eum *plectere* eodem *cruciatu*, *quo* ipſa *obiit. Hæc tenet funem, hæc intentat vanam imaginem enſis: illa fluvios profundos, & ſcopulum aſperum, & timorem pelagi furentis, & mare ſine aquis. Quædam vibrant ignes, & intentant trepidanti tædas crepitantes* quanquam *ſine flammâ. Mirrha aperit ventrem tumidum craſſis lacrymis, & mittit in* Cupidinem *timentem ſuccina micantia ſtipitis* ſui *lacrymas fundentis. Nonnulla, quaſi ei veniam darent, ludos tantùm facere volunt:* puta *ut parvus mucro exiguo punctu extrahat* ab eo *tenerum ſanguinem, ex quo roſa genita eſt. Vel* ut *admoveant inguini protervam flammam lampadis. Ipſa quoque* ejus *mater alma Venus, conſcia ſimilis erroris, penetrat audacter tantos tumultus. Non tamen parans deprecari pro filio capto*, quin immò *auget terrorem, & irritat* in eum *acerbis inſtigationibus illas quaſi Furias: & ipſa conjicit probrum ſuum in culpam*

NOTÆ.

1. *Punire dolore.*] Sic rectè Barthius, non *dolorem*, ut eſt in vulgatis. Ratio ex ſenſu patet.

2. *Lacrymis ingentibus.*] Barthius *flammis lugentibus*: perperam. Mariangelus Accurſius ex MSS. Codd. ubi eſt *lacrymis vigentibus* contra metri rationem, reponebat *lacrymis lucentibus* hoc eſt *ſplendentibus*. Scriverius ex ejuſdem ſcripturæ veſtigiis *lacrymis urgentibus*, hoc eſt, præ abundantiâ erumpere geſtientibus. Fortaſſe *turgentibus* legendum fuerit. Salmaſius *lacrymis ingentibus*. Duo quippe Myrrhæ genera eſſe, unum *ἁδρόβωλος*, alterum *μικρόβωλον*, illud glebis ingentibus, hoc minoribus. Cujus meminit Dioſcorides. Myrrham autem hanc, quæ lacrymas ſuas in lapidem congelatas, quæ *ſuccina gemmea* hic vocat Auſonius, in Cupidinem erat jaculatura, grandioribus guttis, hoc eſt, *ἁδροβώλους* præoptaviſſe ſudare; ut nempe gravius læderent Cupidinem, quam ſi parvas & *μικροβώλους* jaculata eſſet. Hanc poſtremam lectionem in interpretatione ſum ſequutus, tu elige lector.

3. *Gemmea.*] Tollius non malè ſuſpicabatur *gummea*. Succus enim ille Myrrhæ *gummi* eſt.

4 *Ancipites Furias.*] Illas ſcilicet Heroïdas, quæ cum ita in Cupidinem ſævirent, Furiæ videri poterant. *Ancipites* hic ne vertas *dubitantes*, ut Vinetus; ſed *dubias*, quas ſcilicet tu dubites fæminas ne voces, an Furias. Quæ hic Tollius affert adverſus

Dedecus ipſa ſuum : quod [1] vincula cæca mariti
Deprenſo Mavorte tulit: quod pube pudenda
[2] Helleſpontiaci ridetur forma Priapi.
[3] Quod crudelis Eryx ; [4] quod ſemivir Hermaphroditus.
Nec ſatis in verbis. Roſeo Venus aurea ſerto
Mœrentem pulſat puerum, & graviora paventem.
Olli purpureum [5] mulcato corpore rorem
[6] Sutilis expreſſit crebro roſa verbere : quæ, jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ : vindictaque major
Crimine viſa ſuo, Venerem factura [7] nocentem.
Ipſæ intercedunt Heroïdes, & ſua quæque
Funera crudeli malunt adſcribere fato.

INTERPRETATIO.

filii : quod perpeſſa ſit ſubtiles catenas conjugis ſui, quibus *deprehendit Martem* cum eâ : *quod figura Priapi Helleſpontiaci derideatur* ab omnibus *ob turpe inguen. Quod Eryx* fuerit *crudelis : quod Hermaphroditus ſit ſemimas. Neque contenta* eſt *objurgatione. Venus pulchra verberat ſerto è roſis puerum lugentem, & timentem acerbiora. Roſa* illa in ſertum *conſuta elicuit ipſi ex corpore icto multis verberibus liquorem purpuream : quæ* quidem roſa, *cum jam ante infecta* eo ſanguine eſſet, *duxit inde ardentem colorem,* facta *magis ignea. Hinc ſævæ minæ conciderunt : & ultio viſa eſt gravior ipſo ſcelere*, & *redditura* ipſam *Venerem ſontem. Ipſæ Heroïdes obſtant* quominus ulterius ſæviat, *& ſingulæ malunt aſſignare ſuas mortes ſævo fato. Tunc mater pia*

NOTÆ.

Vinctum ut *Furias* hîc probet veras Eumenidas intelligendas eſſe, non autem ad Heroidas referendam illam vocem, planè adverſus eum pugnant. Verſus eſt epigrammatis 95. quod eſt de Hyla qui cum à Naiadibus amantibus raperetur, ſub aquis merſus eſt:

Ancipites patitur Naïadas Eumenidas.

Intelligendum enim eſt Naiadas, quæ, cum ipſi mortem afferant, Furiæ videri poſſunt.

1. *Vincula*] Rete illud quo à Vulcano Venus cum Marte implicita ludibrio fuit Diis omnibus. Fabula extat lib. 4. Metam.

2. *Helleſpontiaci*] Ex urbe Troadis Lampſaco ad Helleſpontum ſitâ oriundus Priapus, Veneris & Mercurii, ut vult Hyginus, ut alii ejuſdem Veneris, & Liberi patris filius : deus hortorum habitus eſt, furum aviumque maxima formido.

3. *Quod crudelis Eryx.*] Butæ & Veneris filius Crudelis dicitur, quod viribus præpollens, Hoſpites ad cæſtuum certamen provocatos ſoleret occidere ; donec ab Hercule ex Hiſpaniâ redeunte ſuperatus & occiſus eſt, ſepultuſque in eo monte Siciliæ, qui ab eo Eryx appellatus eſt ; unde Venus Erycina quoque dicta.

4. *Quod ſemivir Hermaphroditus.*] Ejuſdem Veneris, & Mercurii filius, ut nomen ejus ſonat ; Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης υἱός. Ejus & Salmacidis Nymphæ in unum corpus coaleſcentium fabulam vide Metam. lib. 4.

5. *Mulcato.*] Percuſſo, verberato. Gloſſæ Iſidori *mulcat, percutit.* Apul. lib. 8. Aſini : *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt, contortis taeniis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſellatum, indidem ſeſe multimodis commulcat ictibus.*

6. *Sutilis.*] In ſertum implexa. Sic Charontis cymba ſutilis dicitur lib. 6. Æneid. id eſt compacta ex aſſeribus.

7. *Nocentem.*] Quod ultra modum ſæviiſſet.

Tum grates pia mater agit, ceſſiſſe dolentes,
Et condonatas pueros dimittere culpas.
Talia nocturnis olim ſimulacra figuris
Exercent trepidam caſſo terrore quietem.
Quæ poſtquam multa perpeſſus nocte Cupido
Effugit, pulſa tandem caligine ſomni
Evolat ad ſuperos; [1] portaque evadit eburna.

INTERPRETATIO.

gratias agit ipſis, quod quanquam *mærentes, cedant, & remittant puero culpas* ejus *quibus dant veniam. Talia ſpectra aliquando formis* ſuis *agitant per noctem vanâ formidine ſomnum inquietum. Quæ, poſtquam Cupido, perpeſſus per magnam noctis partem evaſit, fugatâ demum obſcuritate ſomni evolat ad cælicolas, & effugit per portam eburneam.*

NOTÆ.

1. *Portaque evadit eburna.*] Illâ ſcilicet, *quâ falſa ad cœlum mittunt inſomnia Manes.* Cum altera ſomni porta, *qua veris facilis datur exitus umbris*, cornea ſit. Vide finem libri 6. Æneid. unde id deſumpſit Auſonius.

AUSONIUS [1] Paulo ſuo S. P. D.

326 PErvincis tandem: & operta muſarum mearum, quæ [2] initiorum velabat obſcuritas, quanquam non prophanus, irrumpis, Paule cariſſime. Quamvis enim te non [3] ejus vulgi exiſtimem, quod Horatius arcet ingreſſu: tamen ſua cuique ſacra: [4] nec idem Cereri quod Libero, [5] etiam ſub iiſdem cultoribus. Poëmatia, quæ [6] in alumnam meam

INTERPRETATIO.

Obtines tandem quod voluiſti, *Paule cariſſime; & penetras, quanquam non* quidem *prophanus, ſecreta mearum camænarum, quæ umbra myſteriorum occultabant. Quanquam enim non putem te* eſſe *ex illo vulgo, quod Horatius prohibet aditu: nihilominus unus quiſque* habet *ſua ſacra: neque idem eſt Cereri* ſacrum *quod Baccho, licet apud eoſdem adoratores. Coëgiſti*

NOTÆ.

1. *Paulo ſuo.*] Idem videtur Paulus, ad quem hoc & proximum mittit Idyllium, epiſtolaſque octavam & ſex ſequentes: Axius nempe Paulus, qui in eadem octavâ epiſtolâ. Orator, & Poeta, ludique Magiſter, & Rhetoricæ Profeſſor, in Ep. undecimæ Hendecaſyllabis patriâ Bigerritanus indigitatur.

2. *Initiorum.*] *Initia* Latinis fuere *myſteria.* Varro lib. 4. de lingua Lat. *Per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes ingreſſi.* Sic autem dicta videntur *myſteria*, quod eſſent *initium vitæ melioris.* Græcis eâdem mente, ſed contrario vocabulo τελεταὶ, id eſt *perfectiones* dicebantur. Ratio appellationis quod in iis ſummam beatitatem conſtituerent, quæ τέλος eſt, ſeu finis & perfectio vitæ humanæ. Vel ſtatuendum, ut ſimpliciter *facere* dicebant, pro *ſacra facere*, ſic *initia* dixiſſe pro *ſacrorum initiis*, & τελετὰς pro *ſacrorum conſummatione.*

3. *Ejus vulgi quod Horatius arcet.*] Ode 1. lib. 3.

Odi profanum vulgus & arceo.

4. *Nec idem Cereri quod Libero.*] Cereri quippe mactabatur porca, quod ſoleret illud animal grunno ſata fodere & deſtruere Cererem: Baccho autem hircus, quod vitem rodendo vinum deſtruat.

5. *Etiam ſub iiſdem cultoribus.*] Ruſticis ſcilicet agricolis, & vinitoribus, quibus hæc maxime colebantur numina.

6. *In alumnam.*] Biſſulam ut infrà patebit.

Digitized by Google

luſeram, rudia, & inchoata ad domeſticæ ſolatium cantilenæ, quum ſine metu arcana ſecuritate fruerentur, proferre ad lucem, caligantia coëgiſti. [1] Verecundiæ meæ ſcilicet ſpolium concupiſti: aut quantum tibi in me juris eſſet, ab invito indicari. Ne tu Alexandri Macedonis pervicaciam ſupergreſſus: qui [2] fatalis jugi [3] lora quum ſolvere non poſſet, abſcidit: & [4] Pythiæ ſpecum, quo die nefas erat patere, penetravit. Utere igitur ut tuis, pari jure, ſed fiducia diſpari: quippe tua poſſunt populum non timere; meis etiam intra me erubeſco.

Ut voluiſti, Paule, cunctos Biſſulæ verſus habes:
Luſimus quos in [5] Suevæ gratiam virgunculæ,
Otium magis foventes, quam ſtudentes gloriæ.
Tu moleſtus flagitator lege moleſta carmina.

INTERPRETATIO.

prodire in lucem tenebricoſos verſiculos, quos ludens ſcripſeram de alumnâ meâ, imperfectos quidem illos, *& inchoatos* tantùm *ut me conſolarentur domi cantando, quùm abſque timore fruerentur ſecuritate* ſui *ſecreti. Optaſti nempè habere* has *exuvias* ſuperati *mei pudoris, vel* me *demonſtrare,* licet *repugnantem, quantam haberes in me poteſtatem. Certè tu ſuperaſti obſtinationem Alexandri Macedonis; qui cum nequiret ſolvere funes fatalis currûs, amputavit* illos: *& irrupit ſpeluncam Pythiæ, die quo non licebat eam aperiri. Utere ergo* his *ſicut tuis, eodem jure, ſed non eâdem confidentiâ: quia ſcilicet tua* carmina *poſſunt non metuere vulgus; me* verò *pudet meorum etiam apud me.*

Paule, habes ut optaſti omnes verſus de Biſſulâ: quos ludens ſcripſi in gratiam puellæ Suevæ, magis ut occuparem otium meum, *quam quod captarem inde laudem aliquam. Tu,* qui fuiſti

NOTÆ.

1. *Verecundiæ meæ ſpolium.*] Metaph. à bello, ubi victoriæ argumentum detracta ab hoſte ſpolia Spolium verecundiæ hic ſunt verſus de Biſſulâ, quos verecundia premere jubebat, Paulus autem ſuperatâ amici verecundiâ extrahit, in lucem.

2. *Fatalis jugi.*] Currûs ſeu vehiculi Gordii Midæ patris apud Gordium urbem, in quo curru *notabile erat* ut ait Curtius lib. 3. *Vinculum adſtrictum compluribus nodis in ſemetipſos implicatis, & celantibus nexus. Incolis affirmantibus editam eſſe oraculo ſortem: Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum ſolviſſet.* Et paulo poſt: *Ille* (nempè Alexander) *nequicquam diu luctatus cum latentibus nodis, Nihil, inquit, intereſt quomodo ſolvantur; gladioque ruptis omnibus loris, oraculi ſortem vel eluſit, vel implevit.*

3. *Lora.*] Quæ, ſi credimus Plutarcho, ex Corni arboris libro, ſeu tenuiori cortice facta erant.

4. *Et Pythiæ ſpecum quo die nefas erat, &c.*] Res ex Plutarcho ſic habet. Alexander expeditionem contra Perſas ſuſcepturus, ut Apollinem conſuleret, Delphos venit. Quo tempore cum in nefaſtos dies incidiſſet, oraculi ſilentio datos, ideòque negantem, legemque tuentem Phœbadem exorare non poſſet: invitam trahens ipſe in templum aſcendit, ea autem veluti Alexandri ſtudio & pertinaciâ victa ἀνίκητος εἶ ὦ παῖ, inquit, id eſt, *invictus es ô fili.* Quod cum Alexander audiviſſet, aſſecutum ſe, quod ab eâ cuperet vaticinium; neque alio ſibi opus eſſe affirmavit. In templo porrò ſpecus erat ex quâ Pithia vates oracula reddebat.

5 *Suevæ.*] Suevos, qui varias in Germaniâ ſedes habuerunt variis temporibus, eaſdem tunc cum hæc ſcriberet Auſonius occupaſſe quas nunc *Sueviam Suabe* ex eorum nomine appellamus, vel hinc patet, quod Suevam hanc virgunculam ad Da-

Digitized by Google

[1]Tibi, quod intriſti, exedendum eſt; ſic vetus verbum jubet;
[2]Compedes, quas ipſe fecit, ipſus ut geſtet faber.

INTERPRETATIO.

petitor importunus, lege verſus importunos. Tibi prorſus concedendum eſt, quod tu *intrivisti; ſic vetus adagium præcipit: ut faber ipſe gerat compedes, quas ipſe fabricavit.*

NOTÆ.

mbii caput ortam infrà dicit hoc verſiculo.

Conſcia naſcentis Biſſula Danubii.

1. *Tibi quod intriſti, &c.*] Proverbium ex Phormionis Terentianæ fabulæ act. 2. ſc. 2.

2. *Compedes, &c.*] Vid. Adag. 86. Centuriæ primæ apud Eraſmum.

Ad Lectorem hujus libelli.

327 CArminis incompti tenuem lecture libellum,
Pone [1] ſupercilium.
Seria contractis expende poëmata [2] rugis.
Nos [3] Thymelen ſequimur.
Biſſula in hoc ſchedio cantabitur, [4] aut Eraſinus.
Admoneo, ante bibas.
Jejunis nil ſcribo. Meum poſt pocula ſi quis
Legerit, hic ſapiet.
Sed magis hic ſapiet, ſi dormiet: & putet iſta
Somnia miſſa ſibi.

INTERPRETATIO.

Tu *qui lecturus es exiguum libellum carminis impoliti, depone gravitatem. Examina caperatâ* fronte *carmina ſeria. Nos ſectamur Thymelen. Biſſula, vel Eraſinus celebrabitur in hac chartâ. Moneo* te, *ut prius potes,* quam legas. *Nihil ſcribo ſobrius. Si quis legerit meum hoc opus poſt calices* exhauſtos, *hic ſanus erit. Sed hic erit ſanior, ſi dormiet: & cenſeat hæc eſſe* tantùm *ſomnia ſibi miſſa.*

NOTÆ.

1. *Supercilium.*] Per Metonymiam pro ſuperbâ quâdam & moroſâ gravitate ponitur *ſupercilium.*

2. *Rugis.*] Frontis tuæ.

3. *Thymelen.*] Res ludicras & ſaltationes, aliaque hujuſmodi oblectamenta, idque per Metonymiam. *Thymele* ſaltatrix fuit & mima celebris, uxor Latini mimi, de qua Juvenalis ſatyra 1.

Et à trepido Thymele ſummiſſa Latino.

Nomen porrò hæc ſortita videtur à θυμέλη, quod erat pulpitum theatri, ubi ſaltationes peragebantur. Unde Thymelici dicti Tibicines, Citharœdi, & ſimimiles ἐν θυμέλῃ, hoc eſt pulpito artem ſuam exercentes.

4. *Aut Eraſinus.*] Scaliger ſuſpicatur fuiſſe *Eraſinum* hunc γελωτοποιὸν aliquem, paraſitum ridiculum, aut mimum temporibus Auſonii, quales apud Sidonium *Caramalus*, & *Phabaten*, qualis & fuit *Paris*, Domitiani temporibus. Auſonius itaque nihil hic niſi ridere pollicetur, nihil, quod alienum ſit ab arte Eraſini.

Auſonii Biſſula. Ubi nata ſit, & quomodo in manus domini venerit. VII.

328 BIſſula trans gelidum ſtirpe & lare profata Rhenum,
[1] Conſcia naſcentis Biſſula Danubii,
[2] Capta manu, ſed miſſa manu, dominatur in ejus
Deliciis, cujus bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, [3] neſcivit herai
Imperium. * * * * .
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria ſenſit,
Illico inexperto libera ſervitio.
Sic [4] Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cærula, flava comas.
Ambiguam modo lingua facit, modo forma puellam,
[5] Hæc Rheno genitam prædicat, [6] hæc Latio.

Interpretatio.

Biſſula orta è familiâ, & domo ſitâ ultra frigidum Rhenum, Biſſula quæ vidit Iſtrum ſcaturientem, capta manu, ſed manumiſſa, primas tenet in deliciis illius, cujus præda facta eſt bello. Carens matre, carens nutrice, non experta eſt imperium dominæ. * * * * *Quæ nullatenus ſenſit ignominiam ſortis & patriæ ſuæ, liberata ſtatim à ſervitute, quam nondum paſſa erat. Sic commutata commodis* educationis *Latinæ, ut vultus ei remaneret, Germanus* cum habeat *oculos cæruleos, & capillos flavos. Nunc loquela, nunc facies reddit virginis* originem *dubiam, hæc declarat* eam *ortam* eſſe *è Rheno, illa* vero ſuadet eam ortam eſſe *è Latio.*

Notæ.

1. *Conſcia naſcentis, &c.*] Nata in Sueviâ ubi Danubii fontes ſunt: ſuprà in Præfat. ad Paulum, *Suevam* illam dicit:

Luſimus quos in Sueva gratiam Virguncula

2. *Capta manu.*] Unde *mancipia* dicebantur ſervi manu capti in bello.

3. *Neſcivit herai imperium, &c.*] Lacunam ſic ſuppleri poſſe Scaliger putat, ut legatur:

Matre carens, nutricis egens, neſcivit herile
Imperium, domina libera facta manu.

4. *Latiis bonis.*] Commodis linguæ, morum, & educationis Latinæ.

5. *Hæc Rheno genitam.*] Forma, quæ Germana eſt.

6. *Hæc Latio.*] Lingua Latina, quâ loquitur.

De eadem Biſſula.

329 DElicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, ſed quæ Latias vincis alumna pupas.
Biſſula nomen teneræ ruſticulum puellæ,
Horridulum non ſolitis, ſed domino venuſtum.

Interpretatio.

O *Alumna* mea, *deliciæ* meæ, *luſus, amor, voluptas* mea, *barbara* quidem, *ſed quæ ſuperas Latinas virgunculas, Biſſula nomen ſubruſticum teneræ virginis, aſperius* paulò *iis qui non aſſueverunt, ſed jucundum domino.*

Ad

Ad pictorem de Biſſulæ imagine.

330 BIſſula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus [1] fictæ non commodat arti.
[2] Sandyx, & [3] ceruſſa, alias ſimulate puellas;
Temperiem hanc vultus neſcit manus. [4] Ergo age pictor,
Puniceas confunde roſas & lilia miſce.
Quique erit ex illis color aëris, ipſe ſit oris.

INTERPRETATIO.

Biſſula, quæ non poteſt exprimi ceris, neque ullâ picturâ, non accommodat nativam ſuam pulchritudinem arti fictæ. O ſandyx, & ceruſſa, exprimite alias virgines: manus pictoris *ignorat hanc temperaturam faciei. Age igitur pictor, permiſce roſas purpureas, & adjunge lilia, & qui color inde exurget per aërem, ipſe ſit color vultûs Biſſulæ.*

NOTÆ.

1. *Ficta non commodat arti.*] Picturæ quæ rerum formas effingit.

2. *Sandyx.*] Factitius color rubeus. De hoc Plin. lib. 35. cap. 6. *Sandaracha quomodo fieret diximus, fit & adulterina ex ceruſſa in fornace cocta. Color eſſe debet flammeus. Pretium in libras aſſes quini. Hæc ſi torreatur, æqua parte rubrica admiſta ſandycem facit. Quanquam animadverto Virgilium exiſtimaſſe herbam id eſſe, illo verſu.*

Sponte ſua Sandyx paſcentes veſtiet agnos.

Pretium in libras dimidium ejus quod Sandarachæ.

3. *Ceruſſa.*] Pigmentum candidum ex plumbo, ſat notum.

4. *Ergo age pictor, puniceas confunde roſas.*] Hæc ex Anacreontis carmine de ſuâ amicâ, quod incipit Αγε ζωγράφων ἄριστε. Ubi inter cætera:

Γράφε ῥῖνα καὶ παρειὰς
Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας.

Id eſt, *naſum genaſque pinge, lacti roſas remiſcens.* Pro *lacte* noſter *lilia.*

Ad eundem.

331 PIngere ſi noſtram pictor meditaris alumnam,
Æmula [1] Cecropias ars [2] imitetur apes.

INTERPRETATIO.

Pictor ſi cogitat pingere meam alumnam, ars tua *imitatrix æmuletur apes Atticas.*

NOTÆ.

1. *Cecropias.*] Atticas, à Cecrope Athenarum rege. Porro in terrâ Atticâ ac præcipuè in monte Hymetto, præſtantiſſima mella, quæ inde Hymettia, apud Horatium & alios.

2. *Imitetur apes.*] Varios colores ex variis floribus ſumendo, ut ceram & mel ex variis floribus & herbis apes. Deſiderari multa alia in Biſſulam ab Auſonio ſcripta carmina, meritò ſuſpicatur Tollius: certè loquacitatem ejus ab Auſonio celebratam fuiſſe, (cujus tamen nullum in his quæ extant veſtigium) patet ex his Fulgentii lib. 1. Mythol. *Hac enim alludente & Plautini Saurea dominatus obdormit, & Biſſulæ Auſonianæ loquacitas deperit, Salluſtianaque Semproniæ, quamvis præſens ſit, cantilena raucescit.*

Precatio [1] *Auſonii Conſulis deſignati, pridie Kalendas Januarii faſcibus ſumptis.* VIII.

332 [2] JAne veni : [3] novus anne, veni : renovate veni Sol,
Conſulis Auſonii Latiam viſure curulem.
Ecquid [4] ab Auguſta nunc majeſtate ſecundum
Quod mireris, habes? Roma illa, domuſque Quirini,
Et toga purpurei rutilans prætexta [5] ſenati,
[6] Hoc capite æternis ſignat ſua tempora Faſtis.
Anne, bonis cœpte auſpiciis, da vere ſalubri
Apricas ventorum animas, [7] da roſcida Cancro

INTERPRETATIO.

Veni, ô Jane: huc ades, ô nove anne: accede Sol renovate, qui aſpecturus es Romanam curulem ſellam *Conſulis Auſonii. Habeſne nunc aliquid quod admireris ſecundum poſt majeſtatem Imperatoriam? Illa Roma, ſedeſque Romuli, & coruſcans toga prætexta Senatus purpurati, ab hoc principio notat ſuos annos perpetuis faſtis. Anne, inchoate fauſtis auguriis, præbe* nobis *per ſalubre Ver flatus tepidos ventorum, præbe humida ſolſtitia* cum Sol in *Cancri ſidere* erit,

NOTÆ.

1. *Conſulis deſignati.*] Moris erat, creari Magiſtratus multo ante quam Magiſtratum ſuum inirent : inibant porrò conſulatum Kalendis Januarii. Sed ex iis quæ ſubjiciuntur : *Pridie Kal. Januarii faſcibus ſumptis,* conjici poteſt abeuntem magiſtratu Conſulem faſces extremo illo die ſui conſulatus mittere ſolitum ad ſucceſſorem, poſtero die, nempè ipſis Kalendis, conſulatum initurum.

2. *Jane veni.*] Kalendæ Januariæ, imo & totus Januarius peculiariter Jano dicatus erat; unde & Januarius dictus eſt : hinc anni petebatur initium. Ovid. 1. Faſtorum.

Jane biſrons anni tacite labentis origo,
Solus de ſuperis qui tua terga vides.

Terga ſua videre dicebatur, quod Kalendæ illæ Januariæ, & abeuntem annum & ineuntem reſpicerent, inter utrumque quodammodo mediæ.

3. *Novus anne veni.*] Nominandi caſum pro vocandi caſu obſerva, quod poëtæ huic ſatis familiare, ut jam annotavimus in epigrammatis. Novus porro hic annus, qui Auſonii curulem viſurus erat, fuit annus ab urbe condita MCXXXII. à Chriſto nato trecenteſimus & octogeſimus ſecundus, quo Conſul fuit, Collegâ Hermogeniano Olybrio, ut ex Faſtis Romanis patet.

4. *Ab Auguſta majeſtate ſecundum.*] Conſularem dignitatem, quæ ab Imperatoriâ proxima erat, ſed illis Auſonianis temporibus longo admodum intervallo proxima; quibus ſcilicet non populus, ſed Cæſares ipſi, Conſules creabant quos volebant, & non in annum ſæpe, ſed in paucos nonnumquam menſes, imò & dies; deſtituebantque cum erat libitum.

5. *Senati.*] Pro *Senatûs* vetus genitivus.

6. *Hoc capite.*] Menſis, ſcilicet Januarii Kalendis, quibus qui inibant conſulatum nomen toti anno faciebant, quamvis alii paucis interdum poſt menſibus in eorum locum ſufficerentur.

7. *Da roſcida Cancro ſolſtitia.*] Alludit ad hæc lib. 1. Georg.

Humida ſolſtitia, atque hyemes orate ſerenas
Agricolæ.

Tollius paucis mutatis abſque copulâ hic legebat.

—— Da roſcida Cancro
Solſtitia; egelidum Boream ſeptembribus horis, &c.
Attenuata modis ceſſet mediocribus æſtas.

Propterea quod cætera abſque copulâ efferuntur. Solſtitium hic, quod roſcidum ſeu rorulentum & humidum orat, æſtivum intellige, quod fit ſole Cancri ſidus in-

Solſtitia, & gelidum Boream Septembribus horis.
Mordeat Autumnas frigus ſubtile pruinas;
Et tenuata modis ceſſet mediocribus Æſtas.
Sementem Notus humificet: [1] ſit Bruma nivalis,
Dum [2] pater antiqui renovatur Martius anni.
Spiret odorato florum nova gratia Maïo.
Julius & ſegetes coquat, & mare temperet Euris.
[3] Sirius ardentem non augeat igne [4] Leonem.
Diſcolor arboreos variet [5] Pomona ſapores.
Mitiget Autumnus, quod maturaverit Æſtas,
Et genialis Hyems parta ſibi dote fruatur.
Pacem mundus agat: nec turbida ſidera regnent.
Nulla [6] tuos, Gradive, offendat ſtella penates,

INTERPRETATIO.

& per menſem Septembrem Aquilonem frigidum. Tenue frigus carpat pruinas autumnales: atque Æſtas ſenſim attenuata deſinat. Auſter madefaciat ſementem. Hyems ſit nivoſa, cum redit Martius menſis *principium anni apud veteres. Nova pulchritudo florum exhalet per Maium ſuaveolentem. Julius maturas faciat ſegetes, & regat mare Euris ſpirantibus. Ne Canis* ſuo *ardore incendat magis Leonem flagrantem. Pomona multicolor variet ſaporem* fructuum *arboreorum. Autumnus reddat dulce* id *quod Æſtas coxerit, & Hyems voluptati dicata fruatur commodis ſibi acquiſitis* per cæteras tempeſtates anni. *Orbis tranquillè degat: neque aſtra turbulenta præpolleant. Nullum ſidus tibi inimicum incurrat in tuas ſedes, ô Mars pater. Non Luna: non*

NOTÆ.

grediente. Si lègas cum Tollio *egelidum*, interpretare *Boream tepidum*, non valdè frigidum, ut hyemis ſolet tempore.

1. *Sit Bruma nivalis*] Bruma ſeu media Bruma dies eſt ſolſtitii hiberni, omnium anni dierum breviſſima, unde & *Brumam* dictam Varro & Feſtus volunt, quaſi *brevimam* pro *breviſſimam*. Erat hic dies Romanis, ut etiam nobis, hyemis initium, Græcis vero medium; ii enim puncta illa quatuor, à quibus tempeſtates anni ordimur, duo ſcilicet ſolſtitia, & duo æquinoctia, non initia earum tempeſtatum, ſed media faciebant.

2. *Pater antiqui Martius anni.*] Cum ſcilicet decem tantùm menſium erat Romanis annus initio urbis conditæ. Ab hoc veteri anni principio nomina habuerunt ordinis ſui Quintilis, Sextilis, September, & reliqui ad Januarium uſque menſes. Agnito errore graviſſimo, Januarius & Februarius in anni decumeſtris revolutione, additi ſunt, ita tamen ut December ultimus eſſet anni menſis, & initium ejus quod prius Kalendis Martiis erat, ad Kalendas Januarias retroferretur.

3. *Sirius.*] Canis ſidus, à quo dies Caniculares.

4. *Leonem.*] In quo ſidere ſol eſt per Caniculares dies menſe Auguſto.

5. *Pomona.*] Fructuum Dea.

6. *Tuos Gradive penates.*] An Romam, quæ penates Martis dici poteſt, cum ei præcipuæ curæ fuerit ab ejus natis Romulo & fratre condita? an potius ſidus ſeu conſtellationem Zodiaci, quam Mars eo anno occupaturus erat, cujuſmodi ſidera Planetarum domus appellant Aſtrologi? Magis placet hoc poſterius, ut ſenſus ſit voti hujus Auſoniani, ne ullus planeta Marti adverſus concurrat cum eo in eâdem Zodiaci domo, atque eo concurſu malum aliquod immittat in Romanum Imperium, quod ſub tutelâ Martis eſſe crediderunt.

Digitized by Google

Quæ non æqua tibi; non Cynthia; [1] non celer Arcas
[2] Finitimus terris: non tu Saturne ſupremo
Ultime circuitu. Procul [3] à Pyroente remotus
Tranquillum properabis iter. Vos cominus ite
Stella ſalutigeri Jovis, & [4] Cythereïe Veſper.
Nonnunquam [5] hoſpitibus facilis Cyllenius adſit.
[6] Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Hoſtibus edomitis, qua [7] Francia mixta Suevis
Certat ad obſequium, Latiis ut militet armis:
Qua vaga [8] Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni,

INTERPRETATIO.

velox Mercurius propinquus telluri: non tu, ô Saturne, qui remotiſſimus planetarum *extremum gyrum* circumagis. *Longè deſtitutus à Marte decurres iter pacatum. Vos ite conjuncti, ô ſidus Jovis ſalubris, & tu Lucifer Veneriæ. Aliquando Mercurius adſit* ſidus *cum conjunctis* aſtris *conſpirans. Veni, ô Jane: huc ades, ô nove anne: accede Sol renovate. Jam Auguſtus* Cæſar *devictis hoſtibus, quâ* parte *Franci Suevis permiſti certatim ruunt in obſequium, ut militent ſub armis Romanis: quâ* parte *Sarmata adjunxerat ſibi turmas vagantes Hunnorum,*

NOTÆ.

1. *Non celer Arcas.*] Sic omnino legendum *Arcas* eſt Mercurius, ſic dictus quod in Cylleno monte Arcadiæ Maia eum pepererit, unde etiam Cyllenius vocitatur. Sic apud Apuleium lib. Aſini. 6. Venus eum appellat Arcadem: *Frater Arcas, ſcis nempè ſororem tuam Venerem ſine Mercurii præſentia nihil unquam feciſſe.* Dicitur celer quia cum ſolem gyro interiore proximus ambiat, circuitum ſuum circa ipſum omnium planetarum celerrimè conficit.

2. *Finitimus terris.*] Si in perigæo conſtitutus ſit, Venus verò in apogæo, terræ poſt Lunam proximus eſt: ſed ſi Venus in perigæo quoque ſit, propior multo erit terræ, quam ipſe Mercurius, ut ex planetarum theoriâ patet.

3. *A Pyroente.*] Marte, ſic dicto à colore igneo quem habet. Inter Martem porrò & Saturnum omnium planetarum ſupremum intercedit ſphæra Jovis.

4. *Cythereïe Veſper.*] Stella veneris, quæ Veſpere cum videtur, *Veſper*, cum mane *Lucifer* appellatur. *Cytherea* Venus à *Cytheris* inſulâ contra Cretam, ejus dicatâ numini.

5. *Hoſpitibus facilis Cyllenius.*] Petitum hoc ex Chaldæorum aſtrologorum doctrinâ, qui Mercurium cum concurrentibus Planetis conſentire ſemper volunt, & bonum eſſe ſi cum bonis ſit junctus, ſin cum malis, malum. *Hoſpites* hic intellige concurrentes cum ipſo in eâdem domo planetas.

6. *Jane veni.*] *Intercalaris* hujuſmodi verſus identidem recurrens appellatur, teſte Servio in 8. Eclog. Virgilii.

7. *Francia miſta Suevis.*] Franci, ut notum omnibus, Germaniæ populi erant, quorum jam tum celebre nomen fuit, cum Auſonius hæc ſcriberet. Nec ita multo poſt Gallias invaſerunt ſuperato Rheno. Suevi quoque ejuſdem Germaniæ natio ad Iſtri fontes ſita, ut ſuprà obſervatum in Biſſulâ. Mercenarios ex utrâque illâ gente milites in caſtris Romanis tunc militaſſe, cum ex hoc loco patet, tum ex multis aliis ſcriptoribus. De Francis fuſius in Moſellâ.

8. *Sauromates.*] Σαυρομάτης *Sauromata* & *Sarmata* à quâ gente Sarmatia dicta olim, quæ nunc Polonia & Lithuania, Moſcoviæque pars. Scythica gens erat: legit porrò ſic hunc verſum Tollius:

Qua vaga Sauromata ſibi junxerat agmina Chunus

Quod proprium fuerit Sarmatarum vagari. Sed non minus vagi *Chuni* ſeu *Hunni*. *Chuni* enim ſunt illi qui poſtea detracto

Quaque Getes ſociis Hiſtrum adſultabat Alanis.
(Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis.)
[1] Jam venit Auguſtus, noſtros ut comat honores,
Officio exornans, [2] quos participare cupiſſet.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
Aurea venturo Sol porrige gaudia Jano:
Faſcibus Auſonii ſuccedet Cæſar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
[3] Ecce ubi ſe cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc [4] Nemeſis) poſt me dignatur oriri
Auguſtus Conſul. Plus quam conferre videtur
Me ſibi: qui juſſit noſtros præcedere faſces.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol.
[5] Coge ſecuturos [6] bis ſena per oſtia menſes.
[7] Tu tropicum ſoli da cedere; rurſus & illum
Terga dare, ut duplex tropicus varietur ab aſtro,

INTERPRETATIO.

& quâ Geta adjunctis ſibi *Alanis, incurſionibus infeſtabant Danubium, adveni* (*hoc Victoria mihi nuntiat celeri volatu*) *ut exornet meum honorem, cumulans* illum ſuo *officio, cujus optaviſſet eſſe conſors. Huc ades, ô Jane: accede, nove anne: veni ſol renovate. O ſol extende uſque ad proximum Januarium lætitiam* quam ex radiis tuis *aureis* percipimus: *Cæſar excipit conſulatum Auſonii, geſturus quintùm trabeam Romani Magiſtratûs in anni ſpatium. Eſt cumulus* honoris qui *ad me* redit *ex purpurâ* conſulari, (*ô Nemeſis audi hoc, auribus clementibus*) *Auguſtus non dedignatur fieri Conſul poſt me.* Is *videtur me ſibi pluſquam æquiparare, qui voluit ut meus Conſulatus anteiret* ſuum *Huc ades, ô Jane: accede, nove anne: veni ſol renovate. Urge menſes ſequuturos per duodecim oſtia. Tu da ut tropicus ſuperetur à ſole, & ut hic rurſus revertatur, ut geminus tropicus mutetur ab* eo *ſidere, & variatio acceleretur quater per tria*

NOTÆ.

C, *Huni* dicti ſunt, Romani Imperii cladibus variis poſtea noti, ſicut & *Geta*, qui *Goths* poſtea, & *Gothones*, & *Alani* de quibus mox, & *Vandals* populi omnes à Septentrione in mitiores terras effuſi inſtar diluvii.

1. *Jam venit Auguſtus.*] Gratianus Imperator è Thraciâ Treveros in Galliam, ubi erat Auſonius, ut videre eſt in fine Gratiarum actionis.

2. *Quos participare cupiſſet.*] Hæc jactantius, quam verius. Cur enim Conſul eſſe cum Auſonio non potuiſſet ſi voluiſſet Gratianus, qui jam ante quater Conſul fuerat, & anno inſequente quintùm fuit?

3. *Ecce ubi ſe cumulat, &c. poſt me dignatur oriri, &c.*] Non eſt cur inde tantoperè ſuperbiat, & Nemeſin deprecetur; ſiquidem jam quater Conſul Gratianus ante fuerat.

4. *Nemeſis.*] In Protreptico:

Abſiſtas Nemeſis, ferat & fortuna jocantem

Ubi vide notas noſtras, & in epigr. 21.

5. *Coge.*] Urge, fac properent.

6. *Biſſena per oſtia.*] Per duodecim Zodiaci ſigna, per quæ, tanquam per totidem oſtia, ſoli tranſeundum eſt in annuo circuitu.

7. *Tu tropicum ſoli da cedere, &c.*] Hoc eſt, fac ut ſol citò ſuperet tropicum, Æſtivum ſcilicet ſeu Cancri, ac deinde redeat ad Hybernum, ſeu Capricorni, ut ſic commutet geminum tropicum.

[1] Et quater à ternis properet mutatio ſignis.
Æſtivos impelle dies, brumamque morantem
Noctibus adceleret promiſſus Cæſaris annus.
Illum ego ſi cernam, tum terque quaterque beatus,
Tunc ero bis Conſul, [2] tunc tangam vertice cœlum.

Interpretatio.

queque ſigna. Urge dies æſtatis, & annus Conſulatûs *Cæſaris* nobis *promiſſus properare faciat Hyemem tardam noctibus. Si ego videam illum* annum, *tunc* ero *ter & quater felix, tunc ero bis Conſul, tunc contingam ſidera capite.*

Notæ.

1. *Et quater à ternis, &c.*] Quatuor anni tempeſtates intellige hoc verſu deſignatas, Hyemem, Ver, Æſtatem, & Autumnum; quarum ſingulæ ternis ſignis conſtant, Hyems Capricorno, Aquario, & Piſcibus; Ver Ariete, Tauro, & Geminis; Æſtas Cancro, Leone, & Virgine; Autumnus denique Librâ, Scorpione & Sagittario.

2. *Tunc tangam vertice cœlum.*] Ex Horat. Ode 1. lib. 1.

Sublimi feriam ſidera vertice.

Item Precatio Kalendis Januariis. IX.

333 Anne, bonis cœpte auſpicis, felicia cernis
Conſulis Auſonii primordia: prome coruſcum
Sol æterne caput: ſolitoque inluſtrior, almo
Lumine purpureum jubar exere lucis eoæ.
Anne, pater rerum, quas Jani menſe bifrontis
Volvis in hibernum glaciali fine Decembrem,
Anne, veni, & feſtum [1] veteris novus aſpice Jani.
Solemnes pervade vias, biſſenaque mundo
Curricula æquatis varians per tempora ſignis,
Præcipitem æterna perfer vertigine curſum;
Sic prono raptate polo, contraria Phœbus
Ut momenta ferat ſervata parte dierum,

Interpretatio.

O anne, inchoate fauſtis auguriis, vides fortunata initia Conſulatûs Auſonii. O ſol æterne exere rutilum vultum: & micantior quam pro more, effer radios ſideris tui *exorientis rutilantes luce benignâ. O anne, rerum parens, quas volutas à menſe Jani bicipitis* uſque *ad Decembrem Hyemalem glaciali exitu, ô anne, accede, & renovatus, vide feſtum antiqui Jani. Permea ſolitum iter, & varians orbi duodecim ſtadia ſignis æqualiter diviſis in tempora, abſolve citum curſum perpetuo rotatu; ſic tractus per cœlum proclive, ut ſol ſervatis* ſuis *partibus afferat contrarias vi-*

Notæ.

1. *Veteris Jani.*] Janus quippe antiquiſſimus Italiæ rex fuit, qui Saturnum à Jove filio è Creta fugatum, navique in Latium appulſum, hoſpitio ſuſcepit, agrique colendi rationem ab eo eſt edoctus, ut ait Servius, qui eum bifrontem fictum fuiſſe dicit, quia prudentiſſimus erat, præterita ſciens, & futura proſpiciens.

Digitized by Google

Et novus hyberno reparet ſua lumina pulſu.
[1] Menſtrua ter decies redeunt dum cornua Lunæ,
Exortus, obituſque manu volvente rotabis,
Legitimum Phœbi cohibens per ſigna meatum.

INTERPRETATIO.

ces dierum, & renovatus reſarciat ſuum lumen pulſâ Hyeme. Dum cornua Lunæ menſtrua reparantur tredecim vicibus, circumages manu volutante ortus & occaſus, coërcens per ſigna curſum legitimum ſolis.

NOTÆ.

1. *Menſtrua terdecies redeunt dum cornua lunæ.*] Periphraſis menſium, qui lunæ circuitu peraguntur. Sed hîc menſes periodicos intellige, qui conficiuntur dum luna à puncto alicujus ſigni primo, puta Arietis, progreſſa, ad idem punctum primum Arietis revertitur, atque ejuſmodi periodicus menſis viginti ſeptem circiter dierum ſpatio abſolvitur, ſicque in anno ſolari qui 365. dierum eſt, tredecim ejuſmodi menſes continentur, & quatuordecim inſuper dies. At menſis ſynodicus, quem menſem lunarem vulgò intelligimus, fit dum luna à ſole digreſſa, abſoluto gyro, ad eundem ſolem redit. Atque is viginti novem dierum eſt cum dimidio. Et hujuſmodi menſes ſynodici in ſolari anno ſunt tantùm duodecim cum undecim diebus, qui dies Epactæ incrementum quotannis conſtituunt. Sed iſta fuſius vide in Kalendarii doctrinâ.

Auſonii [1] *Moſella.* X.

334 [2] TRanſieram celerem [3] nebuloſo lumine [4] Navam,

INTERPRETATIO.

Trajeceram Navam rapidum ſub *luce nubilâ*,

NOTÆ.

1. *Moſella.*] Fluvius hic Galliæ ex Monte Vogeſo ortus haud procul ab Araris fontibus per Mediomatrices, Theodonis villam, Auguſtam Treverorum, & Confluentiam in Rhenum influit. Hunc, quia Auguſtam Treverorum alluit, Imperatorum & ipſam ſedem Valentiniano, & Gratiano dilectam, laudandum hoc Idyllio ſuſcipit Auſonius, à limpitudine aquæ, à facilitate navigandi, à piſcibus quibus ſcatet, à ripis vite conſitis, à villis & atriis ripam utramque decorantibus, ab aliis in ipſum decurrentibus fluminibus, &c.

2. *Tranſieram.*] Veniens ab expeditione Gratiani in Germanos & Suevos ad Lupodunum profligatos ſedibuſque ſuis exactos, cujus ſub finem poëmatis hujus meminit. In quâ expeditione Biſſulam cepiſſe videtur Suevam virgunculam, quam celebravit verſibus.

3. *Nebuloſo lumine.*] Sic legit Scaliger, non ut in quibuſdam, *flumine.* Scaligero aſſentiuntur Barthius & Freherus. *Nebuloſum lumen* eſt dies nubuloſus, cælum obſcurum & nubilum. Sic noſter in Cupidine cruci affixo:

Quorum per ripas nebuloſo lumine marcens
Fleti olim regum & puerorum nomina flores.

4. *Navam.*] Fluvium hunc *die Nah* Germani vocant. Hic ortus in Sylvâ *Eberſwald* dictâ, in Rhenum influit infra Moguntiacum ad Bingium oppidum, ubi pons erat Navæ impoſitus. Tacit. libro xx. Annalium: *Tutor Treveris comitantibus vitato Moguntiaco Bingium conceſſit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat.* Atque hoc ponte tranſiiſſe Auſonium Navam facilè Frehero aſſentior. Ratio mox patebit.

Addita miratus [1] veteri nova mœnia vico:

Interpretatio.

admiratus novos muros circumdatos veteri oppido:

Notæ.

1. *Veteri nova mœnia vico : Æquavit Latias, &c.*] Veterem hunc vicum Argentoratum eſſe putat Scaliger, & pugnam, in quâ æquavit Latias quondam Gallia Cannas, intelligit pugnam illam Argentotatenſem in quâ Julianus Cæſar Francos, Salios, & Quados vicerat, & de quâ Sextus Aurelius in Juliano Cæſare : *Ille in campis Argentoratenſibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hoſtium copias delevit. Stabant acervi, montium ſimiles : fluebat cruor fluminum modo, captus rex nobilis Chonodomarius, fuſi omnes optimates : redditus limes Romana poſſeſſionis, &c.* Sed populi illi Germani erant, non Galli. Proindeque male diceretur Gallia tunc æquaſſe Cannas Latias; cum nullum in eâ pugnâ damnum ſenſiſſet, quod totum in Germanos erat converſum. Deinde vox *quondam* haud ita conveniret tam recenti facto. Exceſſerant enim ab eâ pugnâ ad hunc Auſonii tranſitum, qui vivente adhuc Valentiniano contigit, anni vix ſeptemdecim, aut octodecim ad ſummum. Denique ſi Argentorato profectus Treverorum Auguſtam petiiſſet Auſonius, nequaquam ei fuiſſet Nava trajicienda. Hoc enim iter, & has ſtationes Argentorato Treveros præſcribit Itinerarium Antonini, & Tabula Peutingeriana, quod Navam fluvium non attingit : *Argentorato, Tabernis, Ponte Saravi, Decempagos, Duodecimum, Divodurum, Treveros.* Præterea *vici* nomen parum convenit Argentorato civitati jam tum claræ, & inſigni. Marquardus Freherus homo Germanus, & Moſellæ Navæque vicinus, locorumque toto hoc poëmate celebratorum peritiſſimus, in ſuis ad hoc carmen notis, *veterem vicum*, cui nova mœnia addita miratus eſt Auſonius, intelligit Bingium ipſum, *Bingen* Germanis, ad Navam ſitum, de quo, & de ejus ponte jam ſupra : cujus quidem oppidi mœnia haud ita pridem à Juliano Cæſare inſtaurata erant. Quod totum ex Ammiano Marcellino probat. Verba Ammiani lib. 18. hæc ſunt : *Ipſe* (Julianus Cæſar) *anni tempore opportuno, ad expeditionem undique milite convocato profectus, id inter potiſſima mature duxit implendum, ut ante præliorum fervorem civitates multo ante exciſas introiret, receptaſque communiret : horrea quin etiam extrueret pro incenſis, ubi condi poſſet annona à Britannis ſueta transferri. Et utrumque perfectum eſt ſpe omnium citius : nam & horrea veloci opere ſurrexerunt, alimentorumque in iiſdem ſatias condita : & civitates occupatæ ſunt ſeptem, Caſtra Herculis, Quadriburgum, Triceſimæ, Niveſio, Bonna, Antennacum, & Bingio. Ubi læto quodam eventu etiam Florentius præfectus apparuit ſubito partem militum ducens, & commeatuum perferens copiam ſufficientem uſibus longis. Poſt hæc impetrata reſtabat neceſſitatum adigente articulo receptarum urbium mœnia reparari, nullo etiam tum interturbante : idque claris indiciis apparet, ea tempeſtate utilitati publicæ metu Barbaros obediſſe, non rectoris amore. Romanis reges, ex pacto ſuperioris anni, ædificiis habilia multa ſuis miſere carpentis : & auxiliarii milites ſemper munia ſpernentes hujuſmodi ad obſequendi ſedulitatem Juliani blanditiis deflexi, quinquagenarias, longioreſque materias vexere cervicibus ingravati, & fabricandi miniſteriis opem maximam contulerunt.* Habuit ergo Auſonius quæ miraretur (inquit idem Freherus,) Bingium uſque urbes receptas, ipſum mœnibus de novo munitum, illiſque tam brevi temporis ſpatio excitatis, patientibus non modo Germanis, ſed materiem ſuppeditantibus, & auxiliariis ad opera tam promptis. Clades vero illa Galliæ, quam Auſonius hyperbolicè æquiparat Cannenſi, juxta eundem Freherum, non alia eſt ab illâ quam poſt Vitellii cædem Imperio Veſpaſiani nondum benè conſtituto, rerum novarum auctoribus Claſſico, Sabino, & Tutore, palam deficiens pleraque Gallia Celtica, & Belgica, conjunctis ſibi Germanis, eorumque duce Civili, Romanis legionibus aliquot cæſis, aut ad ſe traductis, occupatiſque præſidiis, cum in ſummo diſcrimine res

Æquavit

Digitized by Google

Æquavit [1] Latias ubi quondam Gallia Cannas:
Infletæque jacent inopes ſuper arva [2] catervæ.
Unde [3] iter ingrediens nemoroſa per avia ſolum,
[4] Et nulla humani ſpectans veſtigia cultus,
[5] Prætereo [6] arentem ſitientibus undique terris

INTERPRETATIO.

ubi Gallia olim paſſa eſt cladem *aqualem* cladi *Romanorum apud Cannas: &* ubi *cohortes deſtituta* ſupremis *officiis & indefleta ſtrata ſunt ſuper campos. Unde intrans viam ſolitariam per invias Sylvas, & nulla aſpiciens ſigna humana habitationis, tranſeo Dumniſſum ſiccam*

NOTÆ.

Romana poſita eſſet, ſuperveniente Sextilio Felice, eo *ipſo* loco, quo Navam Auſonius tranſivit, nempe apud Bingium Gallia paſſa eſt, & diſſipata mox rebellione, in ordinem eſt coacta. De hac clade Tacit. lib. 4. hiſtor. *Tutor Treverorum copias recens Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis ſpe, aut metu ſubactis legionariis. Qui primo cohortem præmiſſam à Sextilio Felice interficiunt. Mox ubi duces, exercituſque Romani propinquabant, honeſto transfugio rediere ſecutis Tribocis, Vangionibuſque & Caracatibus. Tutor, Treveris comitantibus, vitato Moguntiaco, Bingium conceſſit, fidens loco, quia pontem Nava fluminis abruperat: ſed incurſu cohortium, quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fuſuſque. Ea Clade perculſi Treveri, & plebes omiſſis armis per agros palatur. Quidam principum, ut primi poſuiſſe bellum viderentur, in civitates quæ ſocietatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones à Noveſio Bonnaque in Treveros traducta, ſe ipſa in verba Veſpaſiani adigunt, &c.* Quo ex loco non tantum cladis illius magnitudo & locus, ſed illud etiam colligi poteſt, quare hujus potiſſimùm mentionem fecerit Auſonius, qui Treveris degebat, ubi ejus cladis memoriam nondum abolitam fuiſſe credibile eſt. Prætertim cum non longè inde mox & Treverorum dux ſummuſque belli hujus inſtinctor Tullius Valentinus, oppreſſus captuſque finem rebellionis fecerit, ut patet ex ſequentibus Taciti verbis eodem loco: *At Civilis & Claſſicus* (inquit) *ubi pulſum Tutorem, caſos Treveros, cuncta hoſtibus proſpera accepere; trepidi ac properantes, dum diſperſas ſuorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne ſumma res periculum faceret. Eo rapidius Cerialis miſſis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Mogontiaci, quantumque ſecum tranſvexerat, tertiis caſtris Rigodulum venit: quem locum magna Treverorum manu Valentinus obſederat, montibus, aut Moſella amne ſeptum, & addiderat foſſas, obiceſque ſaxorum.* Et mox: *Ut ventum ad manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum æquioribus jugis circumvecta, nobiliſſimos Belgarum, in queis Valentinum ducem cepit. Cerialis poſtero die Coloniam Treverorum ingreſſus eſt, avido milite eruendæ civitatis.* Frehero aſſentior lubens.

1. *Latias Cannas.*] Cladem Romanis ab Annibale illatam ad Cannas Apuliæ vicum: de quâ, ut pote notiſſimâ, nihil addo.

2. *Catervæ.*] Oſſa catervarum adhuc inſepulta.

3. *Iter ingrediens nemoroſa per avia.*] Viâ militari cujus in eâ regione ſupereſſe adhuc veſtigia teſtis eſt Freherus, quæque in Peutingerianâ tabulâ lineâ ducta notata ac manſionibus his diſtincta cernitur: *Moguntiaco, Bingium, XIII. Dumno, XVI. Belginum, VIII. Noviomago, X Aug. Treverorum, VIII.* Ubi conferendo Auſonianos verſus omnia ferè veſtigia relegimus.

4. *Et nulla humani veſtigia cultus.*] Niſi qua Romani, & ab his immiſſi coloni Sarmatæ (de quibus mox dicetur) paulatim excoluerant.

5. *Prætereo, &c.*] Ad lævam ſcilicet Dumniſſum reliquerat & Tabernas ad dextram.

6. *Arentem Dumniſſum.*] Quippè in quo

Dumniſſum, [1] riguaſque perenni fonte Tabernas,
[2] Arvaque Sauromatum nuper metata colonis:
[3] Et tandem primis Belgarum conſpicor oris
[4] Nivomagum, divi [5] caſtra inclyta Conſtantini.

INTERPRETATIO.

terrâ undique aridâ, & Tabernas irrigatas fonte jugiter fluente, & agros haud ita pridem diviſos Colonis Sarmatarum: ac demum in primis finibus Belgarum aſpicio Nivomagum, ubi ſunt

NOTÆ.

non fons, non puteus, ſed tantum ciſterna in rupe exciſa, ut obſervat Freherus, qui Dumniſſum Auſonii putat eſſe hodie *Denſen* infra Kirchbergum. *Dumnum* autem ſeu *Dumno* tabulæ Peutingerianæ eſſe caſtellum in montis jugo munitum haud longè à Regiâ viâ, cui caſtello nomen hodie *Dhaune*, & *Belginum* ejuſdem tabulæ, oppidum & caſtrum *Baldenaw*.

1. *Riguaſque perenni fonte Tabernas.*] Has Tabernas Freherus putat eſſe *Bern Caſſel*, quod nomen ex *Tabern Caſſel*, hoc eſt Tabernarum Caſtello, ablatâ primâ ſyllabâ, factum, hocque Caſtellum Tabernarum aquis perennibus non deſtitui idem auctor eſt, & à Dumnio ad id caſtellum, vel ad proximum Belginum juſtum iter ad interjungendum, & manſionem quærendam.

2. *Arvaque Sauromatum, &c.*] Quibus, ut & Alemannis, & Hunnis, ſeu Chunis victis ignoverant Valentinianus, & Gratianus, eoſque in loca Galliarum traduxerant, ut ſub ſignis Romanis militarent. Unde noſter in Panegyrico ad Gratianum: *Voca Germanicum deditione gentilium: Alemannicum traductione captorum: vincendo, & ignoſcendo Sarmaticum.* Coloni illi Sauromatum Hunni erant è Sarmatiâ effuſi, quos *Chunos* & *Cunos*, & *Conos* quoque dictos reperio. Sauromatas & Chunos Auſonius conjungit in precatione Conſulari:

Qua vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni,
Quaque Getes ſociis Iſtrum aſſultabat Alanis.

& epigrammate 1.

Arma inter, Chunoſque truces, furtoque nocentes
Sauromatas.

Et certè aſperam illam montibus, & horridam ſilvis regionem, ac Sarmatis Hunniſque colonis planè dignam, quam hic ſe trajeciſſe Auſonius ait. Ab *Hunnis Huneſtruck* hodie nominari, id eſt, *Hunnorum præſidium*, ait Freherus, qui hoc etymon mavult, quam, quod vulgo joculari nomine ferunt *Hundſruck*, id eſt *dorſum canis* ab aſperitate. Ab iiſdem Hunnis multa ibidem caſtellorum & locorum nomina inclinata agnoſcit idem Freherus; *Hunſtein*, arx Hunnorum, *Caſſelhun* Hunnorum caſtellum, *Huntheim* Hunnorum pagus, *Hunenborn* Hunnorum fons.

3. *Et tandem primis Belgarum, &c.*] Treveri quippe ad primam Belgicam pertinent: Ammian. Marcell. lib. 15. *Poſt has Belgica prima Mediomatricos prætendit, & Treviros domicilium Principum clarum.* Et Trevirorum erat Nivomagum, ſeu Noviomagum illud, de quo mox.

4. *Nivomagum*] In Itinerario Antonini. & in tabulâ Peutingerianâ, *Noviomagum* pagus eſt ad Moſellam, infra Auguſtam Trevirorum, haud multum ab eâ diſtans. *Numago* in hiſtoriolâ Tyrſi ducis, & Palmatii Conſulis cum ſociis apud Treverim per Rictionarium cæſorum, cujus partem ex tabellâ in D. Paulini æde ſuſpenſâ exhibet Freherus ad hunc locum. *Neomagen* ſuperiori ætate, ſua vero *Nymagen* dictum eſſe idem auctor eſt. Aliud eſt *Noviomagum* in Geldriâ ad Vahalem, *Nimegue*.

5. *Caſtra Conſtantini.*] Scilicet, ut obſervat Freherus, Conſtantinus, quando Gallias regens, cum Francis, & Alemannis belligerabat, prolaturus (ut Panegyriſtes ejus Lat. Pacat. Drepanius aſſentabundus ait) Imperium à Tuſco *Albulâ* ad Germanicum *Albim*, caſtra & ſtativa ſua hoc loco habuit. Quo tempore alia etiam opera memorabilia in illis partibus ſtruxit.

Digitized by Google

[1] Purior hic campis aër: Phœbuſque ſereno
Lumine purpureum reſerat jam ſudus Olympum.
[2] Nec jam, conſertis per mutua vincula ramis,
Quæritur excluſum viridi caligine cœlum:
Sed liquidum jubar, & rutilam viſentibus æthram
Libera perſpicui non invidet aura diei.
In ſpeciem quum me patriæ, [3] cultumque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia viſu,
Culmina villarum pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, & amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Moſellæ.
Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
[4] Dignata imperio debent cui mœnia [5] Belgæ:
Amnis odorifero juga vitea conſite Baccho,
Conſite gramineas amnis viridiſſime ripas:
Naviger, ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius; [6] vitreoque lacus imitate profundo;

INTERPRETATIO.

celebria caſtra Divi Conſtantini. Illic aër eſt purior in campis: & ſol jam ibi *ſerenus aperit cœlum rutilans luce clarâ. Neque jam amplius inquiritur cœlum obductum umbrâ virenti, ramis* arborum *implexis mutuo* inter ſe *nexu: ſed aperta aura clari diei non denegat inſpicientibus ſerenum lumen* Solis, *& ætherem micantem. Tam jucundâ ſpecie omnia, mihi viſa ſunt referre patriam meam, & amœnitatem culta Burdigalæ, faſtigia villarum altè ſita in ripis editis, & colles virentes vinetis, & grata flumina Moſellæ infra decurrentis tenui* cum *murmure.*

Salve flumen quod agri vicini, & accolæ laudant ut ſibi ſemper beneficum, *cui Belgæ debent urbem decoratam ſede Imperatoriâ: ô flumen cujus ſumma ripa plantata ſunt vitibus* producentibus *vinum ſuave olens, flumen virentiſſimum cujus ripæ conſitæ ſunt herbâ: tu vehis naves, quemadmodum mare; tu laberis declivibus aquis, ut flumen; & æmularis lacus altitudine*

NOTÆ.

1. *Purior hic, &c.*] Ex ſexto Æneidos. Purior Nivomagi ad Moſellam aër, quam per totum iter Bingio Nivomagum fuerat.

2. *Nec jam, &c. Quæritur.*] Ut quæſitum fuerat ab Auſonio per totum ſylveſtre iter, de quo ſupra.

3. *Cultumque nitentis Burdigalæ.*] Barthius non temerè ſuſpicatur Auſonium ſcripſiſſe *vultum*, non *cultum*. Vultus loci *μεταφορικῶς* eſt ejus prima ſpecies.

4. *Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ.*] Mœnia ſcilicet Trevericæ urbis, in quâ Conſtantinus, Conſtantius, Julianus, Valentinianus, Gratianus multum habitarunt, palatium habuerunt, inde bella in Germanos moverunt, reſcripta Senatui, & Præſidibus provinciarum dederunt non ſecus ac ex ipſâ Româ. Unde apud Ammian. Marcellinum loco jam laudato dicitur *Domicilium principum clarum.* Et infra eandem urbem noſter Auſonius *Imperii ſedem* appellat. Supra in claris urbibus: *Trevericæque urbis ſolium.* Unde & *Auguſta Trevirorum* fuit dicta.

5. *Belgæ.*] Primæ enim Belgicæ Metropolis fuit Auguſta Trevirorum.

6. *Vitreoque lacus imitate profundo.*] Apuleius noſter lib. 1. Mileſiarum ſeu de Aſino: *Haud ita longè radices platani lenis fluvius in ſpeciem placidæ paludis ignavus ibat, argento, vel vitro æmulus in colorem.* Scilicet

Et rivos [1] trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu,
[2] Omnia ſolus habes, quæ fons, quæ rivus, & amnis,
Et lacus, & [3] bivio refluus manamine pontus.
Tu placidis prolapſus aquis, nec murmura venti
Ulla, nec occulti pateris luctamina ſaxi.
[4] Non ſuperante vado rapidos reparare meatus
Cogeris, extantes medio non æquore terras
Interceptus habes: juſti ne demat honorem
Nominis, excluſum ſi dividat inſula flumen.
Tu duplices ſortite vias, & quum amne ſecundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi:
Et quum per ripas nuſquam ceſſante [5] remulco

INTERPRETATIO.

aquarum *limpidâ; & potes æquare rivos tremulo fluxu, & ſuperare frigidos fontes claro potu, tu ô* amnis *habes unus cuncta quæ fons, quæ rivus, & fluvius, & lacus, & mare duplici fluxu remeans*, habent. *Tu fluens undis leniter labentibus, non experiris ullos tumultus ventorum, neque reſiſtentiam* ullius *rupis latentis. Non cogeris reſarcire celeres* tuos *curſus* aliâ parte, propterea *quod vada ſuperent* undas tuas, *non habes terras eminentes* in *mediâ* tuâ *ſuperficie, quibus dividaris: ne inſula partiendo fluentum* tuum *interceptum, adimat tibi decus* magni fluvii quod *merito* habes. *Tu habes geminum iter, & quando devehis juxta fluentum* tuum, ita *ut remi pernices pulſent aquas tuas incitatas: & quando nautæ per ripas trahunt collo funes ma-*

NOTÆ.

Moſella leniter fluens calculos in imo fundo ſuos per limpidas aquas conſpici ſinit: quod in fluviis torrentium inſtar celeriter decurrentibus, & arenâ, quam volvunt, ſemper turbidis non contingit

1. *Trepido potis æquiparare meatu.*] In arctioribus ſcilicet locis, ubi arctatæ undæ currendo tremunt & ſtrepunt. *Potis* hic Gronovius rectè pro *potes*, quod eſt in vulgatis. *Potis* in vocandi caſu ut *Naviger*, *imitate*, *confiſe*.

2. *Omnia ſolus habes.*] Symmachus Auſonio epiſt. 14. lib. 1. *Volitat tuus Moſella per manus ſinuſque multorum divinis à te verſibus conſecratus, &c. Novi ego iſtum fluvium, cum æternorum principum jam pridem ſigna comitarer, parem multis, imparem maximis. Hunc tu mihi improviſo, clarorum verſuum dignitate Ægyptio Nilo majorem, Sarmatico Hiſtro frigidiorem, clarioremque hoc noſtro Fucino reddidiſti. Nequaquam tibi crederem de Moſellico ortu & meatu magna narranti, ni certo ſcirem quod nec in poëmate mentiaris.*

3. *Bivio manamine.*] Sic recte Gronovius pro *munimine*, à manando *Manamen*, ut à ſimulando *ſimulamen* hoc ipſo in carmine:

—— *Gaudet ſimulamine Nautica pubes.*

Bivium manamen maris eſt ejus æſtuantis fluxus ac refluxus. Ne tamen putes hujuſmodi æſtum tribuere voluiſſe Moſellæ Auſonium; ſed id tantum eum velle, naves in Moſella agi ob lenitatem ejus curſus, tum ſecundo, tum adverſo fluvio, ut in mari æſtu accedente ad terram feruntur, decedente referuntur in altum. Hoc eſt quod ſupra dixit, *Naviger ut pelagus*, & infra, *Tu duplices ſortite vias*, &c.

4. *Non ſuperante vado, &c.*] Sollicitant hanc lectionem Barthius, & Gronovius: fruſtra. Senſus eſt apertiſſimus quem expreſſi in interpretatione.

5. *Remulco.*] *Remulco trahere* Græci ῥυμουλκεῖν dicunt, quaſi ῥύμασιν ἕλκειν, hoc eſt, *loris, funibuſque trahere*; ῥῦμα enim funis eſt tractorius, à ῥύω *traho*. Trahitur re-

[1] Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipſe tuos quotiens miraris in amne [2] recurſus,
[3] Legitimoſque putas [4] prope ſegnius ire meatus?
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis,
Nec piger immundo perfundis littora cœno:
Sicca ſed in prima aſpergis veſtigia lympha.
[5] I nunc, & [6] Phrygiis ſola lævia confere cruſtis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Aſt ego deſpectis, quæ cenſus opeſque dederunt,
Naturæ mirabor opus, [7] non, cura nepotum,
Lætaque jacturis ubi luxuriatur egeſtas.
Hic ſolidæ ſternunt humentia littora harenæ,
Nec retinent memores veſtigia preſſa figuras.
Spectaris vitreo per lævia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens, utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aër,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti:
Sic demerſa procul durante per intima viſu

Interpretatio.

Iis alligatos jugi remulco. Tu *ipſe quam ſæpe admiraris tuos regreſſus in* tuo *fluento, & credis fermè naturales* tuos *curſus lentiores eſſe factos? Tu neque habes ripam obſitam herbis è limo natis, neque tardus fundis per ripas turpe lutum, ſed ſicco* gradu ad te itur, donec *madefacias pedes extremâ* tuâ *aquâ.*

I jam, & ſterne ſolum politum cruſtis Phrygiis, expandens planitiem marmoream per atria laquearibus exornata. Ego vero contemptis iis, *quæ reditus* annuus, *& divitiæ præbuerunt, admirabor opus naturæ, ubi non ſtudium luxurioſorum, & inopia damnis gaudens laſcivit. Hic ſabulum firmum ſubſternit humidas ripas, neque greſſus impreſſi ſervant formas* ſui *indices. O amnis aſpiceris pellucidâ altitudine* aquarum *per fundum æquabilem* labentium, *nihil habens occulti. Et quemadmodum almus aër aperitur facie expanſa claris aſpectibus, neque lenes flatus impediunt*

Notæ.

mulco navis, quæ, velis remiſque deſtituta, ad aliam navem vel ſcapham funibus alligata, ipſius remigio, veliſve trahitur: item quæ oram fluvii legens, ab homine, equove aut mulâ trahitur fune, ut hic.

1. *Intendunt collo malorum vincula.*] Hujuſmodi vincula, quibus toto pectore incumbentes, navem trahunt, ab eodem Græco verbo *ἕλκω Helcia* dicta invenio, & homines illos *Helciarios.*

2. *Recurſus.*] Navigiorum remulco tractorum adverſo flumine, quæ non lentius penè vehat, quàm ſi ſecundo amne deſcenderent. Freherus hic mæandros Moſellæ intelligit non rectè.

3. *Legitimos.*] Naturales mare verſus.

4. *Prope ſegnius.*] Quam recurſus illos adverſo amne.

5. *I nunc, &c.*] Epitrope apud Poëtas ſatis frequens.

6. *Phrygiis cruſtis.*] Pavimentis & teſſellis è marmore Phrygio. *Synadicum marmor* apud Plinium marmor ad urbem Phrygiæ effoſſum, cui *Synada* nomen eſt.

7. *Non cura nepotum.*] Perditorum luxu hominum. Hac enim ſignificatione accipienda vox *Nepotis* eſt hoc loco.

Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti:
Quum vada lene meant, liquidarum & lapſus aquarum
Prodit cærulea diſperſas luce figuras:
[1] Quod ſulcata levi criſpatur harena meatu:
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo.
[2] Utque ſub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas: lucetque, latetque
Calculus: & viridem diſtinguit [3] glarea muſcum.
[4] Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Quum virides algas, & rubra corallia nudat
Æſtus, & albentes [5] concharum germina baccas,
[6] Delicias hominum locupletum, quæque ſub undis
Aſſimulant noſtros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ ſubter vada læta Moſellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen uſque oculos errore fatigant
Interludentes examina lubrica piſces.
[7] Sed neque tot ſpecies, obliquatoſque natatus,

INTERPRETATIO.

oculos quominus ferantur *per ſpatia* ætheris: *ita videmus* in Moſellâ ea *quæ immerſa ſunt longè* à nobis, *cum obtutus* noſter *vigeat* etiam *per penitiſſimas ejus partes, & interiora ſecreti fluminis* nobis *reſerantur: quando aquæ* ejus *placidè fluunt, & fluxus undarum liquentium oſtendit figuras reſperſas lumine cæruleo: ut ſabulum* veluti *ductum in ſulcos corrugatur exiguo lapſu: ut herba pronæ nutant* in *fundo virenti. Et ut gramina jactata ſub nativis laticibus pulſantur impetu aquarum: & lapilli apparent, & occultantur: & glarea diſcriminat muſcum virentem. Hujuſmodi pictura cognita eſt Britannis Caledoniis, quando refluxus* maris *oſtendit virides herbas & corallia rubicunda, & margaritas candentes ortas è conchis, delicias hominum divitum, & quæ monilia expreſſa ſub aquis imitantur noſtros ornatus. Non ſecùs ſub amœnis aquis lenis Moſellæ, herba diſcolor oſtentat calculos permiſtos* ſibi. *Attamen lubrica caterva piſcium ludentium inter* aquas *laſſant meatibus* ſuis *oculos diu* in ſe *defixos. At non licet* mihi *explicare tot formas piſcium, & natatus obliquos, & greges* eorum, *qui ſubeunt*

NOTÆ.

1. *Quod ſulcata, &c.*] Hic vox *quod*, manifeſtè pro voce *ut* bis ponitur.

2. *Utque ſub ingenuis, &c.*] Scitè *ingenui fontes*, non adſciti aliunde opere aut machinis, ſed ibidem nati.

3. *Glarea.*] Minuti ſunt lapides, & calculi arenâ permixti.

4. *Nota Caledoniis.*] Caledonios in Britanniâ ponunt Plinius & Ptolomæus infra ſilvam Caledoniam, quâ parte nunc Scotia eſt. *Nota* hic rectè Barthius repoſuit pro *Tota*.

5. *Concharum germina baccas.*] Margaritas intelligit, quas apud Britanniam reperiri notum ex Plinio, & Mela.

6. *Delicias hominum locupletum.*] Ita ſcribe cum Tollio. Mendosè anteà *locupletibus*. Barthius legit. *Locupletibus æqua ſub undis.*

7. *Sed neque tot ſpecies, &c.*] Quas ambitiosè magis quam verè fluvio huic tribuit & deſcribit, teſte Symmacho lib. 1. Epiſt. 14. ad Auſonium, jam à me laudata: *Unde*, inquit, *illa amnicorum piſcium examina reperiſti? Quam nominibus varia, tam coloribus, ut magnitudine diſtantia, ſic ſapore quæ tu pigmentis iſtius carminis ultra naturæ*

Quæque per adverſum ſuccedunt agmina flumen,
Nominaque, & cunctos numeroſæ ſtirpis alumnos,
Edere fas. Haud ille ſinit, [1] cui cura ſecundæ
Sortis, & æquorei ceſſit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix [2] Naïs in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque ſub alveo
Diſſere cæruleo fluitantes amne catervas.
Squameus herboſas [3] Capito interlucet harenas,
Viſcere præ tenero fartim congeſtus [4] ariſtis,
Nec duraturus [5] poſt bina trihoria menſis.
Purpureiſque [6] Salar ſtellatus tergora guttis,
[7] Et nullo ſpinæ nociturus acumine Redo.
Effugienſque oculos celeri levis [8] Umbra natatu.

INTERPRETATIO.

per adverſum amnem, & nomina, & omnes alumnos proſapiæ multiplicis: non permittit ille cui cura ſecundæ ſortis, & cuſtodia marini tridentis obtigit.

Tu, ô Naïas, quæ incolis regiones fluviales, memora mihi cœtus ſquamoſi pecoris, & eloquere cohortes natantes ſub alveo liquenti in flumine cæruleo.

Capito ſquamoſus nitet inter ſabulum gramine conſitum, cujus caro tenera ſepta eſt multis ſpinis, & qui non manebit utilis *eſui poſt ſex horas. Et Salar reſperſus cutem rubris maculis inſtar ſtellarum, & Redo non læſurus ullo acumine ſpinæ, & levis Umbra fallens oculos natatu*

NOTÆ.

dona fucaſti. Atqui in tuis menſis ſæpe verſatus, cum pleraque alia, quæ tunc in pretio erant, eſui objecta mirarer, nunquam genus iſtud piſcium deprehendi. Quando iſti piſces tibi nati ſunt in libro, qui in ferculis non fuerunt? Jocari me putas, atque agere nugas. Ita me Dii Dominis probabilem præſtent, ut ego hoc tuum carmen libris Maronis adjungo.

1. *Cui cura ſecundæ ſortis, &c.*] Neptunus cui ſecunda ſors, id eſt, mare obtigit, cum Jovi cælum prima ſors, Plutoni tertia inferorum obveniſſet.

2. *Naïs.*] Nympha aliquà ex earum numero quæ Moſellam incolunt.

3. *Capito.*] A capitis præ cætero corpore craſſitie dictus hic piſcis, Gallis *Chabot.* Mugilis genus eſt Salviano.

4. *Ariſtis.*] Spinis, ariſtarum barbis ſimilibus, nos dicimus *areſtes.*

5. *Poſt bina trihoria.*] Quia facilè corrumpitur & putreſcit. Idem noſter de Corvo piſce Epiſt. 4.

Nec duraturi poſt bina trihoria Corvi.

6. *Salar.*] Genus exiguum *Farionum* ſive *Truttarum* purpureis maculis, ejuſdem cum illis ſaporis & nominis, quos etiam accolæ putant adultos in Fariones ſeu Truttas evadere. Quod & noſter mox innuit de farione loquens:

Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguuſque
Amborum, medio Fario intercepte ſub ævo.

7. *Et nullo ſpinæ nociturus arundine Redo.*] Idem Ovidius de Gobio marino in Halieutico:

Lubricus, & ſpina nocuus non Gobius ulla.

Quis autem ſit Redo ignorant interpretes. Robertus Cenalis ex hac Auſonii deſcriptione contendebat eſſe piſciculum, quam *Locham* dicimus, *Loche*, ſpinis pœne nullis, & quæ innoxiè cum toto ejus corpore manduntur.

8. *Umbra.*] Appellatur à Græcis *σκίαινα, σκιαδεύς, σκιαθὶς*, & *σκιαίδης* auctore Galeno; apud Ennium, Columellam, & Ovidium *Umbra.* Quod nomen Varrone & Iſidoro teſte huic piſci à colore nigro & liventi eſt inditum; vel, quod innuit noſter, ex eo quod celerrimè natans oculos effugiat, & umbra verius quam piſcis appareat intuentibus. Gallis *Maigre* dici auctor eſt Freherus.

Tuque per obliqui fauces vexate [1] Saravi,
[2] Qua bis terna fremunt [3] ſcopuloſis oſtia pilis,
Quum defluxiſti [4] famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces [5] Barbe natatus.
Tu melior [6] pejore ævo; [7] tibi contigit omni
Spirantum ex numero non inlaudata ſenectus.
Nec te puniceo rutilantem viſcere Salmo
Tranſierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio ſummas referuntur in undas,
Occultus placido cum proditur æquore pulſus.
Tu loricato ſquamoſus pectore, frontem
Lubricus, & [8] dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum [9] fers incorrupte morarum,

Interpretatio.

veloci. Et tu, ô Barbe, jactate per anguſtias Saravi obliquè fluentis, quâ parte ſex eius ora fremunt ad pilas rupeas, quando delapſus es in fluvium celebrioris nominis, jam liberior factus longè latèque natas. Tu ſuavior es in ætate deteriore; tu ex totâ animantium multitudine fortitus es ſenectam commendabilem. Neque te omiſiſſe velim, ô Salmo, qui micas rubrâ carne, cujus vagi pulſus lata cauda perveniunt à medio fluento ad ſupremam aquam, quando impetus tuus licet *abſconditus deprehenditur in æquabili ſuperficie* amnis. *Tu* geris *pectus ſeptum ſquamis ceu loricâ,* habes *caput lubricum, & cum ſuppeditaturus ſis dapes in cœnâ ambiguâ.*

Notæ.

1. *Saravi.*] Fluvii in Moſellam influentis. Germanis *Die Sahr*, de quo plura infra ad verſum 367. hujus carminis:

Naviger undiſona dudum me mole Saravus
Tota veſte vocat.

2. *Qua bis terna, &c.*] In ponte Saravo impoſito ſenis pilis, antiquo & memorando opere, haud longè Auguſtâ Trevirorum, paulo ante quam in Moſellam influat, ad vicum ſcilicet Cuntzeum hodie, ab illo ponte, *Contzerbruck* dictum. Intuitus videtur hic Auſonius locum hunc Horatii lib. 2. ſat. 2.

Unde datum ſentis Lupus hic, Tiberinus, an alto
Captus hiet, pontesne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci?

3. *Scopuloſis.*] Hyperbolicè, amplis & firmis inſtar ſcopulorum. Divinare hîc mihi videtur Vinetus, non comperta loqui.

4. *Famæ majoris in amnem.*] E Lucano Pharſ. lib. 1 verſ. 400.

5. *Barbe.*] *Barbus,* noſtris *Barbeau*, piſcis notiſſimus.

6. *Pejore ævo.*] In Senectute. Nam teſte Nonio: *Ætatem malam* veteres ſenectutem dixerunt: contra adoleſcentiam *bonam ætatem.*

7. *Tibi contigit omni ſpirantum è numero non illaudata ſenectus.*] Immo & piſcibus aliis non paucis, Cyprino, Mullo, teſte Horatio ſat. 2. l. 2.

——— *Laudas inſane trilibrem*
Mullum in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.

Et aliis non paucis.

8. *Dubia fercula cœnæ.*] Ex Terentii Phormione act. 2. ſc. 2. Ph: *Cœna dubia apponetur.* Ge: *Quid iſtuc verbi eſt?* Ph: *Ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum.*

9. *Fers incorrupte.*] Id eſt, *incorruptus.* Vocativus pro recto caſu, locutio familiaris Auſonio, ut jam obſervavimus.

Præſignis

Præſignis maculis capitis : cui prodiga nutat
Alvus, opimatoque fluens abdomine venter.
Quæque per Illyricum, per ſtagna [1] binominis Iſtri,
Spumarum indiciis caperis [2] Muſtella natantum,
[3] In noſtrum ſubvecta fretum, ne lata Moſellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra ſuperne
[4] Puncta notant tergum, quæ lutea circuit Iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pingueſcis : at illinc
Uſque ſub extremam ſqualet cutis arida caudam.
Nec te delicias menſarum [5] Perca ſilebo,
Amnigenos inter piſces [6] dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mullis :
Nam neque guſtus iners; ſolidoque in corpore partes
Segmentis coëunt, ſed diſſociantur ariſtis.
Hic etiam [7] Latio riſus prænomine, [8] cultor

INTERPRETATIO.

ſervaris incorruptus per longum tempus, *notabilis* es *maculis capitis:* tu *cui laxus venter fluctuat*, *& alvus diffuſa abdomine ſaginato. Et tu Muſtella quæ per Illyricum*, *& per aquas Danubii binominis comprehenderis indicio ſpumarum* ſupra te *fluctuantium*, *delata* es *in noſtrum mare*, *ne amplum fluentum Moſellæ privaretur tam inclyto alumno. Quis naturæ fucus te ſic pinxit? Puncta nigra ſurſum ſignant dorſum* tuum, *quæ Iris crocea ambit. Cæruleum pigmentum perlinit* tuam *cutem lubricam. Valdè ſaginaris* uſque *ad medium corpus: verùm inde uſque ad caudæ extremum cutis* tua *ſicca & aſpera eſt. Neque tacebo te*, *ô Perca*, piſcis qui facis *delicias menſarum*, *tu qui ex piſcibus fluviatilibus comparandus es cum marinis*, *tu ſolus facilè* potes *certare cum Mullis rubris : etenim ſapor eſt tibi non ignavus*, *& partes* carnis *in* tuo *corpore ſolide junguntur* inter ſe *ſectionibus*, *ſed ſeparantur ſpinis. Hìc quoque Lucius ridicu-*

NOTÆ.

1\. *Binominis Iſtri.*] Qui ſcilicet & *Iſter*, & *Danubius* appellatus eſt.

2\. *Muſtella.*] Hanc Auſonii Muſtellam Scaliger multis probat eſſe Lampetram noſtram, *Lamproye :* quam cum Exormiſtone Caſſiodori, male confundere ipſum contendit Salmaſius.

3\. *In noſtrum ſubvecta fretum.*] In Moſellam ex Oceano.

4\. *Puncta notant tergum*, *quæ lutea circuit Iris.*] Sic lege, & interpunge cum Tollio. *Quæ* refertur ad *puncta* illa atra. Lutea illa Iris puncta ambiens ductus eſt croceus, flexuoſus, Lampetram noſcentibus ſat notus.

5\. *Perca.*] Vulgò *Perche*, piſcis ſatis notus.

6\. *Dignande marinis.*] Æquiparande marinis piſcibus, qui tamen vulgò fluviatilibus præferuntur.

7\. *Latio riſus prænomine.*] *Lucius* piſcis. Frequentiſſimus quippè apud Latinos prænomen Lucii. Quare autem riſus, forte quòd dum nomen ejus piſcis pronunciaretur, ſic ſæpè acciperetur ab audientibus quaſi prænomen eſſet viri, expectareturque ab iis aliquid aliud, puta *Titus Cornelius*, aut aliud nomen; qui deinde intellecto errore ſuo, riderent.

8\. *Cultor ſtagnorum.*] In quibus alios minutiores vorat hic miræ ingluviei piſcis.

Digitized by Google

Stagnorum, [1] querulis vis infeſtiſſima ranis
Lucius, obſcuras ulva cœnoque lacunas
Obſidet. [2] Hic nullos menſarum lectus ad uſus,
Fervet fumoſis olido nidore popinis.
Quis non & virides volgi ſolatia [3] Tincas
Norit, & [4] Alburnos prædam puerilibus hamis,
[5] Stridenteſque focis [6] opſonia plebis Alauſas?
Teque inter ſpecies geminas, neutrumque, & utrumque,
Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguuſque
Amborum medio [7] Fario intercepte ſub ævo?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes
[8] Gobio, non major, [9] geminis ſine pollice palmis,
Præpinguis, teres, ovipara congeſtior alvo:
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere [10] magne Silure:

Interpretatio.

lus ob prænomen Latinum, incola ſtagnorum, hoſtis pernicioſiſſimus ranarum querularum, inſidias ponit in lacunis nigris ob herbas & lutum. Non exquiſitus in iis locis ad uſum menſarum lautiorum, *coquitur* tantum *in cauponis fumantibus nidore fœtido. Quis ignoret Tincas virentes quæ ſolantur* famem *plebis, & Alburnos quos pueri hamis capiunt, & Alauſas ſtridentes ſuper prunis, quæ ſunt dapes vulgi? Et te, ô Fario, qui* poſitus *inter duas* piſcium *ſpecies neuter* horum, *& uterque* ſimul es, *qui nondum* es *Salmo, neque amplius* es *Salar, &* es *dubius, cum captus es in mediâ inter utrumque ætate? Tu etiam* mihi *celebrandus* es *inter catervas fluviaticas, ô Gobio, non longior duplici palmâ abſque pollice, opime, rotunde, conſertior ob ventrem ovorum plenum, & qui refers jubas Barbi propexi. Jam memoraberis*

Notæ.

1. *Querulis ranis.*] Appoſitè. Virgilius, Georg. 1.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

2. *Hic nullos, &c.*] Aliter igitur Auſonio & ætatis ejus, quam hujus ævi hominibus palatum ſapiebat. Neque enim cibus adeò deſpectus nunc eſt Lucius piſcis, vulgò *Brochet*, ut à locupletum menſis ad popinas amandetur.

3. *Tincas.*] *Tenches*, piſcis notiſſimus.

4. *Alburnos.*] *Able* & *Ablette* noſtris.

5. *Stridenteſque focis.*] Scilicet tunc quoque ut nunc *Alauſa* piſcis, *Alauſe*, aſſatus in craticulâ edebatur.

6. *Opſonia plebis.*] Alauſam tamen nunc menſæ lautiores non faſtidiunt.

7. *Fario.*] *Truite ſaulmonée*, Germanis *Forhe*, teſte Frehero: *Trutta*, & *Trotta* dictus piſcis. In Gloſſis antiquis Τρώκτης. *Varium* dictum vult Iſidorus à maculis quibus cutis ejus variatur. Atque hinc fortaſſe *Fario* factum eſt. Mirum quod hîc Auſonius innuit, eundem eſſe piſcem, ſed in diverſis ætatibus, Salarem, Farionem & Salmonem.

8. *Gobio.*] Græcis Κώβιος, noſtris *Goujon*, notus piſciculus.

9. *Geminis ſine pollice palmis.*] Id eſt octo digitis.

10. *Magne Silure.*] De hoc Plin. lib. 9. cap. 15. *Silurus graſſatur ubicumque eſt, omne animal appetens, equos natantes ſæpe demergens, præcipue in Mœno Germaniæ amne prope Lisbourn. Et in Danubio Mario extrahitur porculo marino ſimillimus, & in Boriſthene memoratur præcipuæ magnitudine, nullis oſſibus ſpiniſve interſitis, carne prædulci.* Freherus hic ab Auſonio Sturionem notari putat fluviatilium piſcium maximum,

Digitized by Google

Quem velut [1] Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam Delphina reor. Sic per freta magnum
Laberis, & longi vix corporis agmina ſolvis,
Aut brevibus defenſa vadis, aut fluminis ulvis.
Aut quum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ. Diffunditur alveo
Æſtus, & extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam Balæna profundo,
Quum vento motuve ſuo telluris ad oras
Pellitur, excluſum fundit mare; magnaque ſurgunt
Æquora; [2] vicinique timent decreſcere montes.
Hic tamen, hic noſtræ mitis Balæna Moſellæ,
[3] Exitio procul eſt, magnoque honor additus amni.
Jam liquidas ſpectaſſe vias, & lubrica piſces
Agmina, multiplicesque ſatis numeraſſe catervas.
Inducant aliam ſpectacula vitea pompam:
Sollicitentque vagos baccheïa munera viſus:
[4] Qua ſublimis apex longo ſuper ardua tractu

INTERPRETATIO.

à me, ô *grandis Silure, marina bellua;* tu *quem exiſtimo eſſe Delphinum fluviatilem perlitum oleo Attico per totam cutem, ita longè laberis per mare, & vix agitas longum tuum corpus, cum obſiſtunt ei vada non ſatis profunda, aut herba fluvii. Verùm quando placide natas in fluvio, te ripæ virentes, te glaucum agmen piſcium, te undæ liquentes admirantur. Æſtus* hinc inde *excurrit è* medio *alveo* fluvii, & *fluctus feruntur uſque ad extremam ripam. Talis aliquando Balæna in Oceano Atlantico, cum impellitur ad littora* aut *vento aut proprio impetu, diſpellit* hinc inde *undas, & magnum æquor attollitur, & montes propinqui verentur ne ſubſidant. Hic tamen* piſcis, qui eſt *Balæna manſueta noſtra Moſella, multum abeſt à pernicie* inferendâ, *&* eſt *decor adjunctus ingens* huic *flumini.*

Jam ſufficit conſideraſſe meatus liquentes, & lubricas catervas piſcium. ac varia eorum agmina. Amœnitas vinetorum exhibeat aliud ſpectaculum: & dona Bacchi trahant ad ſe aciem errabundam: quâ parte *mons excelſus* porrectus *longo tractu ſupra prærupta, & rupes &*

NOTÆ.

quod genus (inquit) in Rheno non inſolens, aliquando etiam illabentes ei fluvios Moſellam, Mœnum, Nicrum] penetrat. In Danubio *Huſones* dici Germ. *Hauſen* idem ait, qui eundem putat ac Caſſiodori *Ancoraginem* lib. 12. epiſt. 4.

1. *Actæo.*] Attico. Frequens in Attico ſolo arbor Palladis olea.

2. *Vicinique timent decreſcere montes.*] Appropinquante mole undarum, quam agit ante ſe piſcis ille: quâ quidem in immenſum creſcente, decreſcere vicini montes videntur, & in eo eſſe ut ab illâ æquentur aut ſuperentur. Hæc hyperbolicè.

3. *Exitio procul eſt.*] Quaſi feritatem, & voracitatem ſuam Sturio in Moſellâ exuerit. Poëticum iſtud eſt ad laudem amnis.

4. *Qua ſublimis apex, &c.*] De vitibus illis Moſellanis Fortunatus de Navigatione ſuâ Moſellanâ:

Undique perſpicimus minitantes vertice montes,
Nubila quo penetrans ſurgit acuta ſilex,

Digitized by Google

Et rupes, & aprica jugi, flexuſque, ſinuſque,
Vitibus aſſurgunt, [1] naturalique theatro.
[2] Gauranum ſic alma jugum vindemia veſtit,
[3] Et Rhodopen, proprioque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Iſmarius ſuper æquora Thracia collis.
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
Summis quippè jugis tendentis in ultima clivi,
Conſeritur viridi fluvialis margo Lyæo.
[4] Læta operum plebes, feſtinanteſque coloni
Vertice nunc ſummo properant, nunc [5] dejuge dorſo,
Certantes ſtolidis clamoribus: inde viator

INTERPRETATIO.

colles aprici, anfractuſque, & receſſus conſiti *vitibus attolluntur* in formam *theatri nativi. Sic alma vineta operiunt montem Gauranum, & Rhodopen: ac Pangæa virent proprio Baccho. Sic clivus Iſmari montis viret ſupra mare Thracium. Sic vinea mea colorant flavum Garumnam. Nam ripa fluminis vineis virentibus connectitur cum ſupremo cacumine collis aſſurgentis uſque ad extremum. Plebs hilaris inter opus* faciendum, *& coloni properantes modò currunt in ſupremo jugo, modò in colle declivi, contendentes inter ſe vociferationibus ſtultis. Hinc viator*

NOTÆ.

Qua celſos ſcopulos prærupta cacumina tendunt,
Hiſpidus & tumidis creſcit ad aſtra lapis.
Nec vacat hic rigidis ſine fructibus eſſe lapillis
Denique parturiunt: ſaxaque, vina fluunt.
Palmite veſtitos hic reſpicis undique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.
Cautibus inſertæ denſantur in ordine vites,
Atque ſupercilium regula picta poſuit.
Culta nitent inter horrentia ſaxa colonis,
In pallore petra vitis amœna rubet.
Aſpera mellitos pariunt ubi ſaxa racemos,
Et cote in ſterili fertilis uva placet.
Quo vineta jugo calvo ſub monte comantur,
Et tegit umbroſus ſicca metalla viror.
Inde coloratas decerpſit vinitor uvas:
Rupibus appenſis pendet & ipſe legens, &c.

1. *Naturalique theatro.*] Naturaliter aſſurgunt ſenſim, ut gradus in theatro artificioſè attolluntur ad ſpectandi commoditatem.

2. *Gauranum, &c.*] Gaurus mons eſt Campaniæ in Italiâ, vitibus nobilis, cujus vinum Athenæus celebrat lib. 1. Infra noſter:

—— Sulphurei cum per juga conſita Gauri, &c.

3. *Et Rhodopen, &c. Pangæa, &c. Iſmarius collis.*] Montes ſunt Thraciæ. Virg. Eclog. 8. de amore:

—— Duris in cautibus illum
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.

Et Georg. lib. 4. de Euridice:

—— Flerunt Rhodopeïæ arces;
Altaque Pangæa, & Rheſi mavortia tellus.

Sed de horum vitibus nulla præ cæteris mentio.

4. *Læta operum.*] Sic apud Virg. *Læta laborum.*

5. *Dejuge.*] Vox huic auctori peculiaris.

Digitized by Google

Riparum ſubjecta terens, hinc [1] navita labens,
[2] Probra canunt ſeris cultoribus: adſtrepit ollis
Et rupes, & ſilva tremens, & concavus amnis.
Nec ſolos hominum delectat ſcena locorum.
Hic ego & agreſtes Satyros, & glauca tuentes
Naïdas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cum læta protervia Panas,
Inſultantque vadis, trepidaſque ſub amne ſorores
Terrent, indocili pulſantes verbere fluctum.
[3] Sæpe etiam mediis furata è collibus uvas
Inter Oreïadas Panope fluvialis amicas,
Fugit laſcivos paganica numina Faunos.
Dicitur, & medio quum Sol ſtetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros, vitreaſque ſorores,

INTERPRETATIO.

calcans inferiores ripas, illinc nauta navigans ingerunt convitia vinitoribus tardioribus: & cautes, & nemus tremulum, & cavus fluvius illis reſpondent.

Neque faces horum locorum oblectat ſoles homines, ego facilè *exiſtimem Satyros ruſticos, & Naiadas caruleis oculis hic in extremis marginibus convenire, quando hilaris petulantia concitat Panas capripedes, &* illi *inſiliunt in aquas, & territant ſorores pavidas ſub flumine, feriendo undam rudi pulſatione. Sæpe quoque Panope fluminea* nympha *cum ſubripuiſſet racemos è mediis collibus inter montanas* nymphas *amicas* ſuas *fugit petulantes Faunos deos agreſtes. Ferunt etiam quando Sol flagrans conſtitit in medio circuitu, Satyros, & ſorores lim-*

NOTÆ.

1. *Navita labens.*] Navigans ſecundo amne.

2. *Probra canunt ſeris cultoribus.*] Horat. hunc morem tangit lib. 1. ſat. 7.

> *Expreſſa arbuſto regerit convitia durus*
> *Vindemiator, & invictus cui ſæpe viator*
> *Ceſſiſſet, magna compellans voce cucullum.*

Ex quibus verſibus Mariangelus Accurſ. credebat legendum hîc:

> *Probra ferunt duris cultoribus,*

Non autem *Seris*, ſed pro hoc poſteriore facit locus Plinii, ex quo etiam patet cur *cuculi* ſeu *cuculli* appellentur à viatoribus vinitores. Locus hic eſt ex lib: 18 cap 26. *In hoc temporis intervallo quindecim diebus primis Agricola rapienda ſunt ea, quibus peragendis ante æquinoctium non ſuffeceris, dum ſciat inde natam exprobrationem fœdam putantium vites, per imitationem cantus alitis temporarii, quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur opprobriumque meritum, falcem ab illâ volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantia ſales etiam cum primo vere ludantur, auſpicio tamen deteſtabiles videntur. Adeo minima quæque in agro naturalibus trahuntur argumentis.*

3. *Sæpe etiam mediis, &c.*] Expreſſit hæc ex his Statii in Surrentino Pollii:

> *Sæpe per Autumnum, jam pubeſcente Lyæo,*
> *Conſcendit ſcopulos, noctiſque occulta ſub umbra,*
> *Palmite maturo rorantia lumina terſit*
> *Nereis, & dulces rapuit de collibus uvas.*
> *Sæpe & vicino ſparſa eſt vindemia fluctu,*
> *Et Satyri cecidere vadis: nudamque per undas*
> *Dorida Montani cupierunt prendere Panes.*

Conſortes celebrare choros: quum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æſtus.
Tunc inſultantes ſua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros merſare vadis, rudibuſque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica falſi
Membra petunt, liquidoſque fovent pro corpore fluctus.
Sed non hæc ſpectata ulli, nec cognita viſu,
Fas mihi ſit pro parte loqui: ſecreta tegatur,
Et commiſſa ſuis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palam ſpecies, quum glaucus opaco
[1] Reſpondet colli fluvius: frondere videntur
Fluminei latices, & palmite conſitus amnis.
Quis color ille vadis, ſeras quum protulit umbras
Heſperus, & viridi perfundit monte Moſellam?
Tota natant criſpis juga motibus, & tremit abſens
Pampinus, & vitreis vindemia turget in undis:
Adnumerat virides deriſus navita vites,
Navitá caudiceo fluitans ſuper æquora lembo,
Per medium, qua ſeſe amni confundit imago
Collis, & umbrarum confinia conſerit amnis.
Hæc quoque quam dulces celebrant ſpectacula pompas,
Remipedes medio certant quum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, virideſque per oras

INTERPRETATIO.

pidas agitare ſimul choreas ad ripam *communis aquæ, quum ardentior calor exhibuit eis tempora ſemota à turbâ hominum. Tunc Nymphas laſcivire ſaltantes per ſuas aquas, & immergere Satyros undis, & elabi* ipſis, *natandi imperitis, per medias manus; dum ii decepti captant earum artus effluentes, & fovent* complexu *undas liquentes loco corporis. Verùm liceat mihi partim memorare iſta à nemine viſa, neque cognita oculis:* cætera *arcana operiantur, & concredita ſuis aquis, deliteſcant ſub reverentiâ* iis debitâ. *Licet frui publicè hoc ſpectaculo, quando amnis ceruleus repræſentat clivum umbroſum. Aquæ amnis videntur frondeſcere, & flumen videtur plantatum vite. Qualis eſt ille color aquarum quando veſper produxit umbras ſerotinas, & inficit Moſellam* colore *collis virentis. Tota cacumina* videntur *nare* propter *agitationes undulatas* fluminis, *& pampinus* licet inde *remotus*, videtur *trepidare in* fluvio, *& racemi intumeſcere* videntur *in aquis pellucentibus: nauta deluſus numerat* in fluvio *virentes vitium plantas, nauta* (inquam) *qui diſcurrit ſuper aquam lintre è ſtipite* cavato, *per medium ubi effigies clivi immiſcet ſe fluvio, &* ubi *fluvius exhibet extremas partes umbrarum conſitas* vitibus.

Quam gratas pompas etiam hæc ſpectacula exhibent, quando navicula remis incedentes, *ceu pedibus pugnant in medio fluvio, & obeunt diverſos gyros, & per ripas virentes radunt*

NOTÆ.

1\. *Reſpondet colli fluvius: frondere videntur, &c.*] Statius in Tiburtino Manlii:
—— *Nemora alta citatis*
Incubuere vadis: fallax reſponſat imago
Frondibus, & longas eadem fugit umbra
per undas.

Stringunt attonſis pubentia germina pratis!
Puppibus, & proris alacreis geſtire magiſtros,
Impubemque manum ſuper amnica terga vagantem
[1] Dum ſpectat, tranſire diem, ſua ſeria, ludo
Poſthabet: excludit veteres nova gratia curas.
Tales [2] Cumano deſpectat in æquore ludos
Liber, [3] ſulphurei quum per juga conſita Gauri,
Perque [4] vaporiferi graditur vineta Veſevi:
[5] Quum Venus [6] Actiacis Auguſti [7] læta triumphis,
[8] Ludere laſcivos fera prælia juſſit Amores;
Qualia [9] Niliacæ claſſes, [10] Latiæque triremes
Subter [11] Apollineæ geſſerunt Leucados arces:
Aut Pompeïani [12] Mylaſena pericula belli

INTERPRETATIO.

herbas repullulaſcentes in pratis jam *tonſis! Dum* viator *aſpicit hilares gubernatores geſtire* in *puppibus, & in proris, & turbam adoleſcentulorum diſcurrentem ſuper dorſum fluvii, non curat quod dies effluat, poſtponit ſua negotia* huic *ludicro: hæc nova oblectatio ejicit* ex ejus animo *priores ſollicitudines. Bacchus aſpicit ſimiles ludos in mari Cumæo, quum incedit per cacumina Gauri ſulphurei conſita* vitibus, *& per vineas Veſevi exhalantis fumos: quando Venus hilaris ob victoriam ab Auguſto* relatam *ad Actium, juſſit Cupidines petulantes ludendo imitari ſæva certamina, qualia naves Ægyptiæ, & triremes Latinæ commiſerunt ſub arcibus Leucados Apollini dicatæ: vel* qualia *tyrocinia certaminis Pompeiani apud Mylas Cumanæ naviculæ*

NOTÆ.

1. *Dum ſpectat, tranſire diem, &c.*] Locus corruptus & ideò intricatior. Scaliger mutat *diem* in *dein*, neſcio an rectè. Gronovius reponit *qui ſpectat*, ad ſenſum appoſitè, ſed ſine auctoritate libb. MSS. Certè, quæcumque vera fuerit loci hujus ſcriptura, ſenſus is eſſe debuit quem in interpretatione expreſſi. Sic lego & interpungo:

Dum ſpectat, tranſire diem, ſua ſeria, ludo
Poſthabet.

Dum ſpectat (viator aliquis) poſthabet huic ludo ſua ſeria negotia, & quod interim tranſeat dies. Expreſſum eſt ex Virg. Eclog. 7.

Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo.

2. *Cumano.*] Quod eſt ante Cumas Campaniæ urbem.

3. *Sulphurei Gauri.*] Ob Veſevi, flammas ſulphureas vomentis, viciniam. De Gauro monte jam ſupra.

4. *Vaporiferi Veſevi*] Veſevus, & Veſuvius, mons eſt Italiæ ignivomus, celebratior, quam ut plura de eo ſint hic diſſerenda.

5. *Quum Venus, &c.*] Poëtica fictio ad rem accommodatiſſima.

6. *Actiacis.*] Relatis ab Auguſto in pugnâ navale ad Actium de Antonio, & Cleopatrâ.

7. *Læta.*] Propterea quod Auguſtus, Juliæ Genti per adoptionem Julii Cæſaris inſertus, ad Venerem Juliæ Gentis per Æneam matrem præcipuo jure pertinebat.

8. *Ludere.*] Per ludum repræſentare.

9. *Niliacæ.*] Cleopatræ naves.

10. *Latiæque.*] Auguſti.

11. *Apollineæ Leucados.*] Promontorii, in quo templum habet Nautis formidatus Apollo.

12. *Mylaſena pericula.*] Gronovius *Mylæa* legit. A *Mylis* apud quas ſuperatus eſt ab Octavio, Sextus Pompeius, cum *Mylaſena* à *Mylaſis* quæ hinc longe ſunt, videatur derivandum. Accurſius *Meſſana* cui non accedo, licet haud procul Meſſanâ geſ-

Euboïcæ referunt per Averna ſonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulſus, pugnaſque jocantes
Naumachiæ, Siculo quales ſpectante Peloro
Cæruleus viridi reparat ſub imagine pontus.
Non aliam ſpeciem petulantibus addit ephebis
Pubertaſque amnis, & picti roſtra phaſelli.
Hos [1] Hyperionio quum Sol perfuderit æſtu,
Reddit nautales vitreo ſub gurgite formas,
[2] Et redigit pandas inverſi corporis umbras.
Utque agiles motus dextra, lævaque frequentant,
Et commutatis alternant pondera remis,
Unda refert alios ſimulacra humentia nautas.
Ipſa ſuo gaudet ſimulamine nautica pubes.
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compoſitos oſtentatura capillos,
Candentem late ſpeculi explorantis honorem
Quum primum caræ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignorato fruitur virguncula ludo,

Interpretatio.

exibent in Averno lacu *reſonante*, ſcilicet *conflictus navium innoxios, & ficta certamina Naumachiæ, qualia mare cæruleum repræſentat ſub viridi ſpecie ante Pelorum Siciliæ* Promontorium. *Talem prorſus ſpeciem protervis* illis adoleſcentibus *tribuit* eorum *juventus, fluviiſque, & naviculæ proris picturatis. Quando Sol hos afflavit lumine* ſuo *ſuperno, pingit imagines nautarum ſub aquâ limpidâ, & contrahit curvatas umbras corporis inverſi. Et prout crebrò exercent motus celeres ad dextram, & ad ſiniſtram, & mutando palmulas ſuſcipiunt onera viciſſim, aqua exhibet humidas imagines aliorum nautarum. Ipſa juventus nautica gaudet ſuâ imagine, admirans fictas* ſuas *formas ſubinde apparere in flumine. Sic quando nutrix monſtrare, volens alumnæ dilectæ crines* ipſius cincinnatos ac bene *diſpoſitos, adhibuit* ei *primùm ſpeculum lætè micans ad obſervandam* ipſius formam, *læta pupula gaudet ſpectaculo* ſibi hacte-

Notæ.

tum fuerit prælium illud. Ratio quâ inducor hæc eſt, quod Mylarum præcipua apud hiſtoriæ Romanæ ſcriptores mentio in prælii hujus narratione fit. Sive autem *Mylæa* legas ſive *Mylaſena pericula belli Pompeiani*, intellige exercitationes illas copiarum, quibus in portu Julio prælusit Pompeianæ pugnæ Auguſtus. De quibus ſic Sueton. in ejus vitâ cap. 16. *Donec navibus ex integro fabricatis, ac XX. Servorum millibus manumiſſis, & ad remum datis, portum Julium apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit. In quo cum hieme tota copias exercuiſſet, Pompeium inter Mylas, & Naulochum ſuperavit.*

1. *Hyperionio.*] Superius gradiente. *Hyperion* dictus eſt ſol teſtibus Euſtathio, & Suida, quod ſit ὑπὲρ ἡμᾶς ἰὼν, *ſupra nos gradiens.*

2. *Et redigit, &c.*] Accurſ. *reddit*, malè. Neque enim Elegantiæ Auſonianæ fuerit vocem illam conſequenter bis uſurpare, non ſine aurium faſtidio:

Reddit nautales, &c. Et reddit pandas, &c.

His verbis *Redigit pandas*, &c. exprimit contractionem illam quâ, Sole altius ſupra caput noſtrum elato, projectæ ad humum umbræ in longitudine, non autem in altitudine minuuntur.

Germanæque

Digitized by Google

Germanæque putat formam ſpectare puellæ:
Oſcula fulgenti dat non referenda [1] metallo:
Aut fixas [2] prætentat acus; aut frontis ad oram
Vibratis cœptat digitis extendere crines:
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falſique figuris.
Jam vero acceſſus faciles qua ripa miniſtrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo:
Heu male defenſus penetrali flumine piſcis!
Hic medio procul amne [3] trahens humentia lina,
Nodoſis decepta plagis examina verrit;
Aſt hic tranquillo qua labitur agmine flumen,
[4] Ducit corticeis fluitantia retia ſignis.
Ille autem ſcopulis ſubjectas pronus in undas,
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos eſcis jaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli poſtquam vaga turba natantum
Rictibus invaſit, patulæque per intima fauces
Sera occultati ſenſerunt vulnera ferri:
Dum trepidant, ſubit indicium: criſpoque tremori
Vibrantis ſetæ nutans conſentit harundo.

INTERPRETATIO.

nus ignoto, *&* *credit* ſe *videre effigiem virgunculæ* alicujus *ſororis* ſuæ: *dat nitenti metallo baſia* ab eâ effigie *non reddenda: aut tentat* manibus *acus* quas videt in ſimulacri ſui crinibus *fixas; aut immiſſis digitis ad extremam frontem, conatur extendere capillos* ejus. *Similiter juvenes illi nautæ* cernendo *fallacia ſimulacra, gaudent dubiis formis veri & falſi.*

Tum autem quâ parte *ripa prabet faciles aditus* ad fluvium, *multitudo* piſcatorum *direptrix quærit per totam aquam piſces heu non bene protectos amne intimo! Hic trahens retia humida longo per medium flumen, converrit agmina* piſcium *deluſa retibus nodoſis: hic autem extendit ſagenas natantes* ſupernè ope *teſſerarum ex ſubere. Ille vero inclinatus è rupibus in aquas ſuppoſitas, demittit cacumen incurvum virgæ flexilis, immittens* fluvio *hamos opertos cibis mortiferis. Quos poſtquam errabunda cohors piſcium ignorans fraudem, apprehendit ore hiante, ac guttura aperta uſque ad intima ſenſerunt* ſed *tardius vulnera à latente ferro* impreſſa, *dum trepidant, ſignum ſurſum fertur: & virga mota reſpondet crebræ trepidationi linea agitata. Et*

NOTÆ.

1. *Metallo.*] Tunc quippè expolito argento, aut ferro ſpecula erant, non, ut nunc, vitro ſtanneâ bracteâ obducto.

2. *Prætentat acus, &c.*] Quidam libri habent, teſte Vineto, *prætendit acus*, & mox: *Vibratos captat digitis* &c. non minus benè, meâ quidem ſententiâ.

3. *Trahens humentia lina, &c.*] Sagenam ſeu verriculum contrahit, & piſces captos verrit ad ripam.

4. *Ducit corticeis, &c.*] Verriculum expandit alterâ parte plumbo aut lapidibus depreſſum ad imum amnem, alterâ ſurſum elatum teſſellis ſuberiis. *Suber* ſæpè *φελλὸς cortex* dicitur.

Digitized by Google

Nec mora : & excuſſam ſtridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer. Excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motoque adſibilat aëre ventus.
Exſultant [1] udæ ſuper arida ſaxa rapinæ,
Luciferique pavent letalia tela diei.
Quique ſub amne ſuo manſit vigor, aëre noſtro
Segnis anhelatis vitam conſumit in auris.
Jam piger invalido vibratur corpore plauſus ;
Torpida ſupremos patitur jam cauda tremores,
Nec coëunt rictus : hauſtas ſed hiatibus auras
Reddit mortiferos exſpirans branchia flatus.
Sic ubi fabriles exercet ſpiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos
[2] Lanea [3] fagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quoſdam leti ſub fine trementes,
Collegiſſe animas : mox in ſublime citatos,
[4] Cernua ſubjectum [5] præceps dare corpora in amnem
Deſperatarum potientes rurſus aquarum.
Quos impos damni puer inconſultus ab alto
Impetit, & ſtolido captat prenſare natatu.

Interpretatio.

ſtatim puer manu rapit in obliquum prædam excuſſam cum ſtridore per aërem. *Sibilus venti ſequitur ictum, quemadmodum aliquando fractis flagrorum* verberibus *per auras aër ſtridet, & agitato aëre flatus ſibilum edit. Humida præda exiliunt in rupibus ſiccis, & exhorreſcunt mortiferos radios lucis* ipſis *affulgentis. Et robur quod in* eis *fuit* dum degerent *in ſuo fluvio, debilitatum in noſtro aëre, exſpirat in auris,* quas *anhelando* accipiunt redduntque. *Jam debile* ipſorum piſcium *corpus ſegniter quatit* humum ; *jam cauda torpeſcens experitur ultimas palpitationes : neque junguntur* inter ſe *labia : ſed branchia exhalans letales halitus, ejicit aërem quem hiando duxerat. Haud aliter quando flatus excitat ignem* in fornacibus *fabrorum, tabella lanâ obducta luſitans in cavo* folle *è fago* compacto*, haurit, & coërcet flatus alternatim* aperiendo, & obturando *foramen. Ego ipſe vidi quoſdam* piſces *in mortis confinio palpitantes recollegiſſe animas, & ſtatim concitos in altum præcipitaſſe prona corpora in fluvium ſubjectum, iterum fruentes aquis quas non* amplius *ſperabant. In quos puer impatiens jacturæ è ſummâ* ripâ *irruit inſanus, & ſtultè tentat nando* eos *reprehendere. Similiter Glaucus Anthedo-*

Notæ.

1. *Udæ rapinæ.*] Piſces capti, ex flumine madentes.

2. *Lanea parma.*] Epiſtomium follis, quod ligneum lanâ aut villoſâ aliquâ pelle obductum, ut foramini mollius ac preſſius ſimul ſeſe applicet.

3. *Fagineis alludens cavernis.*] Intra follis ventrem tympanis hinc inde è fago aut alio ligno factis concluſum modò elata, modò depreſſa, dum auras follis accipit, & reddit.

4. *Cernua.*] *Cernuus* eſt inclinatus, quaſi quod terram cernat, teſte Nonio.

5. *Præceps.*] Adverbialiter ſumptum.

Digitized by Google

Sic [1] Anthedonius Bœotia per freta Glaucus
Gramina guſtatu poſtquam exitialia Circes
Expertus, [2] carptas moribundis piſcibus herbas
Sumpſit, Carpathium ſubiit [3] novus accola pontum.
Ille hamis & [4] rete potens, ſcrutator operti
Nereos, æquoream [5] ſolitus converrere Tethyn,
[6] Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia deſpectant longo per cærula tractu
Pendentes ſaxis inſtanti culmine villæ.
[7] Quas medius dirimit ſinuoſis flexibus errans
Amnis: & alternas comunt prætoria ripas.

INTERPRETATIO.

nius per mare Bœticum poſtquam, guſtatis herbis letalibus Circes, comedit herbas quas viderat *carpi à piſcibus moribundis, novus habitator ingreſſus eſt mare Carpathium. Ille peritus* piſcandi *hamis & retibus, rimator maris intimi, qui ſolebat deprædari Tethyn marinam, natavit* ipſe *prædator inter greges* piſcium, *quos* olim *ceperat. Hujuſmodi* ſpectacula *deſuper aſpiciunt villæ longo ordine per aerias plagas ſita in rupibus, quarum faſtigia imminent* fluvio. *Quas ſeparat fluvius in medio earum currens curvis anfractibus: & caſtella exornant ripas hinc inde.*

NOTÆ.

1. *Anthedonius, &c. Glaucus.*] Glaucus piſcator, ex Anthedone Bœotiæ urbe, cum Circen ſui amantem ſperneret, Scyllamque amaret, ſpretæ Circes veneficiis, (quibus jam Scyllæ lavantis inguina latrantibus ſuccincta monſtris fuerant) petitus ipſe, guſtatis ad vim veneni retundendam herbis quibuſdam, quarum contactu obſervaverat aliquandò captos à ſe piſces vitam recepiſſe & reſiluiſſe in mare, & ipſe in mare deſiliit, & marinus Deus eſt factus. Narrant Pauſan. in Bœticis & Athenæus lib. 7. At eum Ovid. narrat libro 13. Metamorph. ſub finem & initio lib. 14. jam antequam Scyllam vidiſſet, & adiiſſet Circen, mutatum fuiſſe, cum mirans piſcium ſortem herbas guſtaſſet, virtutem earum experturus.

2. *Carptas.*] *Tactas* aut ſaltem *captas* legendum putat Accurſ. quòd carpi à piſcibus præcipuè moribundis herbas veriſimile non ſit, & quòd Ovidius habeat:

> *Gramine contacto* (non autem *decerpto*) *cœpit mea præda moveri.*

Quod in medium relinquo.

3. *Novus accola.*] Ovid habet hîc:

> *Alti novus incola ponti.*

Melius, incolebat enim mare Deus factus, quod prius piſcator accoluerat.

4. *Rete potens.*] Ablativ. pro *reti*, quod uſitatius eſt.

5. *Solitus converrere.*] Sagenâ ſeu verriculo piſces ad littus trahere.

6. *Inter captivas, &c. catervas.*] Cœpit natare inter piſces, quos prius ceperat, & qui gramine contacto mari redditi fuerant.

7. *Quas medius dirimit, &c. & alternas comunt prætoria ripas.*] Expreſſum ex hoc Statii in Tiburtino Manlii:

> —— *Nec te mitiſſimus amnis*
> *Dividit, alternas ſervant prætoria ripas.*

Prætoria ſunt magna, & ſumptuoſa ædificia, quæ ita vicina in Moſellæ ripis, ut alia ab aliis, aut ſaltem inde ſurgens fumus conſpici poſſit, gliſcentibus inter Francos, & Romanos bellis, in arces, ſpeculas, munimenta evaſiſſe refert Freherus.

[1] Quis modo [2] Seſtiacum pelagus [3] Nepheleïdos Helles
Æquor, [4] Abydeni freta [5] quis miretur ephebi?
Quis [6] Chalcedonio conſtratum ab littore pontum,
[7] Regis opus magni, mediis euripus ubi undis
Europæque Aſiæque [8] vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non ſæva furentum
Prœlia [9] Caurorum. Licet hîc commercia linguæ
Jungere, & alterno ſermonem texere pulſu.
Blanda ſalutiferas permiſcent littora voces,
Et voces, & pene manus: reſonantia utrinque
Verba refert, mediis concurrens fluctibus Echo.
Qui potis, innumeros cultuſque habituſque retexens.
Pandere [10] tectonicas per ſingula prædia formas?

INTERPRETATIO.

Quis jam admiretur pelagus Seſti, mare Helles filia Nepheles, fretum juvenis Abydeni? Quis admiretur *mare ſtratum* ponte *à littore Chalcedonis*, quod fuit *opus Regis Magni*, *ubi fretum interpoſitus ſuis aquis ſeparat terras Europa & Aſiæ? Hic non* timetur *ſævus furor ponti, non crudelia certamina ventorum ſævientium. Hic datur colloqui, & alternis vocibus contexere orationem. Ripa blanda committunt hinc inde verba ſalutantium* invicem, *verba* inquam *& ferè dexteras: Echo* ab utrâque ripâ *concurrens in medio flumine, reddit voces hinc inde ſonantes.*

Quis poteſt recenſendo innumerabiles ornatus & ſchemata, exponere figuras ædificiorum in

NOTÆ.

1. *Quis modo Seſtiacum pelagus, &c.*] Ex eodem Statio in Tiburtino Manlii. Sic enim ille:

> *Seſtiacos nunc fama ſinus, pelaguſque natatum*
> *Jactet, & audaci junctos Delphinas ephebo.*
> *Hic æterna quies: nullis hic jura procellis:*
> *Nuſquam fervor aquis: datur hic tranſmittere viſus,*
> *Et voces, & pene manus.*

2. *Seſtiacum pelagus.*] Helleſponti fretum, Seſtum & Abydum interluens.

3. *Nepheleïdos Helles.*] In quod Helle Athamantis, & Nepheles filia, cum fratre Phryxo navigans cum decidiſſet, nomen ei ſuum impoſuit, dictus enim eſt ab eâ Helleſpontus.

4. *Abydeni ephebi.*] Leandri, cujus amores, & nocturnæ ad Hero per Helleſpontum natationes notiſſimæ.

5. *Quis miretur.*] Nempè ob anguſtias, & facilitatem trajiciendi; cum ab alterâ Moſellæ ripâ ad alteram, non tantùm trajectus facilis ſit, & conſpiciantur ultra citroque caſtella, & ignes; ſed voces etiam audiantur, & manus ſeſe ferè tangant. Quod ad laudem hujus fluvii ab Auſonio allatum, neſcio an de ejus ut anguſtioris vituperationem facere potius non videatur.

6. *Chalcedonio conſtratum, &c.*] Boſphorum Thracium quem Xerxes ponte junxit ab Aſiatico littore, ubi Chalcedon eſt Bithyniæ oppidum, ad Europæum littus, in quo Byzantium.

7. *Regis opus magni.*] Xerxis Perſarum Regis. *Magnus* Epitheton perpetuum Regum Perſidis; *μέγας ὁ βασιλεύς* Græcis.

8. *Vetus concurrere terras.*] Quas olim concurriſſe crediderunt, & mari poſtea interfuſo ſeparatas, ut videre eſt ex Plinio lib. 2. cap. 90.

9. *Caurorum.*] Synecdoche, pro quibuſvis ventis. Cauri propriè ſunt venti occaſum inter & ſeptentrionem flantes.

10. *Tectonicas, &c. formas.*] Hoc eſt figuras ædificiorum quæ ad Moſellæ ripas ſunt, quas varii Architecti effinxerunt.

Non hoc ſpernat opus [1] Gortynius aliger, [2] ædis
Conditor Euboïcæ, caſus quem ſingere in auro
Conantem Icarios, [3] patrii pepulere dolores.
Non [4] Philo Cecropius: [5] non qui laudatus ab hoſte,
Clara Syracoſii traxit certamina belli.
Forſan & inſignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo [6] celebrata volumine Marci
Hebdomas. Hîc clari viguere [7] Menecratis artes,
[8] Atque Epheſi ſpectata manus: [9] vel in arce Minervæ

Interpretatio.

ſingulis villis? Non putet hoc opus indignum ſe Dædalus Cretenſis exſtructor templi Cumani; *quem dolores paterni perculere, cum tentaret exprimere in auro lapſum Icari. Non Philo Athenienſis, non* ille *qui laudatus* etiam *ab hoſte* ſuo, *traxit* in longum *inclyta certamina belli Syracuſani. Forſitan & Hebdomas* miraculorum orbis *deſcripta in libro decimo Marci* Varronis *hic conſtituit inclytos labores hominum, & operum. Hic artes celebris Menecratis in uſu fuere, & manus* illa cujus induſtria *probata* eſt *Epheſi: aut Ictinus* ſpectatus *in arce Palladis* con-

Notæ.

1. *Gortynius aliger.*] Dædalus Cretenſis ab urbe Cretæ *Gortyne* dictus *Gortynius*, cujus fabulam omnem vide apud Ovid. Metamorph. lib. 8.

2. *Ædis conditor Euboïca.*] Templi Apollinis apud Cumas Campaniæ, Euboicorum coloniam.

3. *Patris pepulere dolores.*] De hoc Virg. lib. 6. Æneidos.

——— Tu quoque magnam
Partem opere in tanto (ſineret dolor) Icare, haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro,
Bis patriæ cecidere manus.

4. *Philo Cecropius.*] Philon Athenienſis architectus, de quo Plin. lib 7. cap. 37. *Laudatus eſt Philon Athenis armamentario mille navium.* Hujus meminit Vitruvius lib. 7. & Cicero lib. 1. de Oratore.

5. *Non qui laudatus ab hoſte, &c.*] Archimedes, à M. Marcello Syracuſas oppugnante. De hoc, Plin. loco ſupra citato: *Grande & Archimedi Geometricæ ac Machinalis ſcientiæ teſtimonium M. Marcelli contigit, interdicto, cum Syracuſæ caperentur, ne violaretur unus, niſi fefelliſſet imperium militaris imprudentia.*

6. *Celebrata volumine Marci Hebdomas.*] Tuetur Scaliger ſcriptam in multis libris lectionem *Margi*, vel *Marges*, & de Margeo aliquo intelligit, cujus opera inciderint, & qui decimo operum ſuorum libro ſcripſerit de ſeptem mundi miraculis: hanc enim hic intelligit *Hebdomada*. Reineſius lib. 2. variar. lect. cap. 2. & Salmaſius tuentur hic contra Scaligerum legendum eſſe *Marci* & de M. Varrone ejuſque hebdomadum libris, locum hunc intelligendum. Inter tantos viros judicare non auſim. *Margei* certè nuſquam alibi mentio. Itaque *Marci* interim retineamus.

7. *Menecratis.*] Hunc putat Scaliger hic intelligendum Menecratem Epheſinum, cujus Varro meminit libris de Re Ruſticâ, quique multa, & præclara volumina de hiſtoriâ animalium, itemque de aliis, reliquerat.

8. *Atque Epheſi ſpectata manus.*] De eodem Menecrate Epheſino hæc intelligit Freherus. Salmaſius, cui libens aſſentior, intelligendum ait de Cherſiphrone (qui apud Plinium & Vitruvium Cteſiphon appellatur,) de quo quidem Plin. lib. 7. cap. 37. *Laudatus eſt & Cteſiphon Gnoſſius* (Straboni Cherſiphron) *æde Epheſinæ Dianæ admirabiliter fabricata.* Vitruv. in procemio libri ſeptimi: *primamque ædes Epheſi Dianæ Ionico genere à Cteſiphonte Gnoſſio, & filio ejus Metagene eſt conſtituta, quampoſtea Demetrius ipſius Dianæ ſervus, & Peonius Epheſius dicuntur perfeciſſe.*

9. *Vel in arce Minervæ Ictinus.*] Vitr. ib.

Ictinus; [1] magico cui Noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
[2] Conditor hic forſan fuerit Ptolemaïdos aulæ
Dinochares: [3] quadro cui in faſtigia cono
Surgit, [4] & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras.

Interpretatio.

dendâ, *à quo noctua* fabricata, *& delibuta unguento magico attrahit ad ſe aves omnis generis, & enecat* ſuo *aſpectu. Forſitan hic fuerit Dinochares exſtructor palatii Ptolomæi, à quo* exſtructa *Pyramis quadrato cono aſſurgit in apicem, & ipſa abſumit ſuas umbras. Quo*

Notæ.

De æde Minervæ Dorica, quæ eſt Athenis in arce, Ictinus, & Carpion. (edidit volumen.) Et paulo poſt de eodem: *Eleuſiniæ Cereris & Proſerpinæ cellam immani magnitudine Ictinus Dorico more, ſine exterioribus columnis ad laxamentum uſus ſacrificiorum pertexit, &c.*

1. *Magico cui Noctua perlita fuco, &c.*] De hâc magicâ noctuâ Ictini nihil alibi legitur. Videtur Automaton fuiſſe ſimile Columbæ Archytæ Tarentini.

2. *Conditor hic, &c. Ptolemaïdos aulæ Dinochares*] Salmaſius, ad hunc locum, acutè diſtinguit *Dinocharem* à *Dinocrate*, quod habent editi libri plerique. Sed verba ejus quoniam totum hunc locum illuſtrant mirificè, non pigebit hic deſcribere. Dinochares, inquit, is eſt ſcilicet, quem Alexandriam metatum eſſe auctores ſcribunt. Hic aliis dicitur *Dinocrates*, ſed Plinius tribus locis *Dinocharem* nominavit, ut quidem apud illum ſcribunt veteres libri. Atqui hic idem eſt *Dinochares* ſive Dinocrates, qui templum Dianæ Epheſiæ ultimò architectatus eſt, quod concremarat Heroſtratus. Verſus autem ſubſequentes explicat Plinius lib. 34. cap. 14. his verbis de Magnete: *Eodem lapide Dinochares Architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius; & Ptolemæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Editi legunt *Dinocrates*, ſed in ſcriptis habetur *Timochares*, fortaſſe pro *Dinochares*. Cæterùm pro perfecto accipit Auſonius, quod inchoatum duntaxat fuit. Mirari verò non ſatis poſſum, qui fieri potuerit, ut idem *Dinochares*, qui Alexandriæ metationi præfuit, *templum* illud *Arſinoës* inchoaverit, magnete concamerandum. *Ptolemæus* enim ille *Philadelphus* fuit, qui obiit Olympiade centeſimâ & duodecimâ. Sic ab Alexandriæ conditu ad id tempus quo ædificari cœptum eſt Arſinoës templum juſſu Philadelphi, anni ſunt circiter octogintaocto. Atqui idem *Dinocrates* aliquot annis antequam Alexandriam metaretur, templi Dianæ Epheſiæ ædificationi præfuerat. Non poteſt igitur idem eſſe Architectus, qui Alexandriam metatus eſt, & templum Arſinoës ſub exitum vitæ Philadelphi regis inchoavit. Vicinitas fortaſſe nominum in cauſâ fuit, ut confunderentur. Architectus Alexandriæ vocabatur *Dinocrates*, ut Strabo, Valerius, Vitruvius, alii appellant. Ille alter *Dinochares* fuit, qui Ptolemæi Philadelphi temporibus vixit: ex hâc nominum ſimilitudine Plinius, vel ille, unde ſumpſit, & hi qui eum ſequuti ſunt, alterum pro altero poſuerunt, & *Dinocharem* etiam vocarunt, qui Alexandriam metatus eſt, cum *Dinocrates* diceretur. Hactenùs Salmaſius.

3. *Quadro cui in faſtigia cono ſurgit, &c.*] vel lege *cuii* antiquo more, quo *quis quiius*, vel *quoius: quoji* vel *quoji* faciebat: vel ipſum *cui* diſſyllabum, & primâ longâ, ut apud Paulinum, & Prudentium ævi illius poëtas reperitur. *Quadrum conum* intellige Pyramidem quadratam; conus tamen propriè apud Geometras eſt Pyramis rotunda, quales metæ in circo.

4. *Et ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras.*] Quod facilè intelligetur quo pacto fiat, ſi ponamus Pyramidem illam quadratam quatuor aſſurgere triangulis æquilateris,

[1] Juſſus [2] ob inceſti qui quondam fœdus amoris
Arſinoën [3] Pharii [4] ſuſpendit in aëre templi.

INTERPRETATIO.

olim juſſu Ptolomæi Philadelphi *propter inceſtum* ejus cum ſorore Arſinoë *conjugium, ſuſpendit* ſimulacrum ipſius *Arſinoës in aëre in templo Ægyptio. Nam in fornice tecti ſtat Zephy-*

NOTÆ.

aut quorum latus ad baſim ſit uno quoque reliquorum majus aliquantò, ſic enim fiet ut cum Sol quadrageſimum-quintum circiter gradum altitudinis ſupra finitorem attigerit aut exceſſerit, apicis umbra non projiciatur extra baſcos ipſius quadrum; ſicque ſub ſtructurâ Pyramidis lateat, donec ad eundem quadrageſimum quintum gradum veſpere deſcendendo pervenerit. Et tunc, quemadmodum mane, antequam ad illum perveniſſet, apicis umbra extra baſim Pyramidis plus minuſve exſpatiabitur, prout demiſſior altiorve Sol ad prædictam altitudinem minus magiſve accedet. Neque enim exiſtimandum eſt Pyramides illas Ægyptias ſine umbrâ eſſe, *cum Sol decedens creſcenses duplices umbras.* Sin autem acutiores volumus fuiſſe Pyramidas, tunc tantùm conſumpſiſſe umbras ſuas exiſtimandæ ſunt, cum Sol eouſque altitudinis perveniſſet, ut ejus radius per Pyramidis apicem tranſiens oppoſitum latus radere incepiſſet. Quod in Ægypto, ubi Sol in meridie ad verticem ipſum, aut prope aſcendit, ſæpe & per multam diei partem potuit evenire. Et hæc eſt mens Caſſiodori variarum lib 7. form. 15. ubi: *Pyramides in Ægypto* (inquit) *quarum in ſuo ſtatu ſe umbra conſumens ultra conſtructionis ſpatia nulla parte conſpicitur.* Et Ammiani qui lib. 22. Sie ait: *Quæ figura* (Pyramidis) *apud Geometras ideo ſic appellatur, quod ad ignis ſpeciem τοῦ πυρὸς ut nos dicimus, extenuatur in conum. Quarum magnitudo quoniam in celſitudinem nimiam ſcandens gracileſcit paulatim, umbras quoque mechanica ratione conſumit.* Lepidè verò Solinus cum ait Polyhiſtoris cap. 35. *Pyramides turres ſunt in Ægypto, faſtigiata ultra celſitudinem omnem, quæ fieri manu poſſit. Itaque menſuram umbrarum egreſſa, nullas habent umbras.* Quaſi moles aliqua terræ inhærens intelligi poſſit in tantam altitudinem exſurgere, ut ob id ipſum umbram non habeat. Quinimmò quo altior erit, eo habebit majorem.

1. *Juſſus.*] A Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege.

2. *Ob inceſti fœdus amoris.*] Matrimonium Philadelphi cum ſorore Arſinoe, cujuſmodi matrimonia non inuſitata in Ægypto. Illa etiam Beronice cujus comam Conon Mathematicus, & Callimachus poeta inter ſidera collocarunt, nupſerat fratri Ptolemæo Philadelphi filio. Quin & apud Perſas, & Aſſyrios fas erat ſorores uxores ducere.

3. *Pharii.*] Alexandrini quidem, ut ex locis ſupra relatis patet. Sed à Pharo Ægypti turre, quidquid Ægyptium erat, Pharium ſæpè appellatum eſt.

4. *Suſpendit in aere, &c.*] Quaſi factum tangit Auſonius quod ſolummodo inchoatum, & morte tum ipſius Architecti, tum Ptolemæi, qui juſſerat, fuiſſe derelictum narrat Plin. lib. 34 cap. 14. quem locum vide ſupra ad hæc verba:

Conditor hic &c. Ptolemaidos aula Dinochares.

Hoc etiam ſuſpenſum fuiſſe artificio ſolis ſignum in templo Serapidis Alexandriæ refert Rufinus lib. 11. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Sic ſuſpenſam Treveris in arcu veſtibuli templi cujuſdam ferream effigiem Mercurii volantis refert Annalium Trevericorum auctor, cujus locum exſcripſit Freherus. Sic pendere etiamnum apud Meccam Mahometis loculum affixis ſurſum ac deorſum diverſæ magnitudinis ac virtutis magnetibus, vulgò fertur. Idem habet de ferreo Cupidine in Dianæ templo ſine ullo ligamine pendente magnetis ope, Caſſiodorus lib. 1. Var. ep. 45. Idem de Victoriâ ferreâ inter columnas 4. Magneſiæ ad Sipylum L. Ampelius in libello Memor c. 8 Idem de ferreâ Martis effigie à magnetico Veneris ſimulacro raptâ, Claudianus in poematio de Magnete. Quod quàm verè affirment ipſi viderint. Ego certè non facile adducar ut credam.

[1] Spirat enim tecti teſtudine Corus Achates,
Afflictamque trahit ferrato crine puellam.
[2] Hos ergo aut horum ſimiles eſt credere dignum
Belgarum in terris ſcenas poſuiſſe domorum,
Molitos celſas fluvii decoramina villas.
Hæc eſt nativi ſublimis in aggere ſaxi.
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captumque ſinu ſibi vindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Uſurpat faciles per culta, per aſpera, viſus:
Utque ſuis fruitur dives ſpeculatio terris.
Quin etiam riguis [3] humili pede condita pratis
[4] Compenſat celſi bona naturalia montis,

INTERPRETATIO.

rus ex magnete factus, *& attrahit mulierem affixam capillis ferreis. Credibile igitur eſt hos* artifices, *aut ſimiles horum diſpoſuiſſe proſpectus domuum in terris Belgarum, cum conderent villas ſublimes* quæ ſunt *ornamenta* hujus *amnis. Hæc eſt altè* poſita *in ſummo rupis nativa. Hæc condita eſt in ſummo margine ripæ prominentis. Hæc* ſita eſt *in receſſu & trahit ad ſe fluvium receptum* ſinuoſo *anfractu. Illa occupans collem qui longè latèque impendet fluvio, habet faciles aſpectus per* loca *culta, & per inculta: ac divite proſpectu fruitur* ſubjectis *terris tanquam ſuis. Quin &* alia *ædificata in pratis irriguis humili area, penſat dotes nativas montis, &*

NOTÆ.

1. *Spirat enim, &c.*] Variæ ſunt in hunc locum conjecturæ & lectiones. Vinetus legit:

Spirat enim tecti teſtudine Corus Achates,
Afflatamque trahit, &c.

Quam lectionem è MSS. Pulmanni probat. Eandem tuetur Scaliger & ſic exponit: *Vereor,* inquit, *ne Corum pro Zephyro dixerit propter vicinitatem. Nam Corus inter Zephyrum & Septentrionem ſpirat. Arſinoë vero, quia in templo Veneris Zephyritidos ſepulta fuit, propterea Zephyritis dicta. Unde & Chloris vocatur à Callimacho, nam Chloris amaſia Zephyri. Suſpicor igitur Dinocratem cum templum ex magnete lapide concameraſſet, ventum Zephyrum in tholo ex eodem lapide feciſſe, à quo ferreum Arſinoës ſimulacrum raperetur. Ut ita fingatur rapta à Zephyro Arſinoë, quomodo à Borea Orithya: Achates autem videtur quidam fuiſſe, quem in deliciis habuerit Arſinoë. Et ut Arſinoë Venus & Chloris cognominata: ita Achates Corus vel Zephyrus. Quod verum ſit de vento Coro, fidem feceris unum verbum* ſpirat *quo utitur Auſonius; item cum dicit* Afflatam; *ait enim:*

Afflatamque rapit ferrato Crine puellam:

Ita enim reponendum ex priſca ſcriptura. Hactenus Scaliger. Eadem de Coro Vinetus, ſed per Achatem non dilectum aliquem Arſinoë, ſed ipſum lapidem magnetem intelligit: quaſi Auſonius lapidem pro lapide, ſpeciem pro ſpecie poſuerit. Et exponit Corum ſeu Zephyrum, qui magnes eſt, hoc eſt ex magnete. Quod ſecutus ſum in interpretatione, quanquam non omni ex parte arrideat. Gronovius neſcio quo nixus fundamento, certè abſque librorum auctoritate reponit pro *Corus, Achates: vera Magnetis*, & deinde pro *afflatam* quod vett. membranæ habent, legit *afflictam* quod in ſuis recentioribus reperiſſe ſe Vinetus refert. Gronovii conjectura parùm placet. Nihil itaque hic mutatum volui ex vetere ſcripturâ.

2. *Hos ergo.*] Architectos quos ſupra commemoravit.

3. *Humili pede.*] *Planus pes* (inquit Turnebus) *eſt area. Humilis pes eſt locus cujus area humilis eſt.*

4. *Compenſat.*] Structuræ ſuæ altitudine.

Sublimique

Sublimique minans irrumpit in æthera tecto;
Oſtentans altam, [1] Pharos ut [2] Memphitica, turrim.
Huic proprium eſt clauſos [3] conſpecto gurgite piſces
Apricas [4] ſcopulorum inter captare novales.
Hæc ſummis innixa jugis labentia ſubter
Flumina deſpectu [5] jam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus aſſita pratis?
Innumeriſque ſuper [6] nitentia tecta columnis?
[7] Quid quæ fluminea ſubſtructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber hauſtus [8] operto
[9] Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Incluſum glomerans æſtu exſpirante vaporem?

INTERPRETATIO.

ſurgit in aërem minans celſo faſtigio, *oſtendens* eminus *turrim arduam quemadmodum* facit *Pharos Ægypti* inſula. *Illa* hoc *habet peculiare*, *ut comprehendat piſces obſtructo alveo fluminis concluſos inter novales apricas rupium. Hæc poſita in ſupremo culmine* montis *deſpicit fluvium ſubter fluentem obtutu jam obſcurato. Quid dicam atria ſita prope prata virentia? Et tecta* eorum *impendentia columnis innumerabilibus? Quid* memorem *thermas quæ ædificata in margine fluvii fumant*, *quando Vulcanus exceptus flagrante tecto* meatu *glomerat flammas hauſtas per tectoria* intus *cavata*, *volvens fervore tranſpirante calorem incluſum? Ego vidi* nonnullos *deſa-*

NOTÆ.

1. *Pharos.*] Ea eſt Inſula in littore maris Ægyptiaei, in quâ turris altiſſima ejuſdem nominis, à Ptolomæo Philadelpho, operâ Soſtrari Gnidii Architecti, octingentis talentis exſtructa; in qua noctu accenſæ faces navigantium curſum regebant. Hinc cæteræ turres in ſimilem uſum exſtructæ, Phari appellatæ ſunt.

2. *Memphitica.*] Ab urbe *Memphi* Ægypti maximâ. *Memphiticus* per Synecdochen dicitur Ægyptius.

3. *Conſpecto gurgite.*] Obſtructis anguſtiarum aditibus inter ſcopulos, vel vada prominentia. Talem capturam Salmonum eximiam eſſe apud Nivomagum, ad oſtia Drahonæ fluvioli, & aliis in multis Moſellæ locis, teſtatur Freherus.

4. *Scopulorum inter novales.*] Id eſt inter ſcopulos, ſeu rupes, quarum terga novales habent, hoc eſt arva nuper culta, & in iis ſata virentia.

5. *Jam caligante.*] Propter nimiam altitudinem.

6. *Nitentia.*] Id eſt fulta. Lectionem hanc malo, quam *nutantia*, quod mihi parùm appoſitum videtur.

7. *Quid? quæ fluminea*, &c.] Sic Tollius ex Ugoletti editione in quâ *fulminea* legitur mendosè, pro *fluminea*. In aliis legitur *ſulphurea*. Apud Statium in Tiburtino Manlii, unde hæc Auſoniana expreſſa ſunt, *graminea:*

An quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quaque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas.

8. *Operto.*] Subſtantivè, id eſt, *meatu tecto.*

9. *Volvit anhelatas tectoria per cava*, &c.] Intelligitur hinc non de calidis fontibus loqui Auſonium, ſed de balneis ſeu thermis arte factis, earumque appendicibus Laconico & Sudationibus, quas ſic veteres ædificabant, ut per tectoria earum intra parietes tubi eſſent cavi undique, per quos ex hypocauſto erraret flamma, & omnia latera percalfaceret.

Vidi ego defeſſos multo ſudore lavacri
[1] Faſtidiſſe lacus, & frigora piſcinarum,
[2] Ut vivis fruerentur aquis; mox amne refotos
[3] Plaudenti gelidum flumen pepuliſſe natatu.
[4] Quod ſi Cumanis huc afforet hoſpes ab oris,
Crederet Euboïcas ſimulacra exilia Bajas
His donaſſe locis: tantus cultuſque nitorque
Allicit, & [5] nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? Dignandùmque mari memorare Moſellam?
Innumeri quod te diverſa per oſtia late
Incurrunt amnes? Quanquam differre meatus
Poſſent: ſed celerant in te conſumere nomen.
Namque & [6] Pronææ Nemeſæque adjuta meatu
Sura tuas properat non degener ire ſub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius pexmixta tuo ſub nomine, quam ſi

INTERPRETATIO.

tigatos multum ſudando aſpernari lacus balnei, & aquas *frigidas piſcinarum*, *ut fruerentur vivis aquis fluvii*, & *ſtatim refectos fluvio pulſaſſe plaudenti natatione frigidum amnem. Quod ſi advena à regione Cumanâ hic adeſſet, exiſtimaret Baias Euboicas tranſtuliſſe in hac loca parvam* ſui *imaginem: tantus ornatus*, & tanta *munditiæ attrahit* homines, *ac voluptas* quæ ibi percipitur *nullum gignit luxum.*

Sed quid denique memorando *finem faciam prædicandi tuas aquas cæruleas?* & *celebrandi Moſellam mari conferendum? Quod fluvii immemorabiles labuntur in te latè per varia ora? Quamvis poſſent trahere longius* ſuos *curſus*, *ſed properant perdere nomen ſuum in te. Nam Sura auctus fluxu Pronææ*, & *Nemeſa*, *feſtinat non degener influere in tuas aquas*, *Sura inquam qui tibi largitur flumina quæ prius* in ſe *recepit*, *magis inclytus quod* tibi *immixtus* fluat *ſub tuo nomine*,

NOTÆ.

1. *Faſtidiſſe lacus & frigora piſcinarum.*] Lavacra frigida ſeu baptiſteria etiam arte facta: exeuntes enim thermis recreabant ſe lacubus, & piſcinis nive injectâ gelidis, ſolidandæ cuti. Sidon. Apollinaris Tetraſticho ſuper Piſcinam:

Intrate algentes poſt balnea torrida fluctus,
Ut ſolidet calidam frigore lympha cutem.

2. *Ut vivis fruerentur aquis.*] Aquis fluvii Moſellæ perenniter fluentibus, in quas ex propinquis thermis exiliebant.

3. *Plaudenti gelidum, &c.*] Statius in Tiburtino Manlii:

—— *Vitreaſque natatu*
Plaudit aquas.

4. *Quod ſi Cumanis, &c.*] Stat. in balneo Etruſci:

Nec ſi Baianis veniat novus hoſpes ab oris,
Talia deſpiciat.

Baiæ prope Cumas Campaniæ urbem, ab Euboicis colonis conditam, ſitæ fuerunt, balneis, natatu, & omni deliciarum genere celebratæ. Horat.

Nullus in orbe ſinus Baiis prælucet amœnis.

5. *Nullum parit oblectatio luxum.*] Qualem pariebat apud Baias.

6. *Pronææ, Nemeſæque adjuta meatu Sura.*] Pronea, teſte Frehero, hodie, *die Prum*, & Nemeſa, *die Nymſ*. Uterque amnis miſcetur Suræ (qui hodie *Saur* dicitur) apud vicum *Eerel*, non longè à cœnobio *Echternach*.

Ignoranda patri confunderet oſtia ponto.
Te rapidus [1] Gelbis, te marmore clarus [2] Erubrus
Feſtinant famulis quam primum adlambere lymphis.
Nobilibus Gelbis celebratus piſcibus : [3] ille
Præcipiti torquens cerealia ſaxa rotatu,
[4] Stridenteſque trahens per lævia marmora ſerras,
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
Prætereo exilem [5] Leſuram, tenuemque [6] Drahonum,
Nec faſtiditos [7] Salmonæ uſurpo fluores.
Naviger undiſona dudum me mole [8] Saravus
[9] Tota veſte vocat : longum qui diſtulit amnem,

INTERPRETATIO.

quàm ſi influeret in Oceanum patrem per oſtia propria, *ſed à nemine celebranda. Gelbis præcept, & Erubrus inclytus marmore, properant te ocyus adlambere aquis famulantibus. Gelbis* quidem *inclytus egregiis piſcibus : ille* autem *agitans celeri gyro molas frumentarias, & ducens* alternatim *ſerras ſtridentes per marmora polita, audit ab utrâque ripâ continuos ſtrepitus. Prætermitto tenuem Leſuram, & parvum Drahonum, neque loquor de contemptis fluentis Salmonæ. Jam diu eſt cum Saravus naves ferens magno agmine aquarum ſtrepentium invitat me toto amictu : qui pro-*

NOTÆ.

1. *Gelbis.*] Vel, ut legit Scaliger, *Celbis* hodie *Kyl*, teſte Frehero, prope oppidum Eringium, *Erang*, Moſellæ infunditur.

2. *Erubrus.*] *Die Rouver* eidem Frehero & Scaligero, Moſellæ influit apud vicum cognominem. *Rubera* appellatur in Diplomate Dagoberti.

3. *Ille præcipiti torquens cerealia ſaxa, &c.*] Erubrus quem à Molis aquariis commendat etiam Fortunatus :

Ducitur irriguus (inquit) *ſinuoſa canalibus unda,*
Ex qua fert populis hic mola rapta cibum.

4. *Stridenteſque trahens, &c.*] Id eſt : *Ad cujus ripas trahuntur ſtridentes ſerræ per lævia marmora*, quibus ea loca abundant. Supra :

—— Te Marmore Clarus Erubrus.

5. *Leſuram.*] *Die Leſer*, ad cognominem vicum Moſellæ influens.

6. *Drahonum.*] *Die Draon*, vel *Dron.* Aquas ſuas Moſellæ confundit paulo ſecundum Nivomagum.

7. *Salmonæ.*] *Die Salm.* Hunc Moſella excipit duobus milliaribus Germanicis infra vicum *Kluſſat*, teſte Scaligero.

8. *Saravus.*] Qui eſt *Sarra.* Germanis *die Sahr*, omnium qui in Moſellam influunt longè maximus. Quem ideò præter alios extollit Auſonius, quòd navigiorum patiens, & aliorum amnium, quos in ſe recipit, hoſpitio clarus, ſub Auguſtæ Trevirorum mœnia, (quod caput omnium eſſe dicit) in moſellam influit. Clara fuere ad eum *Caſtra Sarræ* hodie *Scarburg*, & *Pons Saravi* ſeu *Sarræ* hodie *Sarprug.*

9. *Tota veſte vocat*] Expreſſum eſt ex his Virgilii lib. Æneid. 8. in deſcriptione clypei à Venere ad Æneam delati, ubi de Cleopatrâ ex prælio Actiaco in Ægyptum cum Antonio fugiente :

Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis, & Japyge ferri ;
Contra autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, & tota veſte vocantem
Cæruleum in gremium, latebroſaque flumina victos.

Alludit Poëta ad veterem picturam fluviorum, qui carbaſino amictu peramplo ex humeris pendente, induti fingebantur.

Digitized by Google

Feſſa [1] ſub Auguſtis ut volveret oſtia muris.
Nec minor hoc, tacitum qui per ſola pinguia labens
Stringit frugiferas felix [2] Aliſontia ripas,
[3] Mille alii, prout quemque ſuus magis impetus urget,
Eſſe tui cupiunt. Tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles. Quod ſi tibi, dia Moſella,
[4] Smyrna ſuum vatem, [5] vel Mantua clara dediſſet:
Cederet Iliacis [6] Simois memoratus in oris,
Nec præferre ſuos auderet [7] Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens. [8] Pulſa, oro, faceſſat
Invidia: [9] & Latiæ Nemeſis non cognita linguæ,
[10] Imperii ſedem, [11] Romæque tuere parentes.

INTERPRETATIO.

tulit longè ſuum fluentum, ut devolveret oſtium ſuum *laſſatum* in Moſellam *propè mœnia Auguſta* Treverorum. *Neque minor* eſt *hoc* fluvio *felix Aliſontia, qui fluens abſque murmure per arva opima, radit ripas feraces frugum. Mille alii* fluvii *avent tibi immiſceri, prout quiſque fertur celerius. Tantum* ineſt *cupiditatis, aut ponderis aquis* ad te *feſtinantibus. Quod ſi Smyrna vel inclyta Mantua tibi præbuiſſet ſuum poëtam, ô Divine Moſella, Simois celebratus in regione Trojanâ* tibi *cederet, & Tiberis non auderet anteponere ſuam gloriam* tuæ. *Ignoſce mihi ô Roma Domina. Invidia fugata procul abeat, precor: &* tu *ô Nemeſis ignota Latinæ linguæ, prote-*

NOTÆ.

1. *Sub Auguſtis, &c. muris.*] Ad oppidum *Contzerbruk*, paulo ſupra Auguſtam Trevirorum.

2. *Aliſontia.*] Freherus ait eum eſſe fluvium qui hodie *Eltz* dicitur, non autem fluvium *Alb* ut vult Scaliger, neque Lucemburgicum *Alſitz*. Hic *Eltz* ad vicum cognominem miſcetur Moſellæ.

3. *Mille alii.*] Id eſt, *multi.* Hujuſmodi ſunt quos Scaliger enumerat: *Ru*, *Moſa* (alius à magno Moſa fluvio) *Sella* ſeu *Sallia*, *Jarum*, *Sierum*, *Biſerum*, *Lutenbachum*, &, quem addit Freherus, *Orna*.

4. *Smyrna ſuum vatem.*] Homerum quem præter alios multos populos Smyrnæ præcipuè ſuum civem eſſe contendebant. Cic. pro Archia Poëta: *Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant: itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii præterea pugnant inter ſe, atque contendunt.*

5. *Vel Mantua.*] Virgilium.

6. *Simoïs memoratus.*] Ab Homero ſæpius in Iliade.

7. *Tibris.*] Quem cecinit Virgilius.

8. *Pulſa, oro, faceſſat Invidia, &c.*] Præfiſcine dictum vult, quod Moſellam Tiberi comparaverit: ſic noſter in Protreptrico:

Abſiſtat Nemeſis, ferat & fortuna jocantem.

Ubi vide notas noſtras.

9. *Et Latiæ Nemeſis non cognita linguæ.*] De hac Plinius lib. 28. *Alii Græcam Nemeſim invocantes. Cujus ob id Romæ ſimulacrum in Capitolio eſt quamvis Latinum nomen non ſit.* Græcum revera eſt Nemeſis. Vide ad notas epig. 21. Nemeſis è Græco.

10 *Imperii ſedem.*] Auguſtam Treverorum, de qua ſuprà: *Dignata Imperio mœnia:* quippè Gratianus Imp. Treveris ut plurimùm agebat. Ibi quoque Conſulatum iniit Auſonius, & pro alterâ Româ eam urbem habuit.

11. *Romæque tuere parentes.*] Cæſares Valentinianum, & Gratianum, pro quibus, & pro urbe eorum Auguſtâ, pio voto his Adraſtiæ ſupplicat. Legunt quidam, *Romæ tenuere parentes*; quod ſi retineas, ſic erit intelligendus hic locus: Da veniam Roma potens, quod Moſellam Tiberi comparem, & tu faceſſe Invidia & Nemeſis:

Digitized by Google

Salve magne parens frugumque virûmque Moſella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quinetiam mores, & lætum fronte ſevera
Ingenium, natura tuis conceſſit alumnis.
[1] Nec ſola antiquos oſtentat Roma Catones:
Aut unus tantum juſti ſpectator & æqui
Pollet Ariſtides, vetereſque illuſtrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium ſpatiatus habenis
Victus amore tui [2] præconia detero? Conde
Muſa chelyn, pulſis extremo carmine nervis.
Tempus erit, quum me [3] ſtudiis ignobilis otî
Mulcentem curas, ſeniique aprica foventem,
[4] Materiæ commendet honos: quum facta [5] viritim
Belgarum, [6] patrioſque canam decora inclyta mores.
[7] Mollia ſubtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuique aptas ſubtegmine telas

INTERPRETATIO.

ge domicilium Imperii, & patres Roma. Salve ô Moſella magne pater frugum, & virorum. Ornant te inclyti Senatores, & juventus aſſueta militia, & eloquentia linguæ propriæ, *conferenda cum* eloquentiâ *Latinâ. Quin & natura dedit tuis accolis mores* ſeveros; *& indolem gaudentem vultu* ſerio *& gravi. Neque Sola Roma jactat priſcos Catones: neque unicus ſolùm Ariſtides audit obſervator juſti, & æqui, & decorat* tantùm *antiquas Athenas. Sed quare ego vagans, habenis nimis laxatis, abreptus tui amore imminuo laudes* debitas illis viris, eas nimis coarctando? *Recondo teſtudinem, ô Muſa, percuſſis fidibus fine* tui *carminis. Erit* aliquando illa *dies quâ ego leniens ſollicitudines* meas *ſtudiis poëſeos, & oblectans vacuos* dies *ſenectutis* meæ, *commendationem petam à materiâ* meâ: *quando celebrabo ſingillatim res geſtas Belgarum, & paterna* eorum *inſtituta*, quæ ipſis *magno* ſunt *ornamento. Muſa nebunt mihi verſus filo pertenui, & percurrent ſubtegmine ſubtili telas concinnas: purpura etiam concedetur*

NOTÆ.

parentes enim Romæ Cæſares, qui patres patriæ Romam faciunt, juxta vetus dictum *ubi Princeps ibi Roma*, poſuerunt Imperii ſedem ad Moſellam apud Auguſtam Trevirorum.

1. *Nec ſola antiquos, &c. Aut unus tantum, &c.*] Sic Parent. 22.

Nec ſolus ſemper cenſor Cato, nec ſibi ſolus
Juſtus Ariſtides, his placeant titulis.

2. *Præconia detero.*] *Culpa Ingenii*, ut ait Horat.

3. *Studiis ignobilis oti.*] Expreſſum ex his Virg. in fine Georgicon.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope ſtudiis florentem ignobilis oti.

Ignobile otium eſt illud quod, extra hominum & negotiorum lucem, litteris in operto Muſarum inſumitur.

4. *Materiæ commendet honos.*] Sic Præfat Parentalium: *Sed quoſdam ſolet commendare materia, &c.*

5. *Viritim Belgarum.*] In aliis quibuſdam legi, *Virorum Belgarum*, teſtatur Freherus.

6. *Patrios mores.*] Cæterorum Gallorum.

7. *Mollia ſubtili, &c.*] Allegoria elegantiſſima à re textoriâ petita.

Percurrent : [1] dabitur noſtris quoque purpura fuſis.
Quis mihi tum non dictus erit? Memorabo [2] quietos
Agricolas : legumque catos, fandique potentes,
Præſidium ſublime reis; quos curia ſummos
Municipum vidit proceres, [3] propriumque ſenatum :
Quos [4] prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quique ſuas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, & [5] innocuas illuſtravere ſecures ;
[6] Aut Italum populos, [7] aquilonigenaſque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.
[8] Quique caput rerum Romam, populumque, patreſque

INTERPRETATIO.

noſtris fuſis. Quis tunc non celebrabitur à me? Prædicabo agricolas pacatos, & viros peritos legum, & pollentes eloquio, magnum tutamen reis: quos municipalis ſenatus eorum *vidit ſupremos patres, & ſenatores ſuos, quos clara eloquentia ſcholæ juvenilis promovit* uſque *ad laudes priſci Quintiliani, & qui gubernaverunt ſuas civitates, & tribunal mundum à cruore & decoraverunt ſecures innocuas: vel rexerunt populos Italiæ, aut Britannos ſeptentrionales*, cum obtinerent *ſecundam præfecturam* Prætorii. *Et ille qui gubernavit Romam primariam ci-*

NOTÆ.

1. *Noſtris dabitur quoque purpura fuſis.*] Id eſt : accedent quoque ad noſtram poëſin ornamenta grandiora, & digna Heroibus. Vel inter eos quos celebrabo Gallos, erunt etiam purpurati non pauci, Conſularibus aliiſque functi honoribus.

2. *Quietos Agricolas : legumque catos, &c.*] Totâ hac quam longa eſt circumlocutione non niſi trium virorum laudes complecti voluiſſe Auſonium affirmat Tollius, Julii Auſonii patris, qui minimè ambitioſus, & cupidus quietis, ſenectam ruri tran egit; Arborii avunculi, quem deſignet per has voces *legumque catos, fandique potentes*. Et denique ſui ipſius quem unum habeat præ oculis, cum ait : *quique ſuas rexere urbes*, & quæ ſequuntur. At certè cur non & alios in mente habuerit, quos ipſi Gallia ſat multos ſuppeditabat, non video.

3. *Propriumque ſenatum.*] Decuriones in ſuis municipiis.

4 *Prætextati celebris facundia ludi, &c.*] Profeſſio Rhetoricæ, quam docebant prætextatos adoleſcentes.

5. *Innocuas ſecures.*] Non quales deſcribit Juvenalis.

> *Si frangis virgas ſociorum in ſanguine; ſi te*
> *Delectant hebetes laſſo lictore ſecures.*

6. *Aut Italûm populos.*] Præfectos Prætorio Italiæ, ſub quibus erat etiam Africa.

7. *Aquilonigenaſque Britannos.*] Præfectos Prætorio Galliæ, ſub quibus erat quoque Britannia. Et hæc ſecunda Præfectura erat. Prima enim erat Præfectura Italiæ. De ipſo Auſonio procul dubio intelligendus eſt hic locus, is enim utramque obtinuerat, licet Italiæ præfecturam non diu tenuerit. Sic de ſe in protreptico :

> *Ut præfecturam duplicem ſellamque curulem, &c.*

Titulo ſecundo hic Gronovius exponit *felici*, non falſis judiciis eligentium, cui non accedo.

8. *Quique caput rerum, &c.*] Seipſum hic haud obſcurè deſignat. Quà in re minùm quam ſuperbè modeſtiæ excedat fines, qui proprias ſe laudes prædicaturum jactet.

[1] Tantum non primo rexit ſub nomine; [2] quamvis
Præfuerit primis, feſtinat ſolvere tandem
[3] Errorem fortuna, tuum, libataque ſupplens
Præmia jam, veri faſtigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo [4] cœptum
Detexatur opus: dilata & laude virorum,
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, [5] Rhenique ſacremus in undis.
  Cæruleos nunc Rhene ſinus, [6] hyaloque virentem
Pande peplum, ſpatiumque [7] novi metare fluenti,

INTERPRETATIO.

vitatem *orbis, & plebem, & ſenatum ſub titulo tantummodo non principe: quanquam ipſe præpoſitus fuerit principibus, properat luere tuum peccatum, ô fortuna, & nunc delibans & inchoans* illorum Belgarum *laudes, celebrabit* brevi *ſummos honores* quos illi geſſerunt, & *ad quos inclyti* eorum *poſteri aſpirare debent. At nunc abſolvamus opus inchoatum: & rejecto* in aliud tempus *præconio virorum* Moſellam accolentium, *celebremus amnem fortunatum amœno curſu per arva viridia, & conſecremus eum in aquis Rheni.*

O Rhene aperi nunc ſinus cæruleos, & amictum vitreo virore nitentem. Et ſume locum novo

NOTÆ.

1. *Tantum non primo rexit ſub nomine.*] Sub nomine ſcilicet Conſulis, quod ſecundum eſt: cum Auguſti principis ſit primum. Noſter in Cæſaribus.

> *Cæſareos proceres, in quorum regna ſecundis*
> *Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit.*

2. *Quamvis præfuerit primis.*] Sic reponit Gronovius, & exponit quamvis Imperatoris præceptor, & quodammodo Imperator fuerit, quamvis ferulam ejus ſceptra olim verita ſint. In vulgatis legitur *par fuerit primis* quod intelligendum eſt in Conſulatu quem geſſit ut Principes ipſi gerebant, & nomen anni faſtis dedit, ut ipſi in Conſulatibus ſuis dabant.

3. *Errorem, Fortuna, tuum.*] Sic lego & expono ad mentem Gronovii: errorem, quo fortuna lyram Auſonii ad alia argumenta trahebat, neglectis Gallorum ſuorum laudibus: ut ſit ſenſus quem in interpretatione expreſſi. Ratio patet ex ſequentibus: *Dilata & laude virorum, &c.* Non accedo itaque Frehero, legenti: *Errorem, fortuna, ſuum*, & exponenti; errorem quo fortuna hactenus putavit, indigenis tantum, & nobilibus ſummos in Rep. honores deberi; at nunc virtutem in quibuſvis ſuo pretio æſtimare diſcens, Provinciales quoque & novos homines meritis præmiis afficit, qui exemplo nepotibus ſuis ad gloriam, & nobilitatem præluceant, ut ii ad eoſdem honorum gradus ſtudeant pervenire.

4. *Cœptum detexatur opus.*] Laudationis Moſellæ.

5. *Rhenique ſacremus in undis.*] Deducamus ad Rhenum uſque, quo ad confluentias receptus, *Coblents*, particeps fit divinitatis illius, & ejus alveo ceu templo conſecratur. Rheno enim ut cæteris magnis fluviis, Danubio, Nilo, Euphrati, numen quoddam tributum eſt, maximè apud Germanos. Tacit. lib. 5. hiſtoriar. *Rhenum, & Germaniæ Deos in aſpectu, quorum numine capeſſerent pugnam, conjugum, parentum, Patriæ memores.*

6. *Hyaloque.*] *Vitro: ὕαλος vitrum.* Virg. lib. 4. Georg.

> *Eam circum Mileſia vellera Nimphæ*
> *Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.*

Ubi Servius exponit *Vitreo, viridi, & Nymphis apto.*

7. *Novi fluenti.*] Moſellæ, cujus aquas jam jam excepturus es.

Fraternis cumulandus aquis. Nec præmia in undis
Sola, ſed [1] Auguſtæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos [2] Natique Patriſque triumphos,
[3] Hoſtibus exactis [4] Nicrum ſuper, [5] & Lupodunum,
[6] Et fontem Latiis ignotum annalibus Hiſtri.
Hæc profligati venit modo [7] laurea belli:

Interpretatio.

fluvio excipiendo, *cum* modo *augendus ſis undis fraternis. Neque ſola acceſſio* tibi erit *ab aquis* Moſellæ, *ſed* etiam *quod* hic fluvius *labens à muris urbis Auguſta vidit conjunctos triumphos Filii & Parentis, fugatis hoſtibus ultra Nicrum, & Lupodunum, & caput Danubii incognitum annalibus Latinis. Hac* Epiſtola *laureata de bello perducto ad finem, nuper* ad te *delata*

Notæ.

1. *Auguſta.*] Trevirorum.

2. *Natique patriſque.*] Gratiani, & patris ejus Valentiniani.

3. *Hoſtibus exactis.*] Germanis, non tantùm iis, qui cis Rhenum Gallias invaſerant, ſed & trans Rhenum habitantibus Francis, & Suevis. Sic enim de illâ victoriâ noſter in precatione Conſulari:

Hoſtibus edomitis, qua Francia miſta Suevis
Certat ad obſequium, Latiis ut militet armis, &c.

4. *Nicrum ſuper.*] *Necker* Germaniæ amnem in Rhenum influentem.

5. *Et Lupodunum.*] B. Rhenanus *Lupodunum*, & *Lupondum* exiſtimat eſſe *Lupff*, arcem olim munitiſſimam, ſed juſſu Sigiſmundi Cæſaris, & Concilii Conſtantienſis everſam anno Chriſti 1416. Sed Freherus contra eum & Ortelium, tuetur *Lupodunum* ſeu *Lobodunam* eſſe eam urbem quæ hodie dicitur *Ladenburg*.

6. *Et fontem latiis ignotum annalibus Hiſtri.*] Priſcis quidem annalibus. Quanquam enim Tacitus Danubium ſcribat præcipiti, & excelſo Montis Abnobæ jugo oriri, & ita etiam compertum Plinius, Dionyſius, Ptolemæus, & Strabo, & alii dicant; tamen ad eum fontem armis Romani non penetraverant. Trajanus Danubium quidem pacaverat, ſed non ad fontem uſque. Unde in ejus numiſmatis quibuſdam, Danubius quem ponte junxerat videtur cum peplo ſeu carbaſo ſupra caput, quod fontes ejus eſſent Romanis adhuc Victoriis incogniti. Quod & deſignat ejuſdem fluvii, in Columnâ illius Principis, effigies cum capite ſpecu abdito. Arma illuc primi intulerunt Valentinianus & Gratianus Auguſti, unde Auſonius epigram. 3. Danubium inducit ſic eos alloquentem:

Illyricis regnator aquis, tibi Nile ſecundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Auguſtos jubeo natumque, patremque, &c.

Et epigram. 4.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus ſub veſtra jam ditione fluo.

Devictis ſcilicet Suevis: de quâ victoriâ hic & epigram. ſuperius citato:

Ut ſciat hoc ſuperum cura ſecunda Valens,
Cæde, fuga, flammis ſtratos periiſſe Suevos, &c.

Unde cum prædicto epigram. 4. dixerit Danubius:

Totus ſub veſtra jam ditione fluo,
Qua gelidum fontem mediis effunde Suevis, &c.

Subjungit Valenti adulans, qui orientem tenebat & Ægyptum:

Auguſto dabitur ſed proxima palma Valenti.
Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

7. *Laurea.*] Cum litteris victoriam nuntiantibus, quæ ideo *laureata* dicebantur, quod lauru cinctæ mitterentur, ut vel primo aſpectu, quid portarent boni, appareret.

Mox alias aliaſque feret. Vos pergite juncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu vereare [1] minor, pulcherrime Rhene, videri,
Invidiæ nil hoſpes habet. Potiere [2] perenni
Nomine. Tu [3] fratrem, famæ ſecurus, adopta.
Dives aquis, dives Nymphis, largitor utrique
Alveus extendet [4] geminis divortia ripis,
Communeſque vias diverſa per oſtia fundet.
[5] Accedent vires, [6] quas Francia, quaſque Chamaves,
Germanique tremant: [7] tunc verus habebere limes.
Accedet [8] tanto [9] geminum tibi nomen ab amni.

INTERPRETATIO.

eſt à Moſellâ: *deinceps deferet* ad te *alias atque alias. Vos conjuncti pergite* ire, *& pulſate mare cæruleum duplici fluento. Neque timeas, ô Rhene formoſiſſime, ne* inde *videaris imminutus. Hoſpes* hic *nihil habet invidia. Frueris perpetuo nomine* tuo. *Tu adſciſce* hunc tibi *fratrem, certus* non imminutum iri *tuam famam. Alveus abundans aquis, abundans Nymphis, præbens* ſe vobis *ambobus, proferet* veſtram *ſeparationem duplici margine, & effundes per diverſa ora* veſtros *communes ductus. Adjungentur* tibi, ô Rhene, Moſellæ conjunctione *vires, quas Francia, & Chamavi, & Germani reformident: tunc habeberis verus terminus* Imperii

NOTÆ.

1. *Minor.*] Cum non ſolus alveum tuum occupabis.

2. *Perenni nomine.*] Nomen ad Oceanum uſque ſervabis. Unde ſubjungit, *famæ ſecurus.*

3. *Fratrem.*] Moſellam tibi ferè æqualem.

4. *Geminis divortia ripis.*] In Batavis, ubi in Rhenum & Vahalem ſcinditur. De hoc videndus Tacitus lib. 2. Annal.

5. *Accedent vires.*] A captis & ſubjugatis populis, ex quibus jam ad Romanam admiſſis militiam, exercitus Romani ſupplebuntur, & augebuntur.

6. *Quas Francia, quaſque Chamaves, Germanique, &c.*] Chamaves Tacito *Chamavi*, *Χάμαβοι* Evagrio & Zozimo, gens ad Rheni oſtia ex Tacito ad Viſurgim fuiſſe prope Chaucos videntur. Sed Germaniæ populi toties ſedes mutaverunt, ut ex eodem Tacito apparet, ut de iis vix certi quidquam poſſit ſtatui. *Franci* ad Suevos uſque pertinebant. Ab his *Franconia* nomen hodiernum ſortita eſt regio Sueviæ contermina & Saxoniæ. *Germanos* intellige hic, interiores Germaniæ illius magnæ alumnos *Saxones*, *Thuringos*, &c. quos tunc temporis infeſtabat Gratianus.

7. *Tunc verus habebere limes.*] Cum non audebunt Franci aliique Germaniæ populi te tranſire, ô Rhene, ut in Galliam eant, quam tu à Germaniâ diſterminas.

8. *Tanto ab amni.*] Moſella.

9. *Geminum nomen.*] Quia diceris *Rhenus* & *bicornis*, ut mox ſubjungit. Hoc enim epitheton Rheni perpetuum. Virg. lib. 8. Æneid.

> *Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis.*

Non tamen proprium. Alii enim multi fluvii dicuntur bicornes; ſed cur à Moſellâ potius quam à Mœno, Nicro, aliiſque in eum influentibus dicetur bicornis? An quia major cæteris Moſella? An quia Romanâ ſub ditione fluens Romaniſque notior, & charior quam cæteri qui Barbari erant amnes? An verò bicornem Rhenum non à Moſellæ confluentis, ſed ab ejuſdem à Rheno divortio de quo ſupra:

> *Alveus extendet geminis divortia ripis,*
> *Communeſque vias diverſa per oſtia fundet?*

Magis placet hoc poſtremum.

[1] Quumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
Hæc ego, [2] VIVISCA ducens ab origine gentem,
Belgarum hoſpitiis nunc per nova fœdera notus,
Auſonius, nomen Latium, patriaque, domoque
Gallorum extremos inter, celſamque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino. Fas mihi ſacrum
Perſtrinxiſſe amnem tenui libamine Muſæ.
Nec laudem affecto. Veniam peto. Sunt tibi multi
Alme amnis, ſacros qui ſollicitare fluores
Aonidum, totamque ſolent haurire Aganippen.
Aſt ego quanta mei dederit ſe vena liquoris,
Burdi‸alam quum me in patriam, nidumque ſenectæ
[3] Auguſtus pater, & natus, mea maxima cura,
[4] Faſcibus Auſoniis decoratum & honore curuli
Mittent, emeritæ [5] poſt tempora diſciplinæ,
Latius [6] Arctoi præconia perſequar amnis.
Addam urbes, tacito quas ſubterlaberis alveo:
Mœniaque antiquis te proſpectantia muris:
Addam, præſidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo ſecuris [7] non caſtra, [8] ſed horrea Belgis.

INTERPRETATIO.

Romani. *Imponetur tibi duplex nomen ob conjunctionem tanti fluvii, & quamvis laberis unicus à tuâ ſcaturigine*, tamen *appellaberis bicornis.*

Ego Auſonius dictus *nomine Latino, genus trahens à gente Vibiſcâ, nunc cognitus per novas affinitates &* conjunctus *hoſpitio Belgis*, habens *patriam & larem inter ultimos Gallos, & altum Pyrenæum, ubi Aquitania amœna regit mores* ſuorum *honeſtis legibus, cano hac audacter exili chordâ. Liceat mihi delibaſſe laudes ſacri fluvii exiguo poëmate. Nec quæro laudem* hinc aliquam, *rogo* tantùm *veniam. Habes* circa te *plurimos, ô amnis fœcunde, qui ſolent allicere ſacros liquores Muſarum, & potare totam Hippocrenem. Sed quando Auguſtus parens, & filius* ejus *quem curo maximè, dimittent me in patriam meam, & nidum meæ ſenectutis Burdigalam, ornatum faſcibus Latiis, & ſellâ curuli, poſt exactum tempus docendi, ego fuſius tractabo laudes fluvii* hujus *ſeptentrionalis, quanta erit in me facultas poëtica. Adjungam urbes quas alluis leni fluento*, ô Moſella, *& oppida quæ te aſpiciunt antiquis ſuis mœnibus. Adjiciam ea quæ recondita ſunt* apud te *ad ſubſidium in bellis, ſed* quæ *modò non* ſunt *caſtra, ſed horrea Bel-*

NOTÆ.

1. *Quumque unus.*] Sic Toll. ex Pulman. libris. Alii *quumque uno.*

2. *Viviſca ab origine.*] A Biturigibus Viviſcis ſeu Vibiſcis, quorum caput Burdegala. Alii ſunt Bituriges Cubi, quorum metropolis Avaricum, *Bourges.*

3. *Auguſtus pater, & natus.*] Valentinianus, & filius ejus Gratianus, diſcipulus Auſonii.

4. *Faſcibus Auſoniis, &c.*] Conſulatu Romano.

5. *Poſt tempora.*] Pulmanni liber habuit *munera.*

6. *Arctoi amnis.*] Moſellæ, qui, Italiæ & Aquitaniæ Auſonii patriæ reſpectu, valdè ſeptentrionalis eſt.

7. *Non caſtra.*] Ad deffenſionem.

8. *Sed horrea.*] Ad annonæ ſubminiſtra-

Digitized by Google

Addam felices ripa ex utraque colonos,
Teque inter medios [1] hominumque boumque labores,
[2] Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem.
Non tibi ſe [3] Liger anteferet, non [4] Axona præceps;
[5] Matrona non, Gallos, Belgaſque interſita fines;
Santonico refluus non ipſe [6] Carantonus æſtu.
Concedes gelido [7] Durani de monte volutus
Amnis: & auriferum poſtponet Gallia [8] Tarnem.
Inſanumque ruens [9] per ſaxa rotantia late
In mare purpureum, [10] dominæ tamen ante Moſellæ
Numine adorato, [11] Tarbellicus ibit Aturrus.

INTERPRETATIO.

gis nihil timentibus. Adiiciam fortunatos agricolas qui arant *tuas ambas ripas*, *& te radentem* tuas *ripas inter media opera hominum*, *& boum*, *& ſcindentem ſata opima. Non Liger anteponet ſe tibi*, *non citus Axona*, *non Matrona poſitus in confinio Celtarum*, *& Belgarum*; *non ipſe Carantonus remeans* cum *æſtu* Oceani *Santonici*. Tu *cedes* ei ô *Durani flumen deſcendens è monte frigido*: *Gallia poſtponet* ei *Tarnem aurum volventem. Et Aturrus fluvius Tarbellorum præcipitanter labens per rupes quibus latè reflectitur*, *curret in cæruleum Oceanum*, *poſtquam tamen adoraverit numen Moſellæ* fluvii *dominantis.*

NOTÆ.

tionem. Horum horreorum, & annonæ Romanis ducibus magna ſemper eura fuit, Vopiſc. in Probo: *Urbes Romanas*, *& caſtra in ſolo Barbarico poſuit*, *atque ibi milites collocavit. Agros*, *& horrea*, *& domos*, *& annonam trans Rhenanam omnibus fecit.* Et poſtca: *Frumento Barbarico plena ſunt horrea.* Hinc eſt quod in Itinerariis veteribus occurrunt ſæpè loca in orbe Romano, quibus nomen: *ad horrea.*

1. *Hominumque boumque labores.*] Ex lib. 1. Georg. Virg. verſ. 118.

2. *Stringentem ripas*, *&c.*] Sumptus ex lib. 8. Æneid. hic verſus totus.

3. *Liger.*] *Loire*, magnus & notiſſimus in Galliâ fluvius.

4. *Axona.*] *Aiſne.* In extremis Rhemorum finibus ponit eum Cæſar.

5. *Matrona.*] *Marne* Belgarum, & Celtarum, qui Galli propriè ſunt, apud Cæſarem terminus unà cum Sequanâ.

6. *Carantonus.*] *La Charente.* Profundus fluvius, in Lemovicibus ſcaturiens, per Inculiſmenſes, & Santones in Oceanum Santonicum influens, & ab ejus æſtu longè ſatis ſurſum refluens.

7. *Durani.*] Duranius *la Dordonne*, ingens & amœnus fluvius ex Arverniæ montibus ortus, in Garumnam influit ad oppidum Burgum, *Bourg.*

8. *Tarnem.*] *Le Tarn*, ex Gebennis, ſeu Cebennis ortus, in eundem Garumnam labitur. Auriferi porrò multi feruntur fluvii *Hermus*, *Pactolus*, *Tagus*, &c. Atque ipſi *Rhodanus*, & Rhenus aurum inter arenas volvunt.

9. *Per ſaxa rotantia.*] Pyrenæi montis.

10. *Domini Moſellæ.*] Trevirorum Auguſtam, quæ Dominorum Cæſarum ſedes eſt, alluentis; ideòque dominationem in cæteros Galliæ amnes ſibi non immeritò vindicantis. Sic Tiberis dominus apud Martialem, ad Rhenum.

Trajanum populis ſuis, & urbi
Te Tibris dominus rogat remittas.

11. *Tarbellicus Aturrus.*] *L'Adour.* Oritur è Pyrenæis montibus, & per aquas Auguſtas, & Bajonam, Tarbellorum arva ſecans, exit in Oceanum. Apud Ptolemæum Ἄτυρις, apud Lucanum *Atyrus*, vel ut apud Vibium Sequeſtrum, *Atyr* dicitur, lib. Pharſ. 1.

—— Tunc rura Nemetis
Qui tenet, & ripas Atyri, &c.

[1] Corniger externas [2] celebrande Moſella per oras,
Nec ſolis celebrande locis, ubi fonte ſupremo
Exſeris auratum [3] taurinæ frontis honorem:
Quaque trahis placidos ſinuoſa per arva meatus:
Vel qua [4] Germanis ſub portubus oſtia ſolvis:
Si quis honos tenui volet aſpirare camenæ,
Perdere ſi quis in his dignabitur otia muſis,
Ibis in ora hominum, lætoque fovebere cantu.
Te fontes, vivique lacus, te cærula noſcent
Flumina: te veteres pagorum gloria luci;
Te [5] Druna, te [6] ſparſis incerta Druentia ripis,

Interpretatio.

O Moſella cornute, prædicande per regiones exteras, neque prædicande ſolùm in iis locis, in quibus effers è ſcaturigine extremâ auratum decus capitis taurini: & quâ parte *ducis tranquilla fluenta per agros anfractuoſos: aut quâ aperis oſtium* tuum *infra portus Germanos. Si qua laus continget* aliquando *huic exili Muſæ, ſi quis dignabitur terere tempus in his verſibus* legendis, *volitabis per ora virorum, & celebraberis læto carmine. Fontes, & lacus perennes, & glauci fluvii, & antiqua nemora,* quæ ſunt *decus pagorum, te cognoſcent; Druna, & Druen-*

Notæ.

1. *Corniger.*] Sic fluviis omnibus taurinam frontem, & bina cornua tribuunt; idque propter varios rivos, qui, in eos influentes, cornuum figuram cum ipſis quodammodo efficiunt.

2. *Celebrande Moſella.*] Sive ſupra legas *Domini Moſella*, ſive *Domina*, & hic *celebrande*, ſive *celebranda*, perinde erit. Fluviorum enim maſculina quidem ſunt nomina, ſed interdum terminationi, ſeu (ut loquitur Deſpauterius) fini bene ſignificatio cedit.

3. *Taurinæ frontis honorem.*] Cur cornuti fingantur fluvii dixi ſupra. Cur nonnulli taurino capite, Phurnutus ait ideò fieri, quòd violentiam, & mugitum quendam eorum curſus habeat. Non omnes paſſim taurino vultu, ſed multi etiam humano repræſentabantur cum cornibus, ut teſtatur Ælianus hiſtoriæ variæ lib. 2. cap. 33 ii fortaſſe, quorum curſus non ita rapidus, humanam videretur potius manſuetudinem imitari, quam taurinam violentiam.

4. *Germanis ſub portubus, &c.*] Sub Caſtellis *Ehrenbrechſtein & Coblents.*

5. *Druna.*] Hic fluvius, ut ait Scaliger, ex Alpibus deſcendens, tribus à Valentiâ oppido leucis Rhodanum ingreditur, vulgò, *la Droume.*

6. *Sparſis incerta Druentia ripis.*] Livius lib. 31. ubi de Annibale: *Ad Druentiam flumen pervenit. Is & ipſe Alpinus amnis, longe omnium Galliæ fluminum difficillimus tranſitu eſt. Nam cum aquæ vim vehat ingentem, non tamen navium patiens eſt; quia nullis coërcitus ripis, pluribus ſimul, neque iiſdem alveis fluens, nova ſemper vada, novoſque gurgites faciens (& ob eadem pediti quoque incerta via eſt) ad hæc ſaxa glareoſa volvens, nihil ſtabilis nec tuti ingredienti præbet.* Quod ſic expreſſit Silius Italicus lib. 3.

Turbidus hic truncis, ſaxiſque Druentia lætum
Ductoris vaſtavit iter. Namque Alpibus ortus
Avulſas ornos, & adeſi fragmina montis
Cum ſonitu volvens fertur latrantibus undis,
Ac vada tranſlato mutat fallacia curſu:
Non pediti fidus, patulis non puppibus æquus,
Et tunc imbre recens fuſo, correpta ſub armis
Corpora multa virûm ſpumanti vertice torquens,

[1] Alpinique colent fluvii, [2] duplicemque per urbem
Qui meat, & [3] Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te ſtagnis ego cæruleis, magnumque ſonoris
Amnibus, [4] æquoreæ te commendabo Garumnæ.

INTERPRETATIO.

tia diſperſa ripis incertis, & amnes Alpini te venerabuntur, & Rhodanus qui fluit per urbem duplicem, & tribuit nomen Dextra ripæ. Ego prædicabo te apud ſtagna cærulea, & fluvios altè ſonantes, denique *apud Garumnam in mare fluentem.*

NOTÆ.

Immerſit fundo laceris deformia membris.

Gallicæ Provinciæ fluvius eſt Ptolemæo Δρυέντιος, vulgo *la Durance:* Rhodano paulo infra Avenionem miſcetur.

1. *Alpinique fluvii.*] Cæteri ex Alpibus orti, ut *Addua, Atheſis, Ligurinus, &c.*

2. *Duplicemque per urbem qui meat.*] Rhodanus qui per medium Arelate tranſibat olim, eamque urbem, quæ hic deſignatur, in duas partes dividebat ponte junctas. De Arelate in claris urbibus noſter:

Pande duplex Arelate tuos blanda hoſpita portus, &c.

A Gothis deinde exciſâ parte illâ quæ Occidentem ſpectabat, ſola Orientalis pars quæ Italiam reſpicit, ſuperfuit. Hæc Regni, Arelatenſis ab eâ urbe dicti, caput fuit.

3. *Dextra dat nomina ripæ.*] Locus eſt, inquit Scaliger, ubi Rhodanus duo oſtia facit. Idcircò, & incolæ locum, & oppidum ad illud bifidum ſitum vocant *furcam.* Ab eo oſtio Rhodani Maſſiliam uſque totus ille tractus dictus fuit *Dextra Ripa*, quod probat inſcriptione Narbonenſi; & inde infert per majuſculum D. ſcribendum eſſe *Dextra Ripa.*

4. *Æquoreæ Garumnæ.*] Hunc fluvium quaſi cæterorum quos commemoravit præcipuum, ad extremum ſervat Burdegalæ patriæ ſuæ, quæ ad eum ſita eſt, gratificari cupiens. *Æquorei amnes* ſunt qui in Oceanum influunt, non in alios fluvios, & æſtus ejus reciprocationes in oſtiis ſuis experiuntur, ut hic Garumna, de quo Claudianus in Ruffinum lib. 2.

—— Retro pernicior unda Garumnæ
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.

Videndus Mela de ſitu, orbis lib. 3. cap. 2. & Sidonius Apollin. lib. 8. epiſt. 12. Iidem amnes *Cærulei* dicuntur.

AUSONIUS Symmacho S.

335 LAtebat inter nugas meas libellus ignobilis: utinamque latuiſſet; [1] neque indicio ſuo, tanquam ſorex, periret. Hunc ego quum, [2] velut gallinaceus Euclionis, ſitu chartei pulveris eruiſſem, excuſſum

INTERPRETATIO.

Hic *libellus deliteſcebat ignotus inter meas nugas: & utinam* ſemper *delituiſſet, neque interiret ſuo ipſius indicio, velut mus. Cum ego, tanquam* gallus *gallinaceus Euclionis, extra-*

NOTÆ.

1. *Neque indicio ſuo, &c.*] Apud Terentium Eunucho act. 5. ſc. 7. Parmeno ſervus:

Egomet meo indicio miſer, quaſi ſorex, hodie perii.

Adagium eſt petitum à ſoricibus, ſeu muribus, qui ſtrepitu, aut ſtridore vocis vel arroſionis ſeſe produnt, undè etiam noctu & per tenebras ab iis qui attendunt, nonnunquam transfiguntur.

2. *Velut gallinaceus Euclionis.*] Apud Plautum Aulularia, act. 3. ſc. 4. Euclio:

Digitized by Google

relegi : atque ut avidus fœnerator, improbum nummum malui occupare, quam condere. Dein cogitans mecum, non illud Catullianum,

Cui dono lepidum novum libellum :

ſed [1] ἀμουσότερον, & verius :

Cui dono illepidum, rudem libellum :

non diu quæſivi. Tu enim occurriſti : quem ego, ſi mihi poteſtas ſit ex omnibus deligendi unum, ſemper elegerim. Miſi itaque ad te frivola [2] gerris Siculis vaniora : ut quum agis nihil, hæc legas : & ne nihil agas, defendas. Igitur iſte nugator libellus, jam diu ſecreta quidem, ſed vulgi lectione laceratus, perveniet tandem in manus tuas. Quem tu aut [3] ut Æſculapius, redintegrabis ad vitam : aut, [4] ut Plato, juvante Vulcano, liberabis infamia, ſi pervenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ hujus iſta materia. In expeditione, quod tempus, ut ſcis, licentiæ militaris eſt, ſuper menſam meam facta eſt

INTERPRETATIO.

niſſem hunc è pulvere, quo charta meæ erant *obſitæ, excuſſi* eum, *& legi iterùm : & tanquam fœnerator avarus, malui collocare* fœnori *malum* hunc *nummum, quam* eum *recondere* in arcâ. *Deinde reputans apud me, non illum* verſum *Catulli, Cui do libellum facetum, & recentem : ſed hunc inelegantiorem* ſimul *& veriorem, Cui do libellum inficetum, & inelegantem : non diu* apud me *quæſivi. Nam veniſti ſtatim mihi in mentem, tu, quem ſolum ſemper elegerim, ſi mihi facultas detur eligendi ex omnibus. Itaque miſi ad te* hæc *futilia inaniora nugis Siculis : ut ea legas, cum nihil agis : & poſſis negare* te *nihil agere. Hic ergo libellus nugarum plenus, jam dudum detritus lectione ſecretâ quidem, ſed* tamen hominum *de plebe* eruditorum, *perveniet tandem in tuas manus. Quem* quidem *tu vel revocabis ad vitam, velut Æſculapius : vel, quemadmodum Plato, auxilio Vulcani, eximes à malâ famâ, ſi non eſt dignus qui bonam conſequatur. Hoc autem fuit argumentum hujus inepti* poëmatii. *In expeditione* quadam, *quo tempore, ut noſti,* multa fiunt *per licentiam militarem, facta eſt invitatio in menſa meâ, non cujuſmodi*

NOTÆ.

Condigne etiam meus me intus galbus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penitiſſume.
Ubi erat hæc defoſſa (olla auri plena) *occœpit ibi ſcalpurire ungulis*
Circumcirca, &c.

1. *Ἀμουσότερον.*] Quidam hîc legunt ἀμαργότερον, quod eſſet *non inſanius : non ſegnius, ἀ μαργὸς inſanus, ignavus.*

2. *Gerris Siculis vaniora*] Adagium hoc explicans Eraſmus Chiliad. 2. centur. 4. Gerras, inquit, Græci crates vimineas appellant. Ea vox poſtea vulgò pro nugamentis rebuſque frivolis uſurpata eſt, auctore Feſto Pompeio, hâc occaſione : *Athenienſes* (inquit Feſtus) *cum Syracuſas obſiderent, & crebro Gerras poſcerent, irridentes Siculi Gerras clamitabant, unde factum eſt ut Gerræ pro nugis, & contemptu dicantur.* Hinc *Congerrones* familiares, qui inter ſe nugas etiam leviſſimas communicant. Vide plura apud Eraſmum eo loco.

3. *Ut Æſculapius.*] Hippolytum ab equis diſcerptum, qui poſtea Virbius dictus eſt. Ob quod factum, fulmine ictum à Jove Æſculapium ferunt, metuente ne hominibus immortalitas ejus ope conciliaretur.

4. *Ut Plato.*] Qui, teſte Laërtio in ejus vitâ, cum tragicum certamen eſſet initurus, ante Dionyſiacum theatrum audito Socrate, igni poëmata exuſſit, Vulcanum invocans,

invitatio, [1] non illa de Rubrii convivio, ut Græco more biberetur; ſed illa [2] de Flacci ecloga, in qua propter mediam noctem, & novam lunam, & Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico noſtra illa poëtica ſcabies cœpit exſcalpere: cujus morbi quoniam facile contagium eſt, utinam ad te quoque prurigo commigret: & [3] fuco tuæ emendationis adjecto, impingas ſpongiam, quæ imperfectum opus equi male ſpumantis abſolvat. Ac [4] ne me neſcias glorioſum, cœptos inter prandendum verſiculos ante cœnæ tempus abſolvi: hoc eſt dum bibo, & paulo ante quam biberem. Sit ergo [5] examen pro materia & tempore. Sed tu quoque hoc ipſum paulo hilarior & dilutior lege; namque injurium eſt de poëta male ſobrio lectorem abſtemium judicare. Neque me fallit fore aliquem, qui hunc jocum noſtrum acutis naribus, & caperata fronte condemnet: negetque me omnia, quæ ad ternarium & novenarium numeros pertinent, attigiſſe. Quem ego verum dicere fatebor;

Interpretatio.

facta erat *in convivio Rubrii, ut potaretur ritu Græco; ſed cujuſmodi* eſt *in Odâ Horatii, in quâ poëta correptus furore* Bacchico *poſcit ter tres calices, in gratiam mediæ noctis, novæ lunæ, & auguratus Murenæ. Statim noſtra illa prurigo poëtandi incepit effricare hunc locum de numero ternario: cujus morbi, quia is facilè communicatur, opto ut pruritus tranſeat etiam ad te: & ut adhibito pigmento tuæ correctionis, illi des ſpongiam, quæ perficiat tabellam imperfectam equi ſpumas agentis non benè* expreſſas. *Atque ut non ignores me eſſe laudis cupidum, peregi ante horam cœnandi carmina* hæc *inchoata in prandio; id eſt, inter potandum, & paulo prius quam potarem. Examen ergo* tuum *ſit conforme materiæ* in his tractatæ *& tempori* in iis faciendis inſumpto. *At tu etiam lege hoc ipſum* carmen *lætior* paulo, *&* vino *madentior. Iniquum enim eſt lectorem vini expertem judicium ferre de poëta temulento. Neque ignoro futurum aliquem, qui damnet hoc meum ludicrum naſo adunco, & fronte contractâ: & dicat me non tractaſſe univerſa, quæ ſpectant ad numerum ternarium, & novenarium. Quem ego concedam loqui*

Notæ.

1. *Non illa de Rubrii convivio, &c.*] Ex eâ Verrinâ quæ eſt de Præturâ urbanâ: *Tum Rubrius iſtius comites invitat eos; omnes Verres certiores facit, quid opus eſſet. Mature veniunt: diſcumbitur. Fit ſermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur, &c.*

2. *De Flacci Ecloga.*] Lib. carm. 3. ode 19. ubi hæc habet:

Da lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ. Tribus aut novem
Miſcentur cyathis pocula commodis.
Qui Muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet ſupra,
Rixarum metuens, tangere Gratia
Nudis juncta Sororibus.

3. *Fuco tuæ emendationis.*] Vetus codex habuit *condemnationis*, quod probat ſatis Mariang. Accurſ. Pictor enim ille, ad cujus hiſtoriam alludit, ſpongiam equi naribus, non emendandi conſilio, ſed corrumpendi deſperatum ſpumæ opus, impegerat; caſu tamen evenit, ut ſpongia temerè impacta, ſpumam illam optimè expreſſerit. Pictoris illius hiſtoriam referunt Val. Max. lib. 8. cap. 11. Plinius lib. 35. & Plutarchus, *de Fortuna.*

4. *Ne me neſcias glorioſum.*] Capto hîc gloriam ex celeritate confecti inter prandium & cœnam operis.

5. *Examen pro materia & tempore.*] Hoc eſt, non ſeverius, quam deceat eſſe jocoſi, & extemporanei operis examen.

Digitized by Google

juſte, negabo. Quippe ſi bonus eſt, quæ omiſi, non oblita mihi, ſed præterita exiſtimet. Dehinc qualiſcunque eſt, cogitet ſecum, quam multa de his non reperiſſet, ſi ipſe quæſiſſet. Sciat etiam me nec omnibus erutis uſum, & quibuſdam oblatis abuſum. Quam multa enim de ternario ſciens neglexi! [1] Tempora, & [2] perſonas, [3] genera, & [4] gradus, [5] novem naturalia metra cum trimetris, [6] totam grammaticam, & [7] muſicam, [8] libroſque medicinæ, [9] ter maximum Hermen, [10] & amatorem primum philoſophiæ, [11] Varroniſque numeros, & quicquid prophanum vulgus [12] non ignorat. Poſtremo, quod facile eſt, quum ipſe multa invenerit, comparet ſe atque me, occupatum cum otioſo, pranſum cum abſtemio, jocum & ludum meum, diligentiam & calumniam ſuam. Alius enim alio plura invenire poteſt: nemo omnia. Quod ſi

INTERPRETATIO.

verè; ſed *inficiabor* loqui *juſtè. Nam ſi benignus eſt, arbitretur* ea *quæ præterii non fugiſſe me, ſed à me* de induſtriâ *eſſe omiſſa. Deinde qualis qualis eſt, reputet apud ſe, quam multa ex his ipſe non inveniſſet, ſi ea quæſiviſſet. Noverit quoque me neque uſum* eſſe *cunctis quæ excogitavi, & intemperanter uſum* eſſe *nonnullis quæ ultrò occurrerant. Nam quam multa* ſunt, quæ *prudens omiſi de ternario numero! tempora, & perſonas, genera, & gradus* comparationis, *novem naturales verſuum formas, cum trimetris* verſibus, *totam Grammaticam, & Muſicam, & Medicinæ volumina, Hermen ter maximum, & primum ſtudioſum ſapientiæ, &* libros *Varronis de numeris, & quidquid* de ternario *notum eſt plebi indoctæ. Denique, quod facilè* fieri *poteſt, cum ipſe repererit multa, conferat ſe & me,* me ſcilicet *diſtrictum* negotiis *cum* ſeipſo *vacuo,* me *appotum in prandio ſecum vini experte, luſus & nugas meas, cum iis quæ in*venerit *deditâ operâ, & animo* me *criminandi. Nam alius excogitare poteſt plura alio;* at

NOTÆ.

1. *Tempora.*] Præſens, præteritum, futurum.

2. *Perſonas.*] Primam, ſecundam, tertiam.

3. *Genera.*] Maſculinum, fœmininnm, neutrum.

4. *Gradus.*] Comparationis, ſcilicet poſitivum, comparativum, & ſuperlativum.

5. *Novem naturalia metra.*] Verſuum aut pedum ſpecies præcipuas quas tamen alii plures faciunt, alii pauciores. Vid. veteres Grammat. Terentian. Victorin. Diomed. Serv.

6. *Totam Grammaticam.*] Quæ verſatur circa nomina, verba, & particulas indeclinabiles.

7. *Muſicam.*] Quæ tria genera ſpectat: diatonicum, chromaticum, & enharmonicum.

8. *Libroſque Medecinæ.*] Qui continent φυσιολογικὴν, παθολογικὴν, & θεραπευτικήν.

9. *Ter maximum Hermen.*] Τρισμέγιστον Ἑρμῆν, quem ſic appellatum Suidas autumat, quod de Trinitate locutus ſit, in eâ unam eſſe deitatem aſſerens. Alii quod maximus ſapiens, & rex, & Sacerdos eſſet.

10. *Et amatorem primum Philoſophiæ.*] Pythagoram, qui ſe non σοφὸν *ſapientem*, ſed φιλόσοφον *ſapientiæ amatorem* primus dici voluit.

11. *Varroniſque numeros.*] Horum meminerunt Macrob. & A. Gellius. Interciderunt temporum injuriâ.

12. *Non ignorat.*] Tollenda fortaſſe negatio. Ea enim quæ mox enumerata ſunt vulgò parùm nota. Abeſt certè τὸ *non* in MSS. quibuſdam, & editione Ugoletti. At nihil muta; commodus ſenſus eſt quem expreſſi.

alicui

Digitized by Google

alicui & obſcurus videbor: apud eum me ſic tuebere. Primum [1] ejuſmodi epyllia niſi vel obſcura ſint, nihil futura; deinde numerorum naturam [2] non eſſe ſcirpum, ut ſine nodo ſint. Poſtremo ſi etiam tibi obſcurus fuero, cui nihil neque non lectum eſt, neque non intellectum; tum vero ego beatus, quod affectavi, aſſequar, [3] me ut requiras, me deſideres, de me cogites. Vale.

INTERPRETATIO.

nemo poteſt excogitare *omnia. Quod ſi videbor etiam alicui obſcurus: ſic me defendes apud eum.* Dices *primùm talia poëmatia nullius pretii fore, niſi etiam obſcura ſint; deinde naturam numerorum non eſſe juncum, ut illi careant nodo. Denique ſi fuero obſcurus etiam tibi, qui nihil non legiſti, &* nihil non *capis: tunc vero ego felix conſequar quod cupivi, ut me flagites, me cupias, de me cogites. Vale.*

NOTÆ.

1. *Ejuſmodi epyllia.*] Ἐπύλλιον diminutivum ab ἔπος *carmen.* Sic reſtituit Scaliger ex membranis, pro *edyllia*, quod in vulgatis erat.

2. *Non eſſe ſcirpum.*] *Arundinem enodem.* Notum adagium, nodum in ſcirpo quærere.

3. *Me requiras, me deſideres.*] Scilicet ut eorum quæ non intellexeris ſenſum à me diſcas.

[1] *Griphus Ternarii numeri.* XI.

336 [2] TEr bibe, vel totiens ternos; ſic myſtica lex eſt,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,

INTERPRETATIO.

Pota ter, vel toties tres cyathos; *hujuſmodi lex eſt* impoſita *bibenti, ut* hauriat *tria* po-

NOTÆ.

1. *Griphus.*] Γρῖφος & Γρῖπος *Griphus* ſeu *Gripus*, propriè Rete piſcatorium eſt, δίκτυον; ut exponit Suidas. Eſt etiam, ut ait ille, *δύσκολος καὶ συμπεπλεγμένος λόγος· ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον. Difficilis & implicatus ſermo habens in ſe ſenſum non apparentem.* Hoc poſteriori ſignificatu, qui metaphoricus eſt, hîc accipitur. Hujuſmodi enigmata ſeu ſermones obſcuros Latini, teſte Gellio lib. 12. cap. 6. *ſcirpos* olim appellarunt. Super menſâ ut plurimùm inter potandum proponi ſolita erant ejuſmodi ænigmata, pœnâ in eum qui non ſolveret propoſitâ grandioris poculi exſiccandi.

2. *Ter bibe vel, &c.*] Horat. ode 19. lib. 3. jam citatâ:

> ——— *Tribus, aut novem*
> *Miſcentur cyathis pocula commodis.*

Myſtica lex de quâ loquitur, Græcula lex eſt, ἢ *τρία πῖνε ἢ μὴ τέτταρα, vel tria bibe, vel non quatuor*; ſcilicet, ſi tria pocula ſuperes, ad novem uſque pergendum. Ad hanc legem reſpicit Petron. cum ait: *Excuſare cœpit moram: quod amica ſe non dimiſiſſet, tribus niſi potionibus è lege ſiccatis.*

Vu

[1] Imparibus novies ternis contexere [2] cœbum.
Juris idem tribus eſt, quod ter tribus, [3] omnia in iſtis.
[4] Forma hominis cœpti, [5] plenique exactio partus,
[6] Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres [7] Ope progeniti fratres, [8] tres ordine partæ
Veſta, Ceres, & Juno, [9] ſecus muliebre, ſorores.
[10] Inde triſulca Jovis ſunt fulmina. Cerberus inde;

INTERPRETATIO.

cula, *vel multiplicet tria ter, ut conficiat cubum ex impari ternario* numero mulriplicato *novies. Tria tantumdem poſſunt quantum ter tria. Cuncta in iſtis* comprehenduntur. *Figura hominis inchoati, & expulſio ſœtus maturi, &* ſpatium *novies novem* annorum *quod terminat vitam* humanam. *Tres ſunt fratres generati ex Rheâ, tres* eorum *ſorores muliebris ſexus conſequenter genitæ ſunt*, ſcilicet *Veſta, Ceres, & Juno. Ex eodem* numero *ſunt trifida ful-*

NOTÆ.

1. *Imparibus novies ternis, &c.*] Revera ex novem in tria ductis fit ſecundus cubicus numerus 27. cum primus ſit 8. eſt quippe apud Arithmeticos numerus quadratus qui ex aliquo numero in ſeipſum ducto oritur, ut 4. ex 2. per 2. multiplicatis. 9. ex 3. in 3. ductis, &c. Cubicus autem numerus eſt qui ex numero quadraro, & radice ejus invicem mulriplicatis exſurgit, ut 8. ex 4. in 2. & 27. ex 9. in 3. ductis. Miror autem unde Scaligero videri potuerit Auſonius exiſtimaſſe numerum 9. eſſe cubum. Neque enim quidquam in toto hoc poëmatio occurrit quo hoc invictè probare poſſit.

2. *Cœbum.*] Antiquè pro *Cubum*, ſic *mœrus* pro *murus* unde *pomœrium*. Sic à *pœnâ* factum eſt *punio*, ſic *Myſia Mœſia* eſt appellata. Sic à *Pœnus*, *Punicus*, &c. Eſt autem cubus corpus ſolidum ſex quadratis ſuperficiebus æqualibus comprehenſum, cujus appellatio ad numerum quoque hujuſmodi tranſlata eſt, qui, ut jam dixi, duplici multiplicatione alicujus alius producitur.

3. *Omnia in iſtis, &c.*] Reponit Scaliger: *omnis in iſtis forma hominis cœpit.* Sed nihil neceſſe eſt lectionem hanc ſollicitare, planus eſt ſenſus quem expoſui in interpretatione.

4. *Forma hominis cœpti.*] Quia quanquam ſeptimo die juxta Hippocratem in lib. *περὶ αἰῶνος*, forma hominis in fœtu jam appareat; tamen plenior fœtus conformatio, juxta eundem lib. de naturâ fœtus, maſculi quidem trigeſimo die, hoc eſt terdeno fit, fœminini vero quadrageſimo ſecundo, hoc eſt rer quartodecimo.

5. *Plenique exactio partus.*] Nono ſcilicet, hoc eſt, rer terno menſe exacto.

6. *Quique novem, &c*] Ex Platonicâ ætatis graduum definirione annum octogeſimum primum, qui ex ter tribus, ſive novem per novem ductis oritur, vitæ humanæ terminum ponit. Sed verius Iſidorus: *Sexta ætas eſt ſenectus, quæ nullo annorum tempore finitur.* Vide plura apud Cenſor. de die natali cap. 14. quod eſt de annis climactericis.

7. *Ope.*] Et Saturno. Jupiter ſcilicet, Neptunus, & Pluto, cum ſororibus quas mox enumerat. Idem ſcribit Diodorus Bibliorhecæ lib. 5. ubi Cretica explicat.

8. *Tres ordine partæ, &c.*] Ovidius in faſtis.

> *Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatam*
> *Semine Saturni, tertia Veſta fuit.*

9. *Secus muliebre.*] Sexus muliebris. Sic *virile ſecus* apud Salluſtium.

10. *Inde triſulca Jovi, &c.*] Servius ad hunc Virg. verſum eclog. 8.

——— *Numero Deus impare gaudet.*

aut quemcunque ſuperorum (inquit) *juxta Pythagoreos, qui ternarium numerum perfectum ſummo Deo aſſignant, à quo initium, & medium, & finis eſt: aut revera Hecaten di-*

Inde tridens : [1] triplexque Helenes cum fratribus ovum.
[2] Ter nova Neſtoreos implevit purpura fuſos.
[3] Et totiens terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem ſæcula tractus
Vincunt [4] æripedes ter terno Neſtore Cervi,
Tres quorum ætates ſuperat [5] Phœbeïus oſcen,
Quem novies ſenior [6] Gangeticus anteit ales,
Ales [7] Cinnameo radiatus tempora nido.

INTERPRETATIO.

mina Jovis, ex eodem Cerberus triceps, *ex eodem tridens*, furca Neptuni : *& tergeminum ovum Helenæ & fratrum* ejus. *Nova* lana *purpurea implevit ter fuſos* vitæ *Neſtoris*, *& Cornix ſuperat vivendo toties tria ſæcula. Quam cervi æripides ſuperarent tribus ternis Neſtoris ætatibus, etiam ſi viveret per circuitum novies trium ſæculorum, quorum* Cervorum *tres ætates avis Phœbi prætergreditur, quam* avem *vetus avis Indica novies ſuperat: avis*, inquam, illa *quæ reparat ætatem ſuam in nido & cinnamo ſtructo. Hecate triformis eſt, tres ſunt vultus*

NOTÆ.

eit; cujus triplex poteſtas eſſe perhibetur. Unde eſt: tria virginis ora Dianæ. *Quamvis omnium prope Deorum poteſtas triplici ſigno oſtendatur: ut Jovis triſidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps. Apollo idem Sol, idem Liber. Vel quod omnia ternario numero continentur: ut Parcæ, Furiæ; Hercules etiam trinoctio conceptus; Muſæ ternæ.*

1. *Triplexque Helenes cum fratribus ovum.*] Epig. 56. quod de iiſdem eſt.

Iſtos, tergemino naſci quos cernis ab ovo.

Sunt tamen qui dicant duo ova fuiſſe, ex quorum uno Caſtor & Helena, ex altero Pollux & Clytæmneſtra nati ſint.

2. *Ter nova Neſtoreos, &c.*] Hic tres hominum ætates vixiſſe perhibetur. Sed in iis finiendis variant interpretes. Alii tres ætates intelligunt tria ſæcula, alii ter nonaginta annos, alii tantùm ter triginta, ætatem intelligentes hominis adulti, non extincti. Ex his quæ ſequuntur, tria ſæcula intellexiſſe Auſonium manifeſtum eſt.

3. *Et toties terno, &c.*] Hæc & quæ ſequuntur ex fabuloſâ Heſiodi ætatum ſupputatione ſunt, de quâ Plinius nat. hiſt. lib. 7. cap. 48. *Heſiodus, qui primus aliqua de hoc prodidit, fabuloſe (ut reor) multa de hominum ævo referens, cornici novem noſtras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabuloſius in Phœnice ac Nymphis.* Ex hac ſupputatione Neſtor vixerit annos CCC. circiter, ſeu ſæcula III. Cornix vivat ſæcula IX. Cervus XXXVI. Corvus ſæcula CVIII. Phœnix, juxta noſtrum auctorem, ſæcula IXCLXXII. quæ omnia quam fabuloſa ſint nemo non videt. Eadem repetita infra ex Heſiodo videbis in Edyllio de ætatibus animalium.

4. *Æripedes Cervi.*] Χαλκόποδες ἔλαφοι hoc eſt ἰσχυρόποδες juxta Heſychium, *quibus validi & celeres ſunt pedes.* Non autem quibus revera *ænei*. Sunt qui *aripedes* pro *aëripedes* legant & interpretentur *aëreis* ſeu *ventoſis pedibus*, hoc eſt, *celerrimis*: quod coincidit cum eo quod habet noſter in de ætatibus animalium *alipedem*.

5. *Phœbeius oſcen.*] Corvus quem ex albo fecit Apollo nigrum. Vide Ovid. lib. 2. Metam.

6. *Gangeticus ales.*] Phœnix circa Gangem Indiæ fluvium verſans. Ultra Indiam ipſam in locis inacceſſis habitare eum fingit Claudian. epig. 1. *de Phœnice*.

7. *Cinnameo radiatus tempora nido.*] Phraſis ſenſu carens, niſi ſic intelligas: *ales radiatus tempora* auri fulgore circa colla micante, (ut ait Plinius) *in nido ſuo Cinnameo.* Neque enim *radiatus nido* dici poteſt. Mendum ſubeſſe putat Scaliger, & pro *nido* reponit *nimbo*, quod interpretatur: *Sparſione quadam rubri fulgoris, quo cellum Phœnicis, & caput velut aſperſum eſt.*

Digitized by Google

[2] Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ:
Tres Charites. [3] Tria Fata. [4] Triplex vox. [5] Trina elementa.
Tres in Trinacria [6] Siredones; [7] omnia terna:

INTERPRETATIO.

Virginis Dianæ. Tres Gratiæ ſunt. Tres Parcæ. Vox triplex. Tria Elementa. Tres Sirenes in Sicilia, quæ habent *omnia triplicia*, ſunt enim *tres aves*, *tres ſemideæ*, *tres ſemivirgines: juſ-*

NOTÆ.

Cuperus lib. 2. Obſerv. cap. 16. eodem modo reponit, ſed nimbum intelligit lucem illam divinam, quâ Deorum capita ſolent cingi, quamque cum reliquis honoribus adulatores Imperatoribus ſuis tribuerunt. Tollius ſuſpicabatur legendum eſſe *Cyaneo*, hoc eſt, cæruleo *nimbo*, inductus Euſtathii Antiocheni verbis in Hexaemero, ubi de Phœnice loquens ait auro, & purpurâ ipſius alas diſtinctas eſſe, caput autem ejus circulo ſeu coronâ Cyaneâ nativâ cingi. Ego, ſi conjecturam quoque noſtram afferre licet, exiſtimaverim mendum, ſi quod ſit, eſſe in voce *radiatus* pro quâ legerim libens *redivivus*, vel *reparatus* vel *reparans ſua tempora*, &c. Hoc eſt in nido è cinnamis aggeſtis compoſito & radiis ſolaribus incenſo, ad novam vitam renaſcens. Alcimus Avitus:

Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama naſcuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque peruſto,
Succedens ſibi quæſita de morte reſurgit.

Claudian. de Phœnice:

Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretioſa fronde Sabæum,
Componit buſtumque ſibi, partumque futurum.

Hunc poſtremum ſenſum expoſui in interpretatione.

2. *Tergemina eſt Hecate*, &c.] lib. 4. Æneid.

Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianæ.

Vide de hoc Cælium Rhodiginum, & Servium ad ſuperiorem verſum Æneidos.

3. *Tria Fata*, &c.] Sic etiam Parcas appellat Apuleius lib. de mundo, in fine. *Sed tria Fata ſunt*, inquit; *numerus cum ratione temporis faciens, ſi poteſtatem earum ad ejuſdem ſimilitudinem temporis referas. Nam, quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem: & quod torquetur in digitis, momenti præſentis indicat ſpatia: & quod nondum ex colo tractum eſt, ſubactumque cura digitorum, id futuri & conſequentis ſæculi poſteriora videtur oſtendere.* Nomina Parcarum fuerunt *Atropos*, *Lacheſis*, & *Clotho*.

4. *Triplex vox.*] Acuta, gravis, & media.

5. *Trina elementa.*] Ex eorum Philoſophorum placitis, qui ignem negabant eſſe quartum Elementum, & tria tantùm admittebant, *Terram*, *Aquam*, & *Aerem*. Noſtrâ ætate Carteſius tria tantùm admiſit elementa, ſed alia à vulgatis.

6. *Siredones.*] Sic Scaliger ex veteri codice. Vinetus *Sirenes*, Voſſius *Sirenides*, & intelligit ſcopulos, ſive petras quas inhabitaverunt Sirenes auctore Servio. Aſſentior Scaligero veteris libri lectionem retinenti. Quid prohibet, Σειρηδόνας dici pro Σειρῆνας ſive illud ſimpliciter formetur, ut à κλέος κλεηδὼν, ab ἄνθος ἀνθηδὼν &c. Sive, ut vult Scaliger, dicantur Σειρηδόνες quaſi σειρηνηδόνες.

7. *Omnia terna.*] Nequaquam in ſententiam vado Scaligeri legentis hic *omina trina*, & intelligentis triplex ominandi genus ex ſternutatione, ſupercilii palpitatione, ſeu ſaliſſatione, & aurium tinnitu. Docta quidem ſunt quæ hic affert, ſed nequaquam appoſita huic loco. Manifeſtum eſt enim nihil aliud velle hic Auſonium, quam in Sirenibus omnia trina obſervari, quod ſint tres volucres, tres ſemideæ, tres ſemipuellæ, &c. Quorſum hic *omina* importunè interſereret?

[1] Tres volucres, [2] tres ſemideæ, [3] tres ſemipuellæ:
[4] Ter tribus ad palmam juſſæ certare Camœnis,
[5] Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
[6] Tres Sophiæ partes: [7] tria Punica bella. Trimeſtres
Annorum cælique vices: noctiſque per umbram
[8] Tergemini vigiles. [9] Ter clara inſtantis Eoi

INTERPRETATIO.

ſæ ſunt contendere pro victoriâ cum ter tribus Muſis, cantantes ore, manu, ſpiritu: tibiâ *buxeâ, chordâ, & voce. Tres* ſunt *partes Philoſophiæ. Tria bella Carthaginenſia.* Tempeſtates *anni, & mutationes cœli ſunt* ſingulæ *trium menſium: & tres vigiles* excubant *in* ſingu-

NOTÆ.

1. *Tres volucres.*] His Hyginus partem inferiorem gallinaceam, & alas tribuit.

2. *Tres ſemideæ.*] Acheloi ſcilicet fluvii, & Calliopes Nymphæ filiæ his nominibus, Parthenope, Ligea, & Leucoſia.

3. *Tres ſemipuellæ.*] Scilicet mulieres formoſæ ſuperne, turpiter atrum in piſcem deſinentes, quæ erat earum vulgatior forma in picturis.

4. *Ter tribus, &c.*] Pauſanias in Bœoticis, & Stephanus de Urbibus in verbo ἄπτερα memorant Sirenas à Junone impulſas, inter oppidum Cretæ Ἄπτερα & mare, in loco, cui Μουσεῖον poſtea nomen fuit, cum Muſis de cantu contendiſſe, Muſaſque, cum viciſſent, evelliſſe victis Sirenibus alas, & ex eis ſibi coronas feciſſe, & ab illâ pennarum amiſſione, quam Sirenes paſſæ ſunt, oppido factum nomen Ἄπτερα. Ipſæ vero Sirenes doloris impatientiâ in mare ſeſe præcipites dederunt, & ex illo maris factæ ſunt incolæ.

5. *Ore, manu, &c.*] Singula ſic compone: *ore*, voce; *manu*, fide; *flatu*, buxo; hoc eſt, tibiâ buxeâ.

6. *Tres Sophiæ partes.*] Naturalis, moralis, & rationalis ſeu logica, ex Laertio in præfatione, Seneca in principio lib. 14. Epiſtolarum, Plutarcho Probl. Sympoſ. lib. 9. Apuleio in de Dogmate Platonis, &c.

7. *Tria Punica bella.*] Primum, ſecundum tertium, apud Livium & alios rerum Roman. ſcriptores.

8. *Tergemini vigiles.*] Per ſingulas noctis vigilias; ut unuſquiſque excubet per horam. Tres enim erant in unaquaque vigiliâ horæ.

9. *Ter clara inſtantis Eoi.*] Parrhaſius, & poſt eum Silvius Ambianas, & Vinetus de Gallo Gallinaceo intelligunt, ex Luciano fabulam narrante in *ſomnio ſeu Gallo*: ad quam fabulam reſpexiſſe hic Auſonium nequaquam dubito. Quidquid in contrarium afferat Scaliger, (qui *depenſo* pro *deprenſo* legit, & de diluculi ſignificatione à buccinatore factâ interpretatur) aut Mariang. Accurſ. qui Corvum mavult quam Gallum, eo quòd, ut ipſe ait, Corvus ter ſalutet Auroram, (quod probât loco Sidonii ad Domitium,) nec legerit à quoquam traditum Gallos ter matutino cantu Solem adventantem ſalutare. Non legerat ſcilicet illud Theocriti Idyll. 24.

> Ὄρνιθες τρίτον ἄρτι τὸν ἔσχατον ὄρθρον ἄειδον.
>
> *Galli tertium jam ultimùm diluculum canebant.*

Sed operæ pretium eſt fabulam ex Luciano referre. Adoleſcentulus quidam fuit Ἀλεκτρυὼν, id eſt *Gallus* nomine, Marti adamatus, quem is, cum Venerem adiret, quoniam Solem potiſſimum metuebat, ne ſi è ſublimi conſpexiſſet, Vulcano ſe proderet, excubias agere ad oſtium jubebat, ut ejus indicio certior fieret quandò emergeret Sol. Cum autem aliquandò ſomno oppreſſus egregius ille excubitor ſtationem deſeruiſſet, Sol ſecurè dormientes deprehendit Martem & Venerem, ac Vulcano indicavit, qui reti ferreo circumdatos, cæteris Diis exhibuit deridendos. Quâ ex contumeliâ dolens Mars, ſomniculoſum ſuum ſatellitem in avem cognominem mutavit iiſdem armis, ut in capite pro galeâ criſtam obtineret. Quâ de cauſâ Galli, quo ſe Marti purgent, cum

Digitized by Google

Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.
[1] Et qui conceptus triplicatæ veſpere noctis,
Juſſa [2] quater ternis adfixit [3] opima tropæis.
[4] Et Lyrici vates numero, ſunt [5] Mnemoſynarum.
[6] Tres ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi:
[7] Sed Citheron totiens ternas ex ære ſacravit
[8] Relligione patrum, qui ſex ſpreviſſe timebant.

INTERPRETATIO.

lis *vigiliis noctis: excubitor cujus tarditate deprehenſus eſt Mars* in adulterio, *ter manifeſtè ſignificat cantu adventare diluculum. Et ille qui conceptus eſt per umbras noctis triplicata, appendit quater tribus trophæis* ſpolia *opima quæ juſſus erat* petere. *Et poeta Lyrici ſunt totidem, quot Muſæ, quas Phœbi manus olim habuit tantùm tres, ſed Citheron dedicavit toties tres æneas, ob Religionem patrum, qui verebantur ſex* ex illis *rejicere. Ludi Tarentini exhibentur per ter*

NOTÆ.

jam nihil opus eſt, ſimul atque ſolem exorientem ſenſerunt, multò ante vociferantur, atque illius exortum prænuntiant. Hæc legere eſt apud Lucianum. Quæ quàm appoſita ſint ad hunc Auſonii locum, nemo erit, qui non videat.

1. *Et qui conceptus, &c.*] Intelligit Herculem. Vide Plauti Amphitruonem.

2. *Quater ternis.*] Labores Herculis duodecim intellige.

3. *Opima.*] Supple *ſpolia*. Quæ, quid ſint, notum ex rerum Roman. ſcriptoribus, ea nempe quæ dux Populi Rom. hoſtium duci manu ſuâ detrahit.

4. *Et Lyrici vates, &c.*] Vide notas noſtras ad epigramma 32.

5. *Mnemoſynarum.*] Ita vulgò legitur: Heinſius verò reponit *Mnemonidarum. Mnemoſyne* quæ *memoria* eſt, mater fuit Muſarum. Phædrus:

Ego quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies artium peperit chorum,
&c.

6. *Tres ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi.*] Hinc conjici poteſt ſimulacra Apollinis ita fieri ſolita, ut dextrâ manu Muſarum imagunculas ſuſtinerent, ut in multis ſignis victoriolarum ſimulacra manu dextrâ ſuſtineri videmus.

7. *Sed Citheron toties ternas, &c.*] Græcè tamen Κιθαιρὼν non Κιθερὼν ſcribitur mons ille Bœotiæ. Sed ὀρθογραφίας illius parum ſtudioſus Auſonius, ſimiliter *Clytemneſtra* ſcripſit pro *Clytæmneſtra* à Græco Κλυταιμνήστρα in Heroibus:

Vindicem adulterii cum Clytemneſtra necet.

Ter primum Muſas Aloïdæ conſtituerunt. Pierus Macedon longo poſt tempore ter ternas conſtituit. Quod Auſonius hic innuit in Cithærone factum. Pauſanias in Bœoticis, ubi rem disertè explicat, ait id contigiſſe Theſpiis: huic ſententiarum diverſitati occaſionem dederit locorum vicinitas.

8. *Religione patrum qui ſex ſpreviſſe timebant.*] Sic omnino legendum. Hæc ex Varrone ſumpſit Auſonius. Ex illius certè libris qui perierunt hæc repetiit D. Auguſtinus lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ, locum hunc optimè explanantia: *Non audiendi ſunt*, inquit, *errores gentilium ſuperſtitionum, qui novem Muſas Jovis, & Memoriæ filias eſſe finxerunt. Refellit Varro, quo neſcio utrum apud eos quiſquam talium rerum doctior, vel curioſior eſſe poſſit. Dicit enim civitatem neſcio quam* (*nec enim recolo nomen*) (repetendum ex Pauſania) *locaſſe apud tres artifices terna ſimulacra Muſarum, quæ in templo Apollinis dono poneret: ut quiſque artificum pulchriora formaſſet, ab illo potiſſimum emeret. Itaque contigiſſe, ut opera ſua illi artifices æque pulchra explicarent: & placuiſſe civitati omnes novem: atque omnes emptas eſſe, ut in Apollinis templo dedicarentur. Quibus poſtea dicit Heſiodum Poëtam impoſuiſſe vocabula. Non ergo Jupiter novem Muſas genuit, ſed fabri*

[3] Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis [2] Trieterica Baccho.
Tres primas [3] Thracum pugnas tribus ordine ſellis,
[4] Juniadæ patrio inferias miſere ſepulcro.
[5] Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus,
Terruit [6] Aoniam volucris, leo, virgo, triformis

INTERPRETATIO.

tres noctes: quemadmodum triennalia ſacra exhibentur *apud Thebas Libero bis nato. Filii Junii, inferiis ad patris ſepulchrum mittendis* exhibuerunt, *tria prima prælia* Gladiatorum *Thracum, tribus certaminibus conſequenter* repetitis. *Illa quoque Sphinx, quæ nuptias proponebat* ei, qui ſolveret *ænigma triplex*, nempe *quis eſſet bipes, & quadrupes, & tripes*, hæc *omnia unus, territavit Bœotiam*, cum eſſet *triformis, avis* ſcilicet, *leo, puella; avis alis, bel-*

NOTÆ.

tres ter ternas fecerunt. Tres autem propterea civitas illa locaverat, non quia in ſomnis ea viderat, aut tot ſe cujuſquam illorum oculis demonſtraverant, ſed quia facile erat animadvertere omnem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem eſſe natura. Aut enim editur voce, ſicut eſt eorum, qui faucibus ſine inſtrumento canunt: aut flatu, ſicut tubarum, & tibiarum: aut pulſu, ſicut citharis, & tympanis, & quibuſdam aliis, quæ percutiendo ſonora ſunt. Hactenus D. Auguſtinus. Ex novem igitur æque elegantibus Muſarum ſimulacris religioni duxerunt tres tantùm dedicare, rejectis & ſpretis aliis ſex. Atque hinc eſt quod novem conſecrarunt. Hujus Varronis loci meminit etiam Servius ad illud Virg. Ecl. 4. *Nymphæ noſter amor Libethrides*: ubi: *ſane ſciendum*, inquit, *quod Varro tres tantum Muſas eſſe commemorat: unam quæ ex aquæ naſcitur motu: alteram, quam aeris ictu efficit ſonus: tertiam, quæ in aerea tantum voce conſiſtit.*

1. *Trina Terentino, &c.*] Ludos ſæculares intelligit, qui per tres noctes celebrari primum cœpti ſunt in Ditis & Proſerpinæ honorem à Valeſo, ſeu Valeſio quodam Sabino; (unde Valeriæ familiæ nomen) Deorum monitu apud Tarentum ſeu Terentum, (locum prope campum Martium ſitum,) liberorum ſuorum valetudinis reſtituendæ causâ; celebratis, ad defoſſam illic à Romanis bello adverſus Albanos aram, ſacris Diti & Proſerpinæ, ut fuſius narrat ex Zozimo & aliis Politianus Miſcellan. cap. 58. quem vide & Roſin. Antiquit. Rom. lib. 5. cap. 21.

2. *Trieterica.*] Sacra triennalia in Liberi patris honorem tertio quoque anno fieri ſolita etiam noctu, unde Nyctelia ἀπὸ τῆς νυκτὸς dicta ſunt, & ipſe liber Νυκτέλιος.

3. *Thracum.*] Gladiatorum. Sic lege non *Phæacum*. Superflua ſunt & extra rem, quæ de Phæacibus hîc Scaliger. *Thraces* pro Gladiatoribus paſſim uſurpari, quod gladiatorum ferax Thracia eſſet, quis neſcit?

4. *Juniadæ patrio, &c.*] Filii Junii Bruti, non primi illius cum Publicola Conſulis, ſed alterius Bruti ad annum ab urbe condita 490. de quibus ſic Valer. Max. lib. 2. ubi de inſtitutis antiquis: *Gladiatorum munus primum Romæ datum eſt in foro Boario, Appio Claudio, Q. Fulvio Coſſ. Dederunt Marcus, & Decimus filii Bruti funebri memoria patris cineres honorando.*

5. *Illa etiam thalamos, &c. quærens.*] Non ſibi, ſed Jocaſtæ, quæ interpreti ænigmatis illius, Bœotiam à Sphinge liberaturo, ſeipſam cum ſceptro Thebarum uxorem promiſerat. Ænigma porro illud de homine expoſitum ab Oedipode, qui deinde Jocaſtam matrem inſciens uxorem duxit. Cætera Jocaſteæ domus infortunia notiora ſunt, quàm ut hic à me referantur.

6. *Aoniam.*] Ea proprie pars Montana fuit Bœotiæ, à quâ tamen tota Bœotia Aonia dicta eſt, ut & Muſæ Aonides, à fonte Aone ejuſdem regionis Muſis conſecrato, teſte Stephano.

Digitized by Google

Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
[1] Trina in Tarpejo fulgent conſortia templo.
Humana efficiunt habitacula [2] tergenus artes,
Parietibus quæ ſaxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ ſupremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii [3] quadrantal, & hinc [4] Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat uſus agendi.
In Phyſicis tria prima, [5] Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.
Per trinas ſpecies [6] trigonorum regula currit,
[7] Æquilatus, vel [8] crure pari, vel [9] in omnibus impar.
[10] Tres coit in partes numerus perfectus: [11] ut idem

Interpretatio.

ina pedibus, virgo vultu. Cœtus trium numinum *micat in templo Capitolino. Artes triplicis generis elaborant domos hominum*, ea ſcilicet *quæ ſtruit parietes è lapidibus*, ea *quæ* ponit *tigilla in faſtigio*, & ea *quæ inducit* parietibus *ultimum ornatum tectorii. Ab eodem* numero oritur *quadrantal vini*, & *ab eodem oriuntur medimni Siculi. Illud in uſu hominum continet tres* medios, *hi* verò continent *bis tres. In* rebus *naturalibus tria principia* occurrunt, *Deus, mundus*, & *forma* ipſi *impreſſa. In omni generatione tria ſunt, genitor, genitrix*, & *genitum. Regula triangulorum pergit per tres eorum ſpecies:* eſt enim triangulum vel *æquilaterum*; *vel æquicrurium, vel inæquale in omnibus lateribus. Numerus perfectus coaleſcit in tres*

Notæ.

1. *Trina in Tarpejo*, &c.] Tria numina cellas habebant in Capitolio, Jupiter, Juno, & Minerva, in quorum tutelâ urbs erat.

2. *Tergenus artes.*] Cæmentaria, quæ lapides cædit & aptat in parietibus; Materiaria, ſeu lignaria, quæ materiam ſeu lignum tabulatis, & tectis deaſciat; & Tectoria ſeu Trulliſſatoria, quæ parietes tectorio ſeu albario opere inducit.

3. *Quadrantal.*] Voluſius Mæcianus ICtus: *Quadrantal, quod nunc plerique Amphoram vocant, habet urnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo.*

4. *Sicana medimna.*] Numero multitudinis. Dicitur enim *medimnus*, & *medimnum.* Menſura eſt ſex modiorum capax. Sicanum tamen medimnum quinque tantùm cepiſſe modios probat Budæus lib. 5. de Aſſe, cum Atticus & Romanus ſex caperent.

5. *Deus, mundus, data forma.*] *Mundum* hîc materiam mundi intellige. Principia enim illa, ut patet ex Plutarcho lib. 1. de placitis Philoſophorum, erant Θεὸς, ὕλη, ἰδέα, *Deus, materia, forma.*

6. *Trigonorum.*] Secundam Hujus vocis corripit licenter, quæ naturâ longa eſt, à Græco *τρίγωνον*. Manil. Aſtron. lib. 2.

Et quæcumque tamen dicuntur ſigna trigona.

7. *Æquilatus*, &c.] Ἰσόπλευρον æquilaterum triangulum, cujus latera omnia æqualia ſunt.

8. *Crure pari.*] Ἰσοσκελὴς cujus duo paria inter ſe latera.

9. *In omnibus impar.*] Σκαληνὸν ex tribus imparibus lateribus conſtans.

10. *Tres coit in partes*, &c.] Numerum perfectum, (ut optimè obſervat Tollius, contra Scaligeri ſententiam) hîc non alium intelligit Auſonius quàm ternarium, Nec ſolus id exiſtimavit Auſon. Sic enim Mart. Capella: *Trias vero princeps imparium numerus, perfectuſque cenſendus. Nam prior initium, medium, finemque ſortitur:* & *centrum medietatis ad initium, finemque interſtitiorum æqualitate componit.* Eadem habet Plutarchus in Problem. Convival. Tres partes in quas coit ſunt tres unitates ex quibus conſtat.

11. *Ut idem congrege ter trino*, &c.] Hæc

[1] Congrege

[1] Congrege ter trino [2] per ter tria diſſolvatur.
[3] Tres primus, par, impar habet, mediumque; [4] ſed ipſe
Ut tres, ſic quinque & ſeptem quoque dividit unus.
Et [5] numero in toto [6] poſitus ſub acumine centri,
[7] Diſtinguit ſolidos cœbo pergente trientes,
[8] Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium: [9] quum quattuor [10] & ſex

INTERPRETATIO.

partes: ita ut idem multiplicatus ter, dividatur in ter tria. Numerus *ternarius primus habet par, impar, & medium: at ipſa unitas quæ eſt in medio, dividit etiam quinarium, & ſeptenarium, & collocata in toto numero* ter trium *in puncto centri, dividit ſolidos quaternarios cubo creſcente, dividens duas partes æquales ex ternario impare* numero, *& poſita in medio trium* numerorum *parium, cum diſtinguitur eadem* unitas quaſi *umbilicus, in quaternario,*

NOTÆ.

omnia quæ ſequuntur de ternario, quæ Vineto Cimmeriæ tenebræ viſa ſunt, non triangulo punctorum Scaligeri, ſed hoc quadrati novenarii ſchemate, mirum quam facilè ponantur ob oculos.

a	b	c
•	•	•
d •	⊙	• e
•	•	•
f	g	h

Sit d, ⊙, e, ternarius cui duo alii ternarii a, b, c,: f, g, h, ſic addantur hinc indè, ut quadratam aream deſignent. Eſto ⊙ quadrati centrum, primò poſiti ternarii media unitas. His poſitis ad ſingula veniamus.

1. *Ut idem congrege ter trino.*] Ternarius d, ⊙, e, cum ternariis a, b, c, & f, g, h.

2. *Per ter tria diſſolvatur.*] Vel in eoſdem ternarios, vel in ternarios a, d, f: b, ⊙, g: c, e, h. Aut etiam in diagonium ternarium a, ⊙, h, & angulares ternarios b, c, e: & d, f, g: aut rurſus in alterum diagonium c, ⊙, f, & angulares b, a, d, & g, h, e.

3. *Tres primus, par, impar habet, mediumque.*] *Par* binarium d, e: *impar* ipſum ternarium d, ⊙, e: *medium* unitatem ⊙.

4. *Sed ipſe ut tres, ſic quinque, & ſeptem quoque dividit unus.*] *Ipſe unus* ipſa unitas ⊙ *dividit* media eſt, & æquales hinc inde partes relinquit in numeris ſequentibus *tres*: puta ternarium primò poſitum d, ⊙, e: *Sic quinque* quinarium b, d, g, e, ⊙, vel a, f, g, c, ⊙, vel a, d, h, e, ⊙, vel alium quem ſimilem. *Et ſeptem quoque* puta ſeptenatium a, d, b, ⊙, g, h, e, vel a, d, f, ⊙, c, e, h: aut ſimilem alium.

5. *Numero in toto.*] In toto novenario quem mox in proprium cubum appellat, *cœbo pergente*, cum ſit tantum quadrata ſuperficies numeri cubici 27.

6. *Poſitus ſub acumine centri.*] *Unus* ſcilicet, ſeu *unitas* ⊙ in puncto centri totius quadrati poſita.

7. *Diſtinguit ſolidos, &c. trientes.*] Intellectus loci hujus duplex eſſe poteſt. Primo per trientes intelligere poſſumus quaternarios geminos, puta a, d, f, g: & b, c, e, h: inter quos media eſt unitas centri ⊙, & eos quodammodo dividit. Quaternarius porrò dicitur triens reſpectu aſſis duodecim unciarum, ad cujus normam cætera pleraque ſolebant dividere, ut hæreditates in libris ICtorum, aliaque multa. Poſſet & ſecundo modo ſic intelligi, ut trientes eſſent ternarii ipſi, quorum unuſquiſque tertia pars eſt novenarii, de quo hîc agitur puta ternarit a, ⊙, h: c, ⊙, f: d, ⊙, e: b, ⊙, g, quos omnes unitas ⊙, in centro quadrati poſita medios dividit.

8. *Æquipares dirimens partes ex impare terno.*] Puta duas unitates d, & e, ex impare terno d, ⊙, e.

9. *Cum quatuor.*] Puta a, f, h, c, vel b, d, g, e.

10. *Et ſex.*] Puta a, b, c, f, g, h: vel a, b, d, g, h, e.

Digitized by Google

[1] Biſque quaternorum [2] ſecernitur omphalos idem.
Jus triplex, [3] tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, [4] & populi commune quod uſquam eſt.
[5] Interdictorum trinum genus: unde repulſus
Vi fuero, aut Utrobi fuerit, quorumve bonorum.
[6] Triplex libertas, [7] capitiſque minutio triplex.
[8] Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo. [9] Triplex quoque forma medendi,

INTERPRETATIO.

& ſenario, & octonario. Jus quod tabula ter quatuor conſtituerunt, triplex eſt, *ſacrum* ſcilicet, *privatum, & quod commune eſt ſemper* toti *populo. Triplex genus eſt interdictorum*, ſcilicet interdictum, *unde vi expulſus fuero*, interdictum *utrobi fuerit*, & interdictum *quorum bonorum. Libertas eſt triplicis generis, & minutio capitis triplex* eſt. *Triplex eſt character orationis, ſublimis, medius, & humilis. Triplex etiam* eſt *genus medicina*, illud *cui ratio, aut*

NOTÆ.

1. *Biſque quaternorum.*] Octo a, b, c, d, f, g, h, e.

2. *Secernitur omphalos idem.*] Eadem unitas ⊙, in centro eorum omnium diſtincta videtur quaſi *ὄμφαλος, umbilicus,* in medio corpore hominis.

3. *Tabula ter quaterna.*] Duodecim illæ tabulæ, ex quibus jus omne Civile Romanorum fluxit, à Decemviris perſcriptæ. De quibus vide Livium lib. 3.

4. *Et populi commune.*] Publicum, quod ad ſtatum Rei Romanæ ſpectat, ſub quo ſacrum etiam complectitur Ulpianus, de Juris diviſione. Vide Inſtit. Juſtiniani Tit. 1.

5. *Interdictorum trinum genus.*] Interdicta, judicia ſunt de poſſeſſione, quaſi interim dicta ſeu pronuntiata, dum de proprietate penitius cognoſcatur. Qnoniam autem de poſſeſſione agi tripliciter poteſt: nempe de poſſeſſione quam amiſeris recuperandâ; de poſſeſſione quam habeas retinendâ; & de poſſeſſione quam nondum apprehenderis adipiſcendâ: inde eſt quod triplex interdictorum genus à Prætore proditum eſt, quibus, à primis uniuſcujuſque, in Prætoris edicto, verbis, nomina indita ſunt. Et recuperandæ quidem poſſeſſionis interdictum, *unde vi.* Retinendæ, *uti poſſidetis*, & *utrobi.* Adipiſcendæ, *quorum bonorum* fuit appellatum.

6. *Triplex libertas*] Intellige non quam habent ex ſeſe ingenui, ſed quam per manumiſſionem libertini conſequuntur. De quâ Imperator Inſtit. Tit. 5. *De libertinis* §. 3. *Libertinorum autem ſtatus tripertitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur, modo majorem & juſtam libertatem conſequebantur, & fiebant cives Romani: modo minorem, & Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii.* Sed Juſtinianus unam tantum voluit eſſe libertatem, majorem ſcilicet, & juſtam, qnæ cum civitate eſſet conjuncta, ut videre eſt eodem in loco.

7. *Capitiſque minutio triplex.*] Maxima, quâ aliquis ſimul & civitatem, & libertatem amittit, ut in iis qui ſervi pœnæ efficiebantur; minor ſive media, cum civitas quidem amittitur, libertas verò retinetur; quod accidit ei cui aqua, & igni interdictum fuerit, vel qui in inſulam eſt deportatus. Et minima, cum retentâ civitate & libertate, ſtatus tantùm mutatur. Puta cum filius familias, qui ſub poteſtate patris erat, juris ſui per emancipationem efficitur; aut contra pater familias per adrogationem in patris adoptivi poteſtatem tranſit.

8. *Trinum dicendi genus eſt.*] Triplex character apud Rhetoras, ſublimis, medius, ſeu mediocris, & humilis ſeu ſimplex, quem *tenui filo* appellat Auſonius.

9. *Triplex quoque forma medendi.*] Dogmatica, Methodica, & Empirica ſeu experimentalis. Serenus Sammonicus;

Quoi logos, aut methodos, cuique experientia nomen.
Et medicina triplex, ſervare, cavere, mederi.
[1] Tres oratorum cultus, [2] regnata Coloſſo
Quem Rhodos, [3] Actææ quem dilexiſtis Athenæ,
Et quem de ſcenis tetrica ad ſubſellia traxit
Proſa Aſiæ, in cauſis [4] numeros imitata chororum.
[5] Orpheos hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flamma.
[6] Triplex ſideribus [7] poſitus, [8] diſtantia, [9] forma.

Interpretatio.

illud cui *methodus*, *aut* illud cui *experientia* dedit *nomen. Triplex quoque* eſt *munus medicinæ, conſervare* valetudinem, *proſpicere* morbis impendentibus, *curare* præſentes. *Tres ſunt ornatus Oratorum*, ille *quem Rhodus Soli ſacra* dilexit: ille *quem amaviſtis ô Athenæ Atticæ: & ille quem oratio Aſiatica à theatro deduxit ad ſevera tribunalia, imitans in cauſis* orandis *pedes chororum* in Tragœdiis. *Inde eſt tripus Orphei, quoniam tria ſunt* rerum principia, *terra, aqua, ignis. Tria* obſervantur *in aſtris, ſitus* ſcilicet eorum, *diſtantia*,

Notæ.

Quod logos, aut Methodus, ſimplexque Empirica pangit,
Hoc liber iſte tenet, diverſo è dogmate ſumptum.

λόγος ratio: μέθοδος via brevis: *ἐμπειρία experientia.*

1. *Tres oratorum cultus.*] Tria ſunt genera Oratorum apud Ciceronem in Bruto, & Quintilianum lib. 12. Inſtit. Oratoriarum: *Attici*, preſſi, & integri: *Aſiani*, inflati, & redundantes: *Rhodii*, medii, & velut ex aliis miſti.

2. *Regnata Coloſſo.*] Soli, qui tutela fuit Rhodiorum, ut ex eorum nummis apparet, alterâ parte Roſam, *ῥόδον*, à quo Rhodii denominati, alterâ Solem exhibentibus, cui Coloſſum, ingentem illam, & quaſi unum ex orbis miraculis celebratam ſtatuam, ex ære in foro ſuo poſuerant. Undè hic Coloſſus pro Sole accipiendus eſt, ut monet Scaliger.

3. *Actææ.*] Vel *Atticæ*, ut verti, vel littorales ſeu ad maris littus poſitæ: *ἀκτὴ, littus, acta.*

4. *Numeros chororum.*] Rhythmum quendam, id eſt legem pedeſtris orationis intelligit Scaliger, quales ſunt numeri Chororum; ut *Pindarici*, qui propterea Horatio dicuntur numeri *lege ſoluti.*

5. *Orpheos hinc tripodes.*] Sic Vinetus ex MS. Lugd. veſtigiis, qui *Orpheos* ab *Orpheus* in patrio caſu, ut à *Tereus*, Tereos, in vitâ humanâ, infra: *Tereos inceſti. Tripodes* autem, id eſt, *τριπόδης* pro *tripus τρίπους* in ſingulari poſitum putat, ut apud Heſiodum in Operibus, & Diebus *τριπόδης ἱππόδης, ὀκτάποδης* inveniuntur, pro *τρίπους, ἵππους, ὀκτάπους.* Quid ſit tripus ille Orphei, ſatis patet ex ſequentibus, tria ſcilicet rerum principia, quæ mox exprimit. Sed quare ea ſub tripodis nomine, aut formâ exprimat, non ita liquet. Liqueret magis fortaſſe, ſi Orphei opera omnia, atque in his præcipuè, ea quæ de rerum principiis ſcripſit, ad nos perveniſſent; reperiremus in iis forſan, tribus his principiis, terrâ, igne, & aquâ, ſeu ut habet Suidas, nocte vel Chao, tanquam tripode totam ſuſtineri rerum naturam, aut aliquid ſimile quod ad hunc locum faceret. Sed quoniam opera illa interciderunt, conjecturis locus relinquendus.

6. *Triplex ſideribus, &c.*] Amplexus ſum Tollii ſententiam, omiſſis Scaligeri explicationibus; omninò interpungendum eſt poſt *forma*: & intelligendus locus, ut expoſui in interpretatione.

7. *Poſitus.*] In Zodiaco, vel extra Zodiacum, in Boreali, vel in Auſtrali cæli parte, &c.

8. *Diſtantia.*] Vel ſiderum inter ſe comparatorum; vel diſtantia à primo puncto Arietis, hoc eſt longitudo eorum in cælo; vel diſtantia à Zodiaco, hoc eſt eorum latitudo.

9. *Forma.*] *Μόρφωσις*, forma ſigni ſeu

[1] Et modus, & genitrix modulorum muſica triplex,
[2] Mixta libris, [3] ſecreta aſtris, [4] vulgata Theatris.
Martia Roma triplex; equitatu, plebe, ſenatu.
[5] Hoc numero Tribus, [6] & ſacro de monte Tribuni.
[7] Tres equitum turmæ: [8] tria nomina nobiliorum.

INTERPRETATIO.

& conſtellatio. Tres ſunt *modi*, *& Muſica* ipſa *parens modorum triplex eſt*, ea quæ *libris inſerta* eſt, *ea quæ ſemota* à nobis *in ſideribus* obſervatur, *& vulgaris* illa quæ *adhibetur in ſcenis. Roma Martia* conſtat *è triplici* ordine, *Equitum*, *Plebis*, *& Senatûs. Eodem numero* fuere *Tribus* Romanæ, *& Tribuni* creati *in monte ſacro. Tres* fuerunt *turmæ equitum:*

NOTÆ.

conſtellationis quam ſtella cum aliis quibuſdam ſtellis conſtituit, ut Delphini, Aræ, Coronæ, Canis, Urſæ, Arietis, &c.

1. *Et modus.*] In Muſicâ triplex. Intellige primarios modos, Dorium, Phrygium, Lydium, à quibus alios profluxiſſe volunt.

2. *Mixta libris.*] Rhythmica. Conſideratio ſcilicet pedum & numerorum in oratione ſive ſtrictâ, ſive ſolutâ.

3. *Secreta aſtris.*] Harmonica orbium cæleſtium motio, mundana Muſica Bœtio.

4. *Vulgata Theatris.*] Quæ fiebat voce, fidibus, flatu, ut ſupra jam vidimus, ubi de certamine Muſarum, & Sirenum.

5. *Hoc numero Tribus.*] Pompon. lib. 1. ff. tit. de origine Juris, & omnium Magiſtratuum, &c. §. 20. *Iiſdem temporibus cum plebs à patribus ſeceſſiſſet, anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creavit, qui eſſent plebeii Magiſtratus: dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: vel quia Tribuum ſuffragio creabantur.* Eadem habet Dionyſ. Halicarn. lib. 2. ubi Romulum ait in tres partes diviſâ univerſâ multitudine, ſingulis præclarum aliquem virum ducem præpoſuiſſe: deinde unamquamque rurſum in decem partitum, totidem fortiſſimos viros eis præfeciſſe. Has triginta Curias, illas ter Tribus vocaſſe. Hæ Tribus appellatæ ſunt Rhamnenſis, Tatienſis, & Lucerum. Rhamnenſis, à Romulo ipſo; Tatienſis à Tito Tatio, Sabinorum Rege; Luceres vel à Lucumone, vel à Luco Aſyli in quem multi, fugâ delati, civitate donati fuerant. Eadem nomina Centuriæ equitum ex iis Tribubus delectæ retinuerunt. Amplificatus deinde variis temporibus Tribuum numerus, ut ex Hiſt. Rom. ſcriptoribus videre eſt. Sed nihil hæc ad hunc locum.

6. *Et ſacro de monte Tribuni.*] Contra hanc Auſonii, & Pomponii loco ſupra laudato, opinionem, non tres in monte ſacro Tribunos, ſed duos creatos eſſe (C. Licinium, & L. Albinum) qui tres Collegas ſibi creaverint, auctor eſt Livius lib. 2. cap. 33.

7. *Tres equitum turmæ.*] Rhamnenſium, Titienſium, vel Tatienſium, & Lucerum de quibus ſupra. Sed juvat Servii verba afferre ad hunc Æneidos verſum lib. 5.

Tres equitum numero turmæ, terníque vagantur
Ductores.

Rem Romanæ militiæ (inquit) *ſuo inſerit carmini: nam conſtat primo tres fuiſſe partes populi Rom. unam Tatienſium à Tito Tatio duce Sabinorum, jam amico poſt fœdera, alteram Rhamnetum à Romulo, tertiam Lucerum, quorum ſecundum Livium, & nomen, & cauſa in occulto ſunt. Varro tamen dicit Romulum dimicantem contra Titum Tatium, à Lucumonibus, hoc eſt Thuſcis, auxilia poſtulaſſe: unde quidam venit cum exercitu, cui recepto jam Tatio, pars urbis eſt data: unde in urbe Thuſcus dictus eſt vicus. Horat.*

——— *Ac Thuſci turba impia vici:*

Ergo à Lucumone Luceres dicti ſunt. Ergo in tres partes diviſus erat populus, adeo ut qui etiam uni præerat parti, Tribunus dicebatur: unde etiam ſumptus dati à populo, Tributa nominantur.

8. *Tria nomina nobiliorum.*] Prænomen,

Digitized by Google

[1] Nomina ſunt chordis tria: [2] ſunt tria nomina Menſi.
[3] Geryones triplex; [4] triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, [5] commiſſa tribus, cane, virgine, piſce.
[6] Gorgones, [7] Harpyæque, & [8] Erinnyes agmine terno.
[9] Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ:
Quarum [10] tergemini fatalia carmina libri:
Quos [11] ter quinorum ſervat cultura virorum.
[12] Ter bibe. [13] Tres numerus ſuper omnia, ter Deus unus.
Hic quoque ne [14] ludus [15] numero tranſcurrat inerti,

INTERPRETATIO.

tria nomina nobiliorum. Chordæ deſignantur *tribus nominibus. Menſis habet tria nomina. Geryon eſt tergeminus. Chimæra compingitur ex tribus* naturis. *Scylla tergemina* eſt, *compacta è tribus, ſcilicet è cane, è puellâ, & è piſce. Gorgones, & Harpyiæ, & Furiæ triplici ſunt catervâ. Et tres ſunt vaticinatrices, Sibyllæ* appellatæ *communi nomine: quarum libri* continentes *verſûs fatales*, ſunt numero *tres: quos Religio quindecim virorum obſervat. Pota ter. Numerus ternarius eſt ſupra cuncta, tres* perſonæ ſunt *unus Deus. Hoc etiam ludicrum* poëma

NOTÆ.

nomen, agnomen; quibus aliquando addebatur cognomen; ut *Publius, Cornelius, Scipio, Africanus.*

1. *Nomina ſunt chordis tria.*] In Tetrachordis veterum muſicorum ὑπάτη *gravis*, μέση *media*, νήτη *acuta*: ſed de his videndi veteres muſici, & ad eos Meibomius.

2. *Sunt tria nomina Menſi.*] Scilicet dies omnes menſium à Kalendis, Nonis, & Idibus denominantur.

3. *Geryones triplex.*] Sic Græcis, Γηρυόνης, non Γηρυὼν dicitur Rex ille Hiſpaniæ cum tribus corporibus & ſenis brachiis, quem Hercules vicit, & cujus abduxit boves.

4. *Triplex compago Chimeræ.*] Ex Leone ſcilicet, Caprâ, & Dracone.

5. *Commiſſa tribus.*] Compacta ex tribus. Virg.

Delphinum caudas utero commiſſa luporum.

Scyllæ fabulam vide apud Ovid. Metam. lib. 14.

6. *Gorgones.*] Tres, Meduſa, Euryale, Stheno.

7. *Harpyiæ.*] Ocypete, Aëllo, Celæno.

8. *Erinnyes.*] Furiæ tres, Megæra, Alecto, Tiſiphone.

9. *Et tres fatidicæ nomen, commune, Sibyllæ.*] Decem ex Varrone, Euſebio, & aliis recenſent Lactantius, & Suidas. Capella eas ad duas redigit; at Solinus vetuſtiſſimos Græcorum ſequutus, tres omninò fuiſſe ait; quem ſequitur noſter: ideò autem *nomen commune* ait, quia, ut refert ex Varrone Lactantius, *omnes fœminæ vates, Sibyllæ ſunt à veteribus nuncupatæ.*

10. *Tergemini fatalia carmina libri.*] Sybyllini libri, quibus Imperii Romani fata contineri credebant, tres fuerunt, teſte Gellio. Unum tantùm ponit Plinius, alii novem.

11. *Ter quinorum, &c.*] Quindecim viri libris Sibyllinis inſpiciendis, quos adibant quaſi oraculum, quum Dei immortales publicè conſulendi erant, ut ait A. Gellius lib. 1.

12. *Ter bibe.*] Ibi deſinit unde ſumpſit exordium.

13. *Tres Deus unus.*] Hæc ex Athanaſii ſymbolo, & Catholicæ Eccleſiæ doctrinâ. *Tres* omninò ponendum; non autem *Ter.*

14. *Ludus.*] Griphus hic de ternario numero.

15. *Numero tranſcurrat inerti.*] Numero verſuum abſolvatur, qui nullam in ſe ternarii vim habeat.

Digitized by Google

[1] Ter decies ternos habeat, deciesſque novenos.

INTERPRETATIO.

ne abſolvatur aliquo *numero* verſuum *nullius virtutis, habeat verſus ter decies tres; aut decies novem.*

NOTÆ.

1. *Ter decies ternos, deciesſque novenos.*] Nonaginta ſcilicet verſus, quot revera habet hoc poëmation. Quos quidem duplici modo numerat, ut ſint decies ter tres, vel decies novem, quod in idem recidit. Mallem ergò hîc cum Tollio *deciesve*, quàm *deciesſque*.

[1] *Technopægnion.* XII.

AUSONIUS [2] Pacato Proconſuli.

337 Scio mihi apud alios pro[3] laboris modulo, laudem non poſſe procedere. Quam tamen ſi tu indulſeris, ut ait Afranius in Thaïde:

Majorem laudem, quam laborem invenero.

Quæ lecturus es, [4] Monoſyllaba ſunt, quaſi quædam puncta ſermonum: in quibus nullus facundiæ locus eſt, ſenſuum nulla conceptio, [5] propoſitio, redditio, concluſio, [6] aliaque ſophiſtica, quæ in uno verſu eſſe non poſſunt: ſed cohærent ita, ut circuli catenarum ſeparati. Et ſimul ludicrum opuſculum texui, ordiri majuſcula ſolitus: [7] ſed in tenui labor, at non tenuis gloria, ſi probantur. Tu facies,

INTERPRETATIO.

Novi me non inventurum apud alios gloriam parem meo *labori. Quam tamen ſi* benignè *conceſſeris, reperero plus gloriæ quam laboris, quemadmodum dicit Afranius in Thaide.* Ea, *quæ* mox *leges, ſunt Monoſyllaba, veluti quædam puncta orationum: in quibus nullus eſt locus eloquentiæ, nulla eſt comprehenſio ſenſuum*, nulla *propoſitio*, nulla *redditio*, nulla *illatio, neque alia ad Sophiſtas* pertinentia: *quæ* omnia *nequeunt reperiri in uno* tantùm *verſu: verùm ſic connexa inter ſe ſunt, ut annuli catenarum diviſi ab invicem. Atque unà compoſui opuſculum ludicrum*, ego *aſſuetus inchoare paulò majora: verùm labor* meus collocatur *in parvâ* re, *at laus* quam inde referam *non* erit *parva, ſi* hæc *placeant. Tu efficies ut ſint*

NOTÆ.

1. *Technopægnion.*] Vocis hujus Etymon vide infra, in fine hujus Epiſtolæ.

2. *Pacato.*] Hic eſt Latinus Drepanius Pacatus, de quo jam in præfatione Ludi ſeptem Sapientum.

3. *Majorem laudem.*] Hic eſt verſus ſenarius ex Afranii comœdiâ togatâ, cui nomen Thaïs.

4. *Monoſyllaba.*] Verba unius ſyllabæ.

5. *Propoſitio, redditio.*] Græci Rhetores πρότασιν, & ἀνταπόδοσιν dicunt. Locum habent in partibus orationis omnibus quæ duplices ſunt, ut in ſimilitudine, diſſimilitudine, diverſis, comparatis, &c. quæ in diſſolutis hujuſmodi verſibus locum habere vix poſſunt.

6. *Aliaque ſophiſtica.*] Rhetorica, ſeu declamatoria. Declamatores enim Græcis σοφισταὶ dicti; talis Libanius & alii.

7. *Sed in tenui labor, &c.*] Virgilianum eſt lib. 4. Georg.

In tenui labor: at tenuis non gloria, ſi quem
Numina læva ſinunt, &c.

ut ſint aliquid. Nam ſine te Monoſyllaba erunt, vel ſi quid minus. In quibus ego, [7] quod ad uſum pertinet, luſi: quod ad moleſtiam, laboravi. Libello [8] Technopægnii nomen dedi: ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuiſſe ludenti. Vale.

INTERPRETATIO.

alicujus pretii. Abſque te enim erunt tantùm *Monoſyllaba, aut ſi aliquid* poteſt eſſe *tenuius. In quibus* componendis, *quod ſpectat ad utilitatem* eorum, *ego nugatus ſum: quantùm* autem *ad difficultatem, laboravi. Libellus* hic *inſcriptus* à me *eſt Technopægnion: ne exiſtimares me laborando non luſiſſe, vel ludendo non adhibuiſſe artem* aliquam meo ludo. *Vale.*

NOTÆ.

1. *Quod ad uſum pertinet.*] Quaſi dicat, ſi quæras cui bono, cui uſui ſunt hæ nugæ? reſpondebo nulli, & me in iis ſcribendis nullius utilitatem ſpectaviſſe, ſed tantùm luſum, & oblectationem meam. Si verò quæras quàm moleſtum mihi fuerit hæc ſcribere, reſpondebo, me in iis ſcribendis plurimùm laboris exhauſiſſe.

2. *Technopægnii nomen.*] Quod eſt à Græcis vocibus, *τέχνη, ars*, & *παίγνιον luſus puerilis.* Hinc Lilius Gryaldus lib. 1. de poëtis: *Eſt Technopægnion (apud Auſonium Gallum) ludicrum quidem poëma, verum multa arte compoſitum.*

AUSONIUS Paulino ſuo.

338 MIſi ad te Technopægnion, inertis otii mei inutile opuſculum. Verſiculi ſunt [1] monoſyllabis cœpti, & monoſyllabis terminati. Nec hic modo ſtetit [2] ſcrupea difficultas, ſed acceſſit ad miſeriam cogitandi, ut idem monoſyllabum, quod eſſet finis extremi verſus, principium fieret inſequentis. Dic ergo &, [3] ô mora, ô pœna!

INTERPRETATIO.

Miſi ad te Technopægnion, inutile opuſculum mei ignavi otii. Metra ſunt inchoata à vocibus *monoſyllabis, & deſinentia in* voces *monoſyllabas. Neque aſpera* illa *difficultas conſtitit intra hos* terminos, *verùm additum eſt ad moleſtiam inveniendi* monoſyllaba, *ut idem monoſyllabum* vocabulum, *in quod ultimum metrum deſineret, evaderet initium ſequentis.*

NOTÆ.

1. *Monoſyllabis cœpti, & terminati.*] Hinc apparet non totum Technopægnii opus ad Paulinum miſiſſe Auſonium, ſed hoc tantùm poëmation quod ſequitur.

2. *Scrupea difficultas.*] Feſtus: *Scrupi dicuntur aſpera ſaxa, & difficilia attrectatu.* Hinc malui vertere *aſpera*, quàm *ænigmatica*, ut Vinetus. Quid enim hic Ænigmaticum ſit, non video. Plurimùm certè eſſe aſperitatis nemo non videt. Vinetus apud Gellium perperam legit *ſcrupos*, cum *ſcirpos* debuiſſet legere; hoc eum in errorem induxit. Locus Gellii eſt lib. 12. cap. 6. *Quæ Græci dicunt ænigmata, hoc genus quidam è noſtris veteribus ſcirpos appellaverunt, &c.*

3. *O mora, ô pœna.*] Non hic *pœnam* pro *labore*, ut Vinetus, intelligo, ſed pro eo, quod apud Latinos ſemper ſignificat, *ſupplicio* ſcilicet; & moram pro tempore, & labore in nugas inutiliter collocato: ut ſenſus ſit, ô labor ſeu opera male inſumpta, ſed quæ ſuum ipſa ſupplicium, culpæ ſuæ pœnam ſecum ferat, temporis malè collocati laborem inanem.

Digitized by Google

[1] rem vanam quippe curavi : exigua eſt, & faſtiditur : inconnexa ; & implicatur : quum ſit aliquid, vel nihili deprehenditur. Laboravi tamen, ut haberet aut hiſtoricon quippiam, [2] aut dialecticon. Nam poëticam, vel ſophiſticam levitatem neceſſitas obſervationis excluſit. Ad ſummam, [3] non eſt quod mireris : ſed paucis litteris additis, eſt cujus miſerearis : neque æmulari velis. Et ſi huc quoque deſcenderis, majorem moleſtiam capias, ingenii & facundiæ detrimento, quam oblectationem, imitationis affectu. Vale.

INTERPRETATIO.

Dic igitur etiam, ô mora, ô ſupplicium ! Scilicet curam impendi rei inani : parva eſt, & tamen *habet tadium; diſſoluta* eſt, & tamen *invenitur : licet ſit alicujus opera,* tamen *invenitur etiam nullius pretii. Dedi nihilominus operam ut contineret aliquid vel hiſtoricum, vel dialecticum. Nam anguſtia* legis mihi *obſervandæ prohibuerunt* ne infererem *nugas* aliquas *poëticas, aut ſophiſticas. Denique nihil* hic *eſt quod mireris : verùm inſertis pauculis litteris, eſt cujus miſerearis,* & *quod non cupias imitari. Ac ſi in hujuſmodi etiam opus incubueris, plus percipias moleſtiæ, ex eo quod nullus* in eo *locus ſit ingenio ac eloquentiæ* tuæ, *quam voluptatis ex cupiditate æmulandi. Vale.*

NOTÆ.

1. *Rem vanam quippe curavi.*] Hæc eſt lectio MS. codicis unius, quam ut aptiſſimam ſequutus ſum.

2. *Aut dialecticon.*] Quod diſſertationem aliquam habeat. Suſpicatur Vinetus *didacticon*, hoc eſt, *quod doceat* ; bene.

3. *Non eſt quod mireris, ſed &c. cujus miſerearis.*] Paronomaſia.

Verſus monoſyllabis cœpti, & finiti, ita ut à fine verſus ad principium recurrant.

339 Res hominum fragiles alit, & regit, & perimit fors.
Fors dubia, æternumque labans : quam blanda fovet ſpes.
Spes nullo finita ævo : cui terminus eſt mors.
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox.
[1] Nox obitura vicem : remeaverit aurea quum lux.
Lux dono conceſſa Deum, cui prævius eſt ſol.
Sol, cui nec [2] furto Veneris latet armipotens Mars.

INTERPRETATIO.

Fortuna nutrit, & *gubernat,* & *deſtruit res fragiles hominum. Fortuna,* inquam, *incerta,* & *perpetuo vacillans : quam ſpes blandiens ſuſtentat. Spes nullo tempore circumſcripta, cui mors finis eſt. Mors rapax, quam nox premit tenebris Tartareis. Nox,* inquam, *ceſſura loco, quando dies aureus redierit. Dies datus* nobis *munere Deorum, quem Sol præcedit. Sol cui Mars bellipotens, ne in adulterio quidem Veneris,* poteſt eſſe *abſconditus. Mars genitus ſine*

NOTÆ.

1. *Nox obitura vicem.*] Obſervant Accurſ. & Vinet. legi in MS. cod. *Nox ſortita vices.*

2. *Furto Veneris.*] Lege ex MS. *furto in Veneris*, & intellige adulterium, in quo Mars cum Venere deprehenſus, & irretitus à Vulcano eſt : de hoc, in Gripho, ad hæc verba, *ſerus deprehenſo Marte ſatelles.*

Mars

[1] Mars nullo de patre ſatus: [2] quem Threſſa colit gens.
Gens infrena virum: quibus in ſcelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare ſacris: ferus iſte loci mos.
Mos ferus audacis populi: quem nulla tenet lex.
Lex naturali quam condidit imperio jus.
Jus genitum pietate hominum, jus certa Dei mens.
Mens, quæ cæleſti ſenſu rigat emeritum cor.
Cor vegetum [3] mundi inſtar habens, animæ vigor ac vis.
Vis tamen hîc nulla eſt: [4] verum eſt jocus [5] & nihili res.

INTERPRETATIO.

patre, quem natio Thracum veneratur. Natio hominum indomita, quibus jus eſt *ferri in omne genus criminum. Jus* eſt *immolare hominem in ſacris. Hic* eſt *mos crudelis* illius *regionis. Mos crudelis gentis ferocis, quam nulla lex coërcet. Lex,* inquam, *quam juſtitia tulit dominatione* ſuâ *naturali. Juſtitia orta ex pietate hominum; juſtitia quæ procul dubio eſt mens Dei. Mens quæ imbuit cogitatione cæleſti cor dignum* illâ. *Cor* illud *vividum quod habet figuram mundi, quod eſt animæ virtus, & robur. Nullum tamen robur eſt in his* verſibus: *ſed* tantum *luſus, & res nullius pretii.*

NOTÆ.

1. *Mars nullo de patre ſatus.*] Junonis ſine patre filius. Vide Ovid. l. 5. faſtorum.

2. *Quem Threſſa colis gens.*] Et cui homines immolat, teſte Pomp. Mela lib. 2. de ſitu orbis, & Auſonio infra.

3. *Mundi inſtar habens.*] Figuram mundi. Ferè rotundum cor eſt, ut mundus.

4. *Verum eſt jocus.*] MS. quidam *tantùm* non malè.

5. *Et nihili res.*] Poëmation eâdem voce *res* abſolvit, à quâ inchoaverat.

Præfatio Monoſyllaborum tantum in fine poſitorum.

340 UT in vetere verbo eſt, [1] Sequitur vara vibiam: ſimilium nugarum ſubtexo nequitiam. Et hi verſiculi Monoſyllabis termi-

INTERPRETATIO.

Quemadmodum fertur veteri adagio, Vara ſequitur vibiam: ego *ſubnecto nugas* carminum *ſimiles* ſuperioribus. *Hi quoque verſus finiuntur* vocibus *monoſyllabis, initio tamen*

NOTÆ.

1. *Sequitur vara vibiam.*] Pro hoc editiones vulgatæ habebant: *ſequitur ver hyemem*, perperam corruptum inſcitiâ librariorum, qui nec *varam*, nec *vibiam* intelligebant. Quomodo etiam legit Eraſmus. Reſtitutum eſt ex veteri MS in quo legitur *ſequitur vara bibiam*, &c. Quod proverbium ex veteribus Gloſſis MSS. in quibus hæc leguntur: *Varam vibia. Perticæ duæ ſunt inter ſe colligatæ, quæ aſſerem ſuſtinent.* * *Unde proverbium: Vibia varam ſequitur.* Scaliger ſic exponit: *Vara*, inquit, ſignificat perticam ab ſummo furcillatam, ut colligimus ex illis Gloſſis: (& ex Vitruv. lib. 10. cap. 19.) *Vibia* autem perticam tranſverſam, quæ furcillæ illi impoſita, & colligata eſt. Quare ſi *vara* cadat, & *vibiam* ſimul cum illâ cadere neceſſe eſt. Unde rectè dictum: *varam vibia ſequitur*, &c. Sed undè dicta ſit *vibia*, inquit idem,

Digitized by Google

nantur, exordio tamen libero, [1] quanquam ſine legitimo. Sed laboravi, ut quantum ejus poſſet apud aures indulgentiſſimas, abſurda concinerent, inſulſa reſiperent, hiulca congruerent: denique haberent & amara dulcedinem, & inamœna venerem, & aſpera lævitatem. Quæ quidem omnia quoniam inſuavis materia devenuſtat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede ſecurior, quippe meliora: ut, quod [2] per adagionem cœpimus, proverbio finiamus, & [3] Mutuum muli ſcabant.

Æmula diis, naturæ imitatrix, omniparens ars,

Interpretatio.

libero, quamvis termino legi adſtricto. Sed ſtudui, ut, quantum impetrari poſſet apud aures benigniſſimas, hæc naturâ ſuâ *abſona conſonarent, inſipida ſaperent, abrupta connecterentur: denique* ut *& amara haberent ſuavitatem, & ingrata leporem, & impolita expolitionem. Quæ cuncta, quia materia injucunda deturpat, oportet ut lectio indulgens reddat grata. Tu etiam committe mihi confidentius tua* carmina, *utpote meliora* meis: *ut finiamus adagio quod inchoavimus à proverbio, & muli ſeſe invicem fricent.*

O ars imitans deos, æmulatrix naturæ, omnia producens, ut luſus hic *meus placeat Pacato,*

Notæ.

& utrum *bibia* ut in Auſonio, an *vibia*, ut in Gloſſis, ſcribendum ſit, neſcio. Mihi ſufficit & proverbium, & ejus interpretationem ex veteri Grammatico indicaſſe. Proverbium quadrat in eos, qui cum uni vitio indulſerint, deploratâ omni verecundiâ, & profligato pudore, ad alia præcipites feruntur, quaſi omni jactâ bonorum aleâ, &c. Deinde aliam explicationem affert: Sed præſtiterit, inquit, duo nomina propria interpretari vibiam, & varam. Nam *vibii*, & *vari* nomina gentilitia Romæ. *Vara vibiam*: hoc eſt τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἕπεται. Hæc Scaliger. Liceat poſt tanti viri expoſitiones, noſtram afferre. Pro *bibiam* quod in Auſoniano MS. ſupra laudato legitur, legi poſſe facili mutatione b. in v. putem tam *biviam* quam *vibiam*, quod habent Gloſſæ Scaligero laudatæ: & biviam *valgam* interpretor, hoc eſt auctore Feſto, quæ crura habeat extrorſus obtorta & incurva, ut *bivium* referant, & quæ incedendo bina quodammodo itinera pedibus ambobus calcet, ſicque jure dicatur *bivia*. Vari autem, teſte eodem Feſto, Valgis contrarii ſunt qui crura habent introrſus incurva. Undè facilis & apertus proverbii ſenſus, *ſequitur vara biviam*, ſeu *valgam*, vitium unum aliud poſt ſe vitium trahit, nugas aliæ nugæ ſequuntur. Qui ſenſus eſt Auſoniani hujus loci.

1. *Quanquam ſine legitimo.*] Et legi adſtricto, ut ſemper in monoſyllabam vocem deſinat.

2. *Per adagionem.*] Proverbium *ſequitur vara*, &c. de quo ſupra.

3. *Mutuum muli ſcabant.*] Proverbium tunc locum habens, cum improbi, atque illaudati ſe viciſſim mirantur, ac prædicant; ut cum indoctum indoctus, deformem deformis, improbum improbus viciſſim laudat, quales illi fratres apud Horatium:

> *Frater erat Romæ Conſulti Rhetor, ut alter*
> *Alterius ſermone meros audiret honores,*
> *Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mutius*
> *ille, &c.*

Petitum à Mulorum (quod & cætera jumenta factitant) conſuetudine, ut ſeſe invicem dentibus ſcabant. Similia huic: *Senes mutuum fricant*, & *tradunt operas mutuas*, & *manus manum lavat*, vel *fricat*, &c.

Digitized by Google

[1] Pacato ut ſtudeat [2] ludus meus, eſto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec congrua carminibus lex,
Judice ſub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe & ridiculis data gloria, ni prohibet ſors.

INTERPRETATIO.

Sis dux meo *operi. Hæc lex quanquam ſtricta, inſuavis, neque conveniens verſibus, tamen obtinebit veniam loquendi apud tantum judicem. Laus enim* ſua *conceditur etiam ludicris rebus, niſi fortuna vetat.*

NOTÆ.

1. *Pacato.*] Latino Drepanio Pacato, cui opuſculum hoc dicat, ut in præfatione ſeu Epiſtolâ nuncupatoriâ obſervavimus ſupra.

2. *Ludus meus.*] Lectio hæc eſt veteris codicis. Vulgati libri multi habuerunt *labor hic meus*, quod ferri etiam poteſt.

De membris.

341 [1] INdicat in pueris ſeptennia prima novus dens.
[2] Pubentes annos robuſtior anticipat vox.
Invicta & ventis, & ſolibus, eſt hominum frons.
[3] Edurum [4] nervi [5] cum viſcere conſociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Unde vigent ſenſus, dominatrix quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulata lege loquax os.
Quam validum eſt, hominis quota portio, [6] cæruleum fel!
Quam tenue, & mollem quantam fert corpoream crus!
Pondere ſub quanto noſtrum moderatur iter pes!

INTERPRETATIO.

Deus renovatus oſtendit in pueris ætatem ſeptem annorum. vox vegetior prævenit annos pubertatis. Frons hominum eſt patiens ventorum, & ſolis. Nervi connectunt os durum cum carne. Cor vividum, rotundum, acre, calidum, movetur ſine quiete. A quo ſenſus vigorem accipiunt, quos animus dominator vivificat, & os garrulum transfert in voces numeris circumſcriptas. Fel cærulum, quam parva pars hominis, quantæ virtutis eſt! Quam exile eſt *crus, & quantam corporis maſſam ſuſtinet! Sub quanto onere pes regit noſtrum inceſſum.*

NOTÆ.

1. *Indicat in pueris, &c.*] De hoc conſimiliter Hippocrates lib. de ſeptimeſtri partu, & Gell. lib. 3. affirmant, anno pueri ſeptimo, primos ejus dentes cadere, & alios renaſci.

2. *Pubentes annos.*] Decimum quartum completum: quod pubertatis tempus Imperator ſtatuit naturam ſecutus ducem, ſublato turpi more adoleſcentium corpora nuda inſpiciendi, ad dignoſcendam eorum pubertatem, ut refert ipſe Inſtit. *Quibus modis tutela finitur.* Vox porrò ut Plinius refert lib. 11. c. 51. roborari incipit anno decimo tertio.

3. *Edurum.*] Id eſt, *valdè durum.*

4. *Nervi.*] Tendines intellige, quibus inſertiones muſculorum in oſſa fiunt.

5. *Cum viſcere.*] Cum carne muſculorum, quæ *viſcus*, & *pulpa* dicitur.

6. *Cæruleum fel.*] In parvâ veſiculâ jecori adhærente contentum.

Inconnexa.

342 SÆpe in conjugiis [1] fit noxia, ſi nimia eſt dos.
Sexus uterque potens, ſed prævalet imperio mas.
[2] Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, & fœdera diſſociat lis.
Incipe, quidquid agas: [3] pro toto eſt prima operis pars.
Inſinuat cœlo, diiſque inſerit emeritos laus.
Et diſciplinis conferta eſt, & vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus eſt arx.
Auro magnus honos, auri pretium tamen eſt æs.
Longa dies operoſa viro, ſed temperies [4] nox,
Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens.
[5] Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

INTERPRETATIO.

Sæpe peccatur in matrimoniis, ſi dos eſt amplior. Sexus uterque validus eſt, ſed maſculus præpollet imperio. Ille *rex erit qui benè aget, non* autem *qui imperat* cæteris. *Lis torquet amicitias, & disjungit ſocietates. Quodcunque facere* vis, *incipe* maturè: nam *principium operis eſt loco totius. Laudatio inſerit cœlo, & miſcet ſuperis* eos *qui* illam *meruere. Civitas repleta eſt* bonis *artibus, & malis. In urbibus munitis, arx munitior eſt* ipſis *urbibus. Magnus* habetur *honos auro, aurum tamen æſtimatur ære. Dies longa laborioſa eſt homini, verùm nox* illam *temperat. Quâ* nocte *regio Æthiopum deſtituitur,* quæ *natio ſemper vigilat ſine quiete, ubi lux clara fulget ſemper perpetuâ circumverſione.*

NOTÆ.

1. *Fit noxia, ſi nimia eſt dos.*] Juvenalis:
Intolerabilius nihil eſt quam fœmina dives.
Vide Plautum Aulul. act. 3. ſcen. 5. & Martial. lib. 8. epigram. 12.

2. *Qui rectè faciet, &c.*] Deſumptum ex Epiſtola 1. Horatii.

3. *Pro toto eſt prima operis pars.*] Huc facit illud Horatianum:
Dimidium facti qui cœpit habet.

4. *Nox qua caret Æthiopum, &c*] Hallucinatur Auſonius, qui Æthiopibus dies abſque nocte tribuit. Habent illi, ut pote ſub zonâ torridâ poſiti, noctes ferè ſemper diebus æquas.

5. *Semper ubi æterna vertigine, &c.*] Hoc de illis verum, qui ſub mundi polis habitant (ſi quos habent regiones illæ incolas, quæ ſunt æternis damnatæ pruinis) quibus ſol non æternâ quidem, ſed continuâ ſemeſtri vertigine fulget, ſex poſtea menſes ſub terrâ latens. At non hoc Æthiopibus convenit, ut ex orbis deſcriptione, & doctrinâ ſphæricâ demonſtratur.

Digitized by Google

De deis.

343 SUnt & cælicolum Monoſyllaba. [1] Prima deûm Fas,
Quæ Themis eſt Grajis. Poſt hanc [2] Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Jovis & [3] Conſi germanus, Tartareus Dis.
Et ſoror & conjunx fratris, [4] regina deûm, Vis.
Et qui [5] quadrijugo curru pater invehitur Sol.
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars:
Quem nunquam pietas, nunquam bona ſollicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, [6] Mænalide Pan,
[7] Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.
Fluminibuſque Italis præpollens [8] ſulphureus Nar.
[9] Quæque piat divûm perjuria, nocticolor Styx.

INTERPRETATIO.

Sunt etiam nomina *deorum monoſyllaba. Primum numinum* monoſyllaborum *eſt Fas, quod appellatur Themis à Græcis. Poſt illud* eſt *Rhea, quæ* dicitur *Latinis Ops. Deinde Infernus Dis frater Jovis, & Neptuni. Et Vis regina deorum, ſoror* Jovis, *& uxor fratris* ſui. *Et Sol pater, qui vehitur curru* tracto *à quatuor equis. Et Mars bellator, qui excitat feros tumultus belli: quem nunquam Pietas, nunquam bona Pax afficit. neque omitteris* à me, ô *Pan Mænali præſes habitator ſylvarum, neque* tu ô *Lar ſate Larundâ, adsum Deus. Neque Nar olens ſulphur, ſuperans fluvios Italiæ. Et Styx tenebricoſa, quæ expiat perjuria Deorum.*

NOTÆ.

1. *Prima deûm Fas*] Obſerva *Fas* fœmineum, cum Deam Themidem ſignificat. *Primam Deûm* appellat; antiquiſſima quippe fuit, cœli filia, Jovis ſoror, & oracula Delphis, & in Parnaſſo habuit ante Apollinem. De hac plura vide apud Lilium Gyraldum Syntagm. 15.

2. *Rhea.*] Et Cybele. Latinis Ops, & magna mater, & mater Peſſinuntia. Cætera ejus nomina vide apud Lil. Gyrald. Syntag. 4.

3. *Conſi.*] Vide epigram. 69.

4. *Regina Deûm Vis.*] Vis ſeu Violentia Stygis filia eſt in Theogoniâ Heſiodi; at hic *Vis Deûm Regina*, eſt Juno Jovis & ſoror & conjux, quam *Vim Deorum* appellat, ad illud Virgilii reſpiciens lib. Æneid. 7. *Cæleſtum Vis magna jubet*, ubi Junonem intelligendam ſentiunt veteres interpretes, ut & in hoc:

—— *Vel quæ portenderit ira*
Magna Deûm.

5. *Quadrijugo curru.*] Quatuor Solis equi ab Ovid. memorantur l. 2. Metam. Pyrous, Eous, & Æthon, quartuſque Phlegon.

6. *Mænalide Pan.*] Mænalus mons eſt Arcadiæ Pani ſacer.

7. *Nec Genius domuum.*] Apuleius noſter in de Deo Socratis: *Eſt & ſecundo ſignificatu ſpecies Dæmonum animus humanus, emeritis ſtipendiis vita, corpori ſuo abjurans. Hunc vetere Latina lingua reperio lemurem dictitatum. Ex hiſce ergo lemuribus, qui poſterorum ſuorum curam ſortitus, placato & quieto numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris.* Eadem habet Mart. Capella. *Lares* tamen ex Mercurio & Larâ ſeu Larundâ Nymphâ genitos crediderunt. Vid. Ovid libro ſecundo, Faſt. & Lactant. libro ſecundo, Divin. Inſtitut.

8. *Sulphureus Nar.*] Virg. *Sulphurea Nar albus aqua.* Umbriæ fluvius eſt hodie *Negra*, teſte Leandro. Hic pro fluminis Deo ponitur.

9. *Quæque piat divûm perjuria nocticolor Styx.*] Id ſortita honoris, ut ejus Dii timeant jurare & fallere numen, propter Victoriam Stygis filiæ, quæ Diis aſ-

Digitized by Google

[1] Velivoliſque maris [2] conſtrator Leuconotos Libs.
Et nunquam in dubiis [3] hominem bona deſtituens Spes.

INTERPRETATIO.

Et Leuconotus Africus, qui ſternit æquor velivolum. Et bona Spes nunquam deſerens hominem in rebus *anguſtis.*

NOTÆ.

titerat in bello Gigantum; ob quod Jupiter ſtatuit, ut qui Deorum fefelliſſet ejus numen, anno uno & diebus novem ab ambroſiâ, & nectare prohiberetur. *Noctícolor* dicitur ab obſcuritate inferorum.

1. *Veliveliſque maris.*] Mare *Velivolum* dicitur, quòd in eo naves velis volent, ceu aves pennis in aëre.

2. *Conſtrator Leuconotos Libs.*] Leuconotus, quem Libem appellat, ventus eſt Notum inter & Favonium flans ab occiduis Libyæ partibus, Italiæ reſpectu. Albus dicitur Horatio, lib. 1. Od. 7.

Albus ut obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe notus, neque parturit imbres
Perpetuos, &c.

Ex quo intelligere licet quid velit Auſonius, cum eum maris conſtratorem appellat, ſcilicet innuit eum placidè flando, & nubes pellendo, mare tranquillum & planum reddere, ac aptum navigationi. Sic apud Virgil. lib. 5. Æneid.

——— *Placidi ſtraverunt æquora venti.*

Hoc eſt plana fecerunt, quæ prius intumuerant. De vento autem Libe hic tanquam de Deo loquitur.

3. *Hominem bona deſtituens Spes.*] Omnino accedo ad mentem Tollii, qui legit *hominem*, non *hominum*, ſicque expreſſi in interpretatione, & excudendum curavi: de Spe quoque ut de Deâ hic loquitur.

De cibis.

344 NEc noſtros reticebo cibos, quos priſcus habet mos,
Irritamentum quibus additur æquoreum ſal.
Olim communis pecori cibus, atque homini glans,
Ante equidem campis quam ſpicea ſuppeteret frux.
[1] Mox ador, atque adoris [2] de polline pultificum far,
[3] Inſtruxit menſas quo quondam Romulidûm plebs.
Hinc cibus, hinc potus, [4] cum dilueretur aqua puls.

INTERPRETATIO.

Neque tacebo noſtra alimenta, quæ antiquus uſus habet, quibus ſal marinum adiungitur ad excitandam famem. *Quondam glans* erat *eſca communis pecori, & homini, certè priuſquam fruges ariſtis* contentæ, ipſi *præſtò eſſent in arvis. Dein ador* adfuit, *& far pulti faciendæ aptum ex* tenui *farinâ adoris, ex quo plebecula Quiritium olim adornavit menſas. Ex eo* ſibi parabant *cibum, & potum, diluendo pultem aquâ. Inter fruges eſt gith æquans* ſa-

NOTÆ.

1. *Mox ador.*] Genus eſt farris & frumenti apud Feſtum, Nonium, & Servium.

2. *De polline.*] Pollen tenuiſſima farina eſt, quæ volitat dum ſuccernitur.

3. *Inſtruxit menſas, &c.*] Plin. lib. 18. Natur. Hiſtor *Pulte autem non pane vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum: quoniam inde & pulmentaria hodieque vocantur.*

4. *Cum dilueretur.*] Ad potum ſcilicet.

Digitized by Google

Eſt inter fruges [1] morſu piper æquiparans — gith.
[2] Et Peluſiaco de ſemine plana, teres — lens.
Et duplici defenſa putamine [3] quinquegenus — nux.
Quodque cibo & [4] potu placitum, labor acer apum, — mel.
Naturæ liquor iſte novæ : [5] cui ſumma natat — fæx.

INTERPRETATIO.

pore *piper cum manditur.* Eſt *& lens plana , & rotunda ,* orta *ſemine Peluſiaco. Et nux quintuplicis generis protecta gemino involucro. Et mel jucundum eſu , & potu* , productum *aſſiduo labore Apum. Liquor hic* eſt *natura ſingularis : cui fax in ſummo natat.*

NOTÆ.

1. *Morſu piper æquiparans gith.*] Plin. lib. 19. cap. 8. *Gith piſtrinis , aniſum , & anethum culinis , & medicis naſcuntur.* Idem lib. 20. c. 17. *Gith ex Græcis alii Melanthion alii Melanſpermon vocant. Optimum quam excitatiſſimi odoris , & quam nigerrimum. Medetur ſerpentium plagis & ſcorpionum.* Ruellius de ſtirpibus lib. 3. c. 51. *Gith Officina Nigellam Romanam appellant , rura noſtra* poevrette *quaſi piperaceam dicunt , quod odoratam piperis modo referat acrimoniam , aut quia piperis vice in multis utantur.*

2. *Et Peluſiaco , &c. lens.*] Peluſium oppidum , & unum ex Nili oſtiis ſeptem , ubi lens optima naſcebatur. Virg. Georg. lib. 1.

Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.

3. *Quinquegenus Nux.*] Quinque illa nucis genera ſunt apud Dioſcoridem , & Plinium , Iuglans , Avellana , Amygdala , Caſtanea , & Pinea nux.

4. *Potu placitum.*] In Hydromelis , & Mulſo.

5 *Cui ſumma natat fæx.*] Macrob. Saturn. lib. 7. *Mel quod optimum eſt reliquo ponderoſius eſt. In vaſe igitur mellis pars quæ in imo eſt utique præſtat pondere , & ideo ſupernante pretioſior eſt. Contra in vaſe vini pars inferior admixtione fæcis non modo turbulenta , ſed & ſapore deterior eſt , &c.* Et paulo ſupra : *Fæcis materia ut ſpiſſa atque terrena cæteris laticibus pondere præſtat , melle vincitur , ideo in illis gravitate demergens ad fundum decidit ; in melle vero , ut levior , de loco victa surſum pellitur.*

De hiſtoriis.

345 Solamen tibi, Phœbe, novum dedit [1] Oebalius — flos.
Flore alio reus eſt Narciſſi morte ſacer — [2] fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus — Sus.

INTERPRETATIO.

O Apollo , flos Hyacinthus præbuit tibi novum ſolatium. Fons accuſatur ob alium florem , deteſtabilis ob letum Narciſſi. Aper fulmineis dentibus *peſſimè gloriatur ob interfectum Adoni-*

NOTÆ.

1. *Oebalius flos.*] Hyacinthus Oebali Laconiæ Regis filius , Apollini amatus , ab eodem , diſci jactu , per imprudentiam interfectus , in florem deinde mutatus eſt , Vid. Ovid. Metamorph. lib. 10. fab. 6.

2. *Fons.*] In quo, ceu in ſpeculo, ſeſe viderat , ac ſui correptus amore tabuerat Narciſſus.

[1] Perjurum Lapitham Junonia ludificat [2] nubs.
[3] Ludit & Æaciden Parnaſſia Delphicolæ ſors.
[4] Threïcium Lybicum freta Cimmeriumque ſecat bos.
Non ſine [5] Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
[6] Quo generata Venus, Saturnia deſecuit falx.
[7] Sicca [8] inter rupes Scythicas ſtetit alitibus crux,
Unde Prometheo de corpore ſanguineus ros.
Aſpergit cautes, [9] & dira aconita creat cos.

Interpretatio.

dem. Nubes pro Junone ſuppoſita *deludit Lapitham perfidum. Oraculum etiam Parnaſſium* Dei *Delphos incolentis ludificat Pyrrhum. Bos tranat freta Thracium, Ægyptium, & Cimmerium. Truncus arboris non ruit abſque morte Hamadryadis* in eo viventis. *Falx Saturni abſcidit* illud, *unde progenita Venus eſt. Crux arida erecta eſt inter cautes Scythiæ avibus* expoſita, *ex quâ liquor cruentus* ſtillans *è corpore Promethei, irrigat rupem & rupes producit tetra*

Notæ.

1. *Perjurum Lapitham.*] Ixionem quem hîc *perjurum*, Horat. in arte poëticâ *perfidum* appellat: quod nomen duplici perfidiâ eſt meritus, ut ex Acrone in Horatium, & interprete Pindari, [illegible] Ειδ. β. cognoſcitur. Alterâ, quia Socer[illegible] Deioneum, cujus filiam Diam uxor[illegible] duxerat, munera ſponſarum patribus t[illegible]nc da[illegible]ri ſolita flagitantem, foſſâ materiæ ignem facilè corripientis plenâ deluſum, ſub epularum ſpecie, combuſſit. Alterâ, quòd à Jove expiatus, deletâ tanti ſceleris maculâ, & ab eo Deorum contubernio adſcitus, tanti beneficii immemor, Junonem ejus uxorem ſtuprare voluerit. Pro quâ, ſuppoſitâ [illegible]nube Centauros genuit, qui inde appellantur Nubigenæ. Hinc, rotæ in inferis affixus ſemper volubili, pœnas perfidiæ luere fingitur.

2. *Nubs.*] Licenter pro *nubes: nam nubs non dicimus*, inquit Servius ad hunc lib. 10. Æneid. verſum:

Tum Dea Nube cava, &c.

3. *Ludit & Æaciden, &c. ſors.*] Pyrrhum ab Achille, qui Æaci nepos erat, originem trahentem deluſit Delphicum Oraculum, hoc amphibolico verſu decantatiſſimo:

Aio te, Æacida, Romanos vincere poſſe.

Quo inductus Romanis bellum intulit, à quibus victus oraculum demùm, ſed ſerius, intellexit.

4. *Threicium, Lybicum, &c. ſecat bos.*] Intellige bovem in quam mutata Io, œſtro percita, ex Europâ in Aſiam per *Boſphorum Thracium*, vel ut alii ſcribunt, per *Cimmerium* trajecit, atque inde tranato [illegible]i quod Aſiam inter, & Libyen, hoc [illegible]fricam, intercedit, pervenit in Ægy[illegible], ubi culta ſub Iſidis nomine eſt. [illegible]uidam habent:

Et furiata œſtro tranat mare Cimmerium bos.

5. *Hamadryadis.*] Nymphæ fuerunt dictæ Hamadryades, quòd, ἅμα τῇ δρυΐ, ſimul cum quercu, in quâ habitabant, & viverent, & morerentur. Vide Eriſichtonis fabulam lib. 8. Metam.

6. *Quo generata Venus.*] Nempe cœli pudenda, è quibus à Saturno falce abciſſis, ac in mare delapſis, orta Venus eſt. Vide ſupra epigr. 33.

7. *Sicca.*] Vinetus legit *ſæva*. *Sicca loca* Scaliger interpretatur *frigida*. Certè *ſæva* non reſpuo; facit enim ad locum hunc.

8. *Inter rupes Scythicas ſtetit alitibus crux.*] In Caucaſo monte Scythiæ fabulati ſunt affixum Prometheum, & renaſcens ſemper ejus jecur aquilam depaſci.

9. *Et dira aconita creat cos.*] Aſperſa ſcilicet illo ſanguine. Ovid. ex ſpumâ Cerberi ex inferis ab Hercule educti, natum aconitum fabulatur, non ex Promethei ſanguine. *Cos* hic eſt *Cautes*. In cautibus porrò naſci, & inde habere nomen proditum eſt Plin. lib. 27. cap. 3. *Naſcitur*

Ibycus

Digitized by Google

[1] Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
[2] Æacidæ ad tumulum mactata eſt [3] Andromachæ glos.
[4] Carcere in Argivo Philopœmena [5] lenta adiit mors.
Tertia opima dedit ſpoliatus [6] Aremoricus Lars.
[7] Sera venenato potu abſtulit Hannibalem nex.
[8] Res Aſiæ quantas leto dedit immeritas [9] fraus!
[10] Ultrix flagravit de rupibus Euboïcis fax.

Interpretatio.

aconita. Poſtquam Ibycus interfectus eſt, grus altè volans ultrix fuit mortis ejus. *Glos Andromachæ immolata eſt ad ſepulchrum Achillis. Mors lenta aggreſſa eſt Philopœmenem in carcere Græco. Lars Gallicus ſpoliatus ſuppeditavit* Jovi *tertia* ſpolia *opima. Mors tarda ſuſtulit Annibalem potione venenatâ. Quam potens regnum Aſiæ dolus deſtruxit! Tæda vindex arſit ex ſce-*

Notæ.

in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideò aconitum aliqui dixere, nullo juxtà, ne pulvere quidem nutriente.

1. *Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.*] Ibycus ex novem Lyricis Græcis Poëtis unus, à latronibus, ut refert Suidas, in ſolitudine deprehenſus, cum jam in eo eſſet, ut ab iis interficeretur, Grues forte illac tranſeuntes mortis ſuæ teſtes & vindices fore comminatus eſt. Paulo poſt autem, cum in urbe mediâ verſarentur ii latrones, ſuper volantibus forte gruibus per jocum inſuſurrare ſibi in aurem cæperunt, *αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισιν adſunt ultrices Ibyci.* Quod cum auditum à circumſtantibus, & ad Magiſtratum delatum eſſet, comprehenſi latrones ac rem in tormentis confeſſi, pœnas dederunt. Extat de hoc epigramma Antipatri in Anthologiâ, in quo, clangore gruum ſupervolantium judicium factum, & latrones captos memoratur. Unde *Vindices Ibyci grues* potiori jure dici videntur, quàm ſi inſuſurrantes ſuo ipſorum indicio latrones periiſſe dicantur.

2. *Æacidæ.*] Achillis Æaci nepotis.

3. *Andromachæ glos.*] Polyxena ſoror Hectoris mariti Andromachæ.

4. *Carcere in Argivo*] In quem à Meſſeniis captus nobilis ille Achæorum Imperator conjectus fuerat. Vide Plutarch. in ejus vita.

5. *Lenta adiit mors.*] Veneno lento conſcita.

6. *Aremoricus Lars.*] Viridomarus Inſubrium Gallorum Rex, quem Plutarchus *Britomartem* vocat. *Aremoricus* dicitur hic pro Gallus, ſynecdoche partis. Eſt enim Galliæ pars *Aremorica.* Dicitur *lar* ſive *lars,* quod occiſus & ſpoliatus à Marcello, tertia opima ſpolia Jovi dedit, ut *lar* ſive *lars,* ſive *lartes* Tolumnius ab A. Corn. Coſſo interfectus ſecunda opima ſpolia dederat, cum prima Romulus ipſe de Acrone Cæninenſium rege Jovi Feretrio tuliſſet. Notum eſt *opima ſpolia* eſſe quæ Imperator Imperatori detrahit. De hoc Marcello Virg. lib. 6. inducit Anchiſen Æneæ apud inferos ſic vaticinantem:

Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirine.

7. *Sera venenato, &c.*] *Sera* hic, non *lenta*, ut ſupra de Philopœmene, ſed quæ, licet violenta, tardè tamen Annibali contigit anno ætatis ſeptuageſimo. Tam grandis enim natu erat, teſte Cornelio Nepote, cum venenum ſumpſit, ne in Romanorum ſeſe flagitantium manus vivus incideret.

8. *Res Aſiæ.*] Regnum Priami.

9. *Fraus.*] Sinonis fictæ lacrymæ, & equi lignei dolus.

10. *Ultrix, &c. fax.*] Quâ è Caphareo Eubœæ promontorio ſublatâ, Nauplius redeuntium Græcorum Naves in ſcopulos allexit ac fregit, Palamedem filium ſuum, quem inſontem infando indicio neci demiſerant, hoc aſtu ulciſcens.

Digitized by Google

Stat Jovis ad cyathum, [1] generat quem Dardanius Tros.
Præpetibus pennis ſuper aëra vectus [2] homo Cres.
Intulit inceſtam tibi vim, Philomela, [3] ferus Thrax.
[4] Barbarus eſt Lydus, [5] bellax Geta, [6] femineus Phryx.
[7] Fallaces Ligures: [8] nullo ſitus in pretio Car.
[9] Vellera depectit nemoralia [10] veſtifluus Ser.

Interpretatio.

pulis Euboea inſulæ. *Filius Trois Dardanii miniſtrat Jovi potum. Homo Cretenſis latus eſt ſuper aërem alis celeribus. Thrax barbarus adhibuit tibi vim inceſtam ô Philomela. Lydi ſunt barbari, Geta bellicoſi, Phryges molles, Ligures doloſi, Cares nihili habentur. Seres affluentes*

Notæ.

1. *Generat quem Dardanius Tros.*] Ganymedes Trois filius in cælum raptus, & pocillator effectus Jovis. *Stat*, propriè de pocillatore, qui ſtat ad cyathum.

2. *Homo Cres.*] Dædalus Cretenſis.

3. *Ferus Thrax.*] Tereus Prognes Philomelæ ſororis maritus. Fabulam vide lib. 6. Metamorph. Ovid.

4. *Barbarus eſt Lydus.*] Plaut. in Bacchidibus act. 1. ſc. 2.

> Lyd. *An deus eſt ullus Suavis-ſuaviatio?*
> Piſtocl. *An non putaſti eſſe? nimium quam, ô Lyde, es barbarus!*
> *Quem ego ſapere nimio cenſui plus quam Thalem,*
> *I ſtultior es barbaro Potitio*
> *Qui tantus natu Deorum neſcis nomina.*

Ad quem locum reſpexit procul dubio Auſonius. Neque enim adeo barbari Lydiæ populi, qui primi monetam percuſſerunt, & inſtituerunt.

5. *Bellax Geta.*] Vetus liber *pellax Geta*, non male. *Pellax* eſt qui blanditiis pellicit & decipit, ut Servus Geta in Phormione Terentii. Suſpicatur Tollius *bellax Geta*, optimè; mox enim opponit *fœmineus Phryx*. Getæ bellicoſi, Horatio *rigidi Getæ*. Priſcianus in Periegeſi:

> *Hic ſunt Germanique truces, & Sarmata bellax,*
> *Atque Getæ.*

Populorum variorum mores refert, ut videre eſt.

6. *Femineus Phryx.*] Sic de Ænea & ſociis ejus Phrygibus Iarbas lib. 4. Æneid.

> *Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu, &c.*

7. *Fallaces Ligures.*] Virg. l. 11. Æneid. de Auno Ligure:

> *Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.*

8. *Nullo ſitus in pretio Car.*] Hinc proverbium, *In Care periculum*, hoc eſt fac periculum in re vili, ut ſi malè ſucceſſerit, diſpendii non multum capias: quod inde tractum autumat Eraſmus, quod Cares mercede pro aliis quibuſvis populis militantes, ab iis primi in acie collocari ſolerent; ut, primos hoſtium impetus, mercede conductorum ac vilium hominum periculo, excipientes, civibus ſuis parcerent.

9. *Vellera depectit nemoralia.*] Prudentius in Hamartig. verſ. 286.

> ——— *Gemmina leves ut robora ſolvant,*
> *Vellere non ovium, ſed Eoo ex orbe petitis*
> *Ramorum ſpoliis fluitantes ſumere amictus.*
> *Gaudent.*

10. *Veſtifluus Ser.*] Orientales populi Seres id cum toto Oriente commune habebant, ut veſtitu affluerent. Lucanus:

> *Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem,*
> *Labitur, emollit gentes clementia cœli.*
> *Illic & laxas veſtes, & fluxa virorum*
> *Velamenta vides. . . .*

loco verſus hujus habent editiones quædam:

> *Res Aſia quantas letho dedit immeritas fraus!*

Digitized by Google

Nota [1] in portentis [2] Thebana tricorporibus Sphinx.
Nota & parvorum cunis, [3] muliebre pecus, Strix.

Interpretatio.

veſtitu carminant lanuginem ſylvarum. Sphinx Thebana cognita eſt *inter monſtra tergemina. Strix, monſtrum femineum, cognita eſt in cunis puerorum.*

Notæ.

1. *In portentis tricorporibus.*] Qualia ſunt Geryon, Chimæra, Harpiæ, &c.

2. *Thebana Sphinx.*] De Sphinge ſupra ad 38. verſum Griphi.

3. *Muliebre pecus Strix.*] Sic malim, quam quod in quibuſdam *muliebre ſecus.* Alii *& muliebre ſcelus* legunt, quod eſſet ſceleſta fœmina, & ut metonymicè loquar, *ſcelus mulieris*; quod etiam ferri poteſt. Eſt enim *Strix* & avis quædam ſeu monſtrum volaticum fœmineum,. ubera noctu infantium labris in cunis dormientium immulgere creditum, & eos enecare, quod ſignificat *muliebre pecus*; & mulier ſaga viſu tactuve pueros faſcinans, quod *muliebre ſcelus.* Sic ſtrigem deſcribit Statius lib. 1. Thebaidos:

— Monſtrum infandis Acheronte ſub imo eſt
Conceptum Eumenidum thalamis, cui Virginis ora,
Pectoraque; æternum ſtridens à vertice ſurgit,
Et ferrugineam frontem diſcriminat anguis.
Hæc tam dira lues nocturno ſqualida paſſu
Illabi thalamis, animaſque à ſtirpe recentes
Abripere altricum gremiis, morſuque cruento
Devesci, & multum patrio pingueſcere luctu.

De vere primo.

346 ANnus ab exortu cum [1] floriparum reſerat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auricomum rus:
Et [2] fuſura umbras radicitus exigitur ſtirps.
Non denſo ad terram lapſu glomerata fluit nix.
Florum ſpirat odor, [3] Libani ceu montis honor thus.

Interpretatio.

Quando annus ab initio aperit Ver quod flores producit, omnia vegeta ſunt: omnis ſylva vireſcit: rura aureis floribus *comata micant: & truncus ab radicibus evellitur*, qui aliàs *expanſurus* erat *umbras. Nix aggeſta ad terram caſu non ſpiſſo, liquitur. Flores odorem exhalant, tanquam thus* quod eſt *decus montis Libani.*

Notæ.

1. *Floriparum.*] A *flore* & *pario* vox Auſoniona, ut ſupra *veſtifluus*, & aliæ non paucæ.

2. *Fuſura umbras.*] Niſi eradicata eſſet.

3. *Libani.*] Montis in Syriâ thuris feraciſſimi. Poſt hunc verſum editiones ſupra memoratæ hunc habent:

Jam pelago volitat mercator veſtiflans Ser.

Per interrogationem & reſponſionem.

347 [1] QUis ſubit in pœnam capitali judicio? — vas.
Quid ſi lis fuerit nummaria, quis dabitur? — præs.
[2] Quis Mirmilloni contenditur? [3] æquimanus — Thrax.
Inter virtutes [4] quod nomen Mercurio? — fur.
Thuribula, & pateræ, quæ tertia vaſa deûm? — lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? — [5] Cos.
Grex magis, an regnum [6] Minoïda ſollicitat? — [7] grex.
Quid [8] præter nubem Phæacibus impoſitum? — [9] mons.

Interpretatio.

In cauſa criminali quis patitur pœnam loco rei? *Vas. Quid ſi cauſa pecuniaria fuerit, quis dabitur* pro cautione? *Præs. Quis componitur cum Mirmillone* in ludis gladiatoriis? *Thrax ambidexter. Cum* enumerantur *virtutes* Deorum, *quod nomen* datur *Mercurio? Fur. Thuribula, & crateres* ſunt vaſa Deorum; præter illa *quænam* ſunt *tertia Deorum vaſa? Lances. Quænam terra mari circumdata tulit Hippocratem? Cos.* Utrum *magis capit uxorem Minois pecus, an regni* decus? *Pecus. Quid impoſitum fuit Phæacibus præter nubem* quâ

Notæ.

1. *Quis ſubit, &c.*] Diſcrimen ponit inter vadem & prædem. *Vas* ſeu *vadis*, teſte Feſto, eſt ſponſor in re capitali datus. *Præs* vero, juxta eundem, qui populo ſe obligat. (pro publicano puta, aut redemptore publici alicujus operis, aut conductore publici agri) interrogatuſque à magiſtratu ſi præs ſit, ille reſpondet, præs.

2. *Quis Mirmilloni, &c. Thrax.*] Mirmillonicum genus armaturæ Gallicum erat, ipſique Mirmillones Galli appellabantur (teſte Feſto in voce *Retiario*) & in eorum galeis piſcis effigies inerat. Cum hoc gladiatorum genere aliud genus committebatur. Thraces dicti, ut vult idem Feſtus à ſimilitudine palmularum (fortaſſe parmularum) Thraciarum. *Thrax* alio etiam nomine *Retiarius* à reti quod tenebat complicatum. Et qui cum eo committitur, *Mirmillo*, etiam *Secutor*, eo quod Retiarium jacto fruſtra reti fugientem, ſtricto gladio perſequeretur. Sed de his vide Lipſ. in Amphith.

3. *Æquimanus Thrax.*] Iſid. lib. 10. cap. 1. *Æquimanus appellatur, qui utraque manu gladio incunctanter utitur.* Ambidextros ejuſmodi appellant. Poſſet tamen hic intelligi *æquâ manu* hoc eſt *æquis viribus commiſſus.*

4. *Quod nomen Mercurio? fur.*] Quod ipſi etiam laudi vertit Horatius lib. 1. od. 10.

Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem:
Callidum quidquid placuit jocoſo
Condere furto, &c.

5. *Cos.*] Inſula Ægæi maris.

6. *Minoïda.*] Non Minois filiam, ſed uxorem Paſiphaen.

7. *Grex*] Non totus grex, ſed formoſus ex armento Taurus. Vide Virg. Ecl. 6.

8. *Præter nubem*] Quâ tectæ Phæacum naves, abſque gubernatore, per mare incredibili celeritate ferebantur, gnaræ ipſæ quæ eſſent hominum conſilia, omnium urbes & agri ubi eſſent, ut fabulatur Homer. Odyſſ. lib. 8.

9. *Mons.*] Reſpicit ad Metamorphoſin navis illius Phæacum, quæ revecto in patriam Ulyſſe, cum in Phæaciam rediret, haud procul Phalacro promontorio in ſcopulum mutata eſt. Intellige ergò per montem qui impoſitus Phæacibus eſt præter nubem, vel Phalacrum promontorium ſcopulo illi è nave facto, & deprehenſis in eo Phæacibus imminens, vel navis ipſius in ſcopolum verſæ antennas & malum, quæ montis duritiem jam induerant.

Digitized by Google

Dic, ceſſante cibo, ſomno quis opimior eſt?	[1] glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat?	[2] glus.
Sponte ablativi caſus quis rectus erit?	ſpons.
Quadrupes oſcinibus quis jungitur auſpiciis?	[3] mus.
[4] Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio?	pix.
[5] Biſſenas partes quis continet æquipares?	as.
Tertia defuerit ſi portio, quid reliquum?	[6] bes.

INTERPRETATIO.

tegebantur? *Mons. Dic quod* animal, *cibo deficiente, pinguius fit dormiendo? Glis. Dic quid reddas coria apta ſcutis? Gluten Quis erit nominativus caſus ablativi ſpons? Sponte. Quodnam* animal *quadrupes in auſpiciis conjungitur cum avibus? Sorex. Quid innatat mari, quod non innatat flumini? Pix. Quis habet duodecim partes æquales? As. Si tertia* ejus *pars defecerit, quid ſupererit? Bes.*

NOTÆ.

1. *Glis.*] Notum glires per Hyemem ſomno indulgere.

2. *Glus.*] Apud Cariſium veterem Grammaticum: *Fœminini generis hæc, arx . . . Glus glutinis. Alii hoc gluten dixerunt, &c.*

3. *Mus.*] Plin. lib. 8. cap. 57. *Quo in genere* (ſomniferorum) *multi & hos incolas domuum poſuere mures, haud ſpernendum in oſtentis etiam publicis animal, &c. Cum candidi provenere, lætum faciunt oſtentum: nam Soricum occentu dirimi auſpicia, annales refertos habemus, &c.*

4. *Quid fluitat pelago, &c.*] Id fit quoniam aqua maris aquâ fluminum gravior eſt, teſte Plin. lib. 2. cap. 103. & quotidianâ experientiâ navium carinas fluminibus altius immergi videmus quàm mari. Pix autem, mediæ cujuſdam gravitatis, eâ fluminâ quidem aquâ gravior, marinâ verò levior eſt.

5. *Biſſenas partes.*] Quarum ſingulæ in aſſe unciæ dicuntur.

6. *Bes.*] Vide Hæreditatis juxta aſſis partes diviſionem apud Ictos. *Bes* ſeu *beſſis* ſunt *binæ aſſis* ſupple *partes*, ſi ſcilicet totum aſſem in tres dividas. Bes itaque unciarum eſt octo.

De litteris monoſyllabis Græcis ac Latinis.

348 DUx elementorum ſtudiis viget in Latiis	A.
Et ſuprema notis aſcribitur Argolicis	Ω.
[1] Hta quod Æolidum, quodque ε valet, hoc Latiale	E.
Præſto, quod E Latium ſemper breve, Dorica vox	E.
Hoc tereti argutoque ſono negat Attica gens	[2] οὐ.

INTERPRETATIO.

A eſt princeps litterarum in ſtudiis Latinis. Et Ω recenſetur ultimus inter characteres Græcos. Ego *E Latinum* idem *valeo, quod* H̄τα *& quod* ε *Græcorum valet, quoniam E Latinum ſemper breve, eſt vox* ε *Græca. Natio Athenienſis utitur ad negandum hoc ſono rotundo, & acuto* οὐ.

NOTÆ.

1. Ἦτα *quod Æolidum.*] Mart. Capella *E vocalis duarum Græcarum vim poſſidet. Nam cum corripitur,* ε *Græcum eſt, ut* ab hoc hoſte: *cum producitur,* Ητα *eſt, ut* ab hac die: idem dic de O quod mox ſequitur; valet enim Ω, cum eſt longum, & ὀμίκρον, cum eſt breve.

2. *οὐ.*] Sonat enim Græcè *non*, quæ vox eſt negantis.

Ω quod & O Græcum compenſat Romula vox — O.
Littera ſum Iotæ ſimilis, [1] vox plena jubens, — I.
[2] Cecropiis ignota notis, [3] ferale ſonans — V.
[4] Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis — Y.
[5] Vocibus in Grajis nunquam ultima conſpicior — M.
Zeta jacens, ſi ſurgat, erit nota, quæ legitur — N.
[6] Mæandrum, flexuſque vagos imitata vagor — Ξ.
[7] Dividuum Betæ monoſyllabon Italicum — B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum — D.
[8] Hoſtilis quæ forma jugi eſt, hanc efficiet — Π.
Auſonium ſi P ſcibas, [9] ero Cecropium — P.
Et Rho quod Græcum mutabitur in Latium — P.
Malus ut antennam fert vertice, ſic ego ſum — T.

INTERPRETATIO.

Romana littera O valet id quod Ω, & O Græcum. Ego *vocabulum integrum Imperans I, ſum littera ſimilis Iotæ. U ſonitum habens funeſtum* ſum littera *incognita inter litteras Atticas.* Ego *Y* via *biſurca Pythagoræ, expandor in* duos *ramos ancipites:* Ego M *nunquam videor poſtrema littera in dictionibus Græcis. Zeta* littera *ſtrata* in latus, *ſi erigatur, erit littera quæ legitur* N. Ego Ξ *erro imitando Mæandrum, & ſinuoſos anfractus. B Latinum unius ſyllabæ, eſt dimidium Betæ* Græci. Ego *D Romanum non habeo figuram ſed ſonum Delta Græci. Π exprimet figuram jugi hoſtici. Si* me *pingas P Latinum, ero* idem *quod Atticum* P, *& quod* eſt P *a Græcum, vertetur in P Latinum. Ego T ſimilis ſum malo ferenti antennam in ſummo. Hæc aſpiratio*

NOTÆ.

1. *Vox plena jubens.*] Imperativus verbi *Eo*, apud Latinos.

2. *Cecropiis ignota notis, &c. V*] Non quòd ejus ſonum non haberet lingua Græca (erat enim vel *u* ſpiſſum quod per *ου* Græcum exprimebatur, vel *u* lenius quod Græcum Υ exprimebat:) ſed quòd ſpiſſum illum vocalis *u* ſonum nulla Græca vocalis haberet, ſed opus eſſet ad eum exprimendum diphthongo *ου*.

3. *Ferale ſonans*] Quòd ulularum, & noctuarum feralium avium cantum imitetur.

4. *Pythagoræ bivium, &c.*] Υ littera diſcrimine ſecta bicorni Pythagoræ dicitur, non quòd Pythagoræ inventum fuerit, fuit enim Palamedis; ſed quod ejus biſurcâ figurâ Pythagoras uteretur in Moralibus ſuis dogmatis, ad geminam virtutis & voluptatis viam demonſtrandam.

5. *Vocibus in Graiis, &c.*] Quintilianus lib. 12. cap. 10. *Quid quod pleraque nos illa quaſi mugiente littera claudimus M, quâ nullum Græcum verbum cadit?*

6. *Mæandrum.*] Aſiæ fluvium ob ſinuoſos ſuos anfractus decantatiſſimum. Pro *vagor* reponebat Turnebus *vocor.* Nihil neceſſe mutare quidquam: *vagor* eſt ducor in chartâ, lineâ inſtar Mæandri errante.

7. *Dividuum Betæ.*] Nempè *Be.* Conſonæ enim, ut pronuncientur, adjunctâ vocali aliquâ opus habent. Hæc in omnibus fermè Latinis conſonis eſt *e* modò poſt poſitum, ut in *be*, ce, de, &c. modò præpoſitum ut in ef, el, em, &c. at in Hebraïcis Græciſque Elementis conſonæ, & alias quoque vocales, & ſyllabas quoque duas ſæpè aſſumunt ut pronuntientur, Beth, Ghimel, Daleth, Beta, Gamma, Delta, &c.

8. *Hoſtilis quæ forma jugi, &c.*] Feſtus: *Jugum, ſub quo victi tranſibant, hoc modo fiebat: fixis duabus haſtis, ſuper eas ligabatur tertia: ſub iis victos diſcinctos tranſire cogebant.* Hinc *hoſtile* dicitur.

9. *Ero Cecropium* Ρῶ.] Figurâ, non ſono.

Spiritus hic, flatu tenuiſſima vivificans H.
Hæc [1] tribus in Latio tantum addita nominibus K.
[2] Prævaluit poſtquam [3] Gammæ vice functa prius C.
Atque aliam pro ſe [4] titulo replicata dedit Q.
[5] Anſis cincta duabus erit quum Iota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
[6] Hæc Gruis effigies [7] Palamedica porrigitur Φ.
Cappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca tricornigera ſpecie, penè ultima ſum Ψ.

Interpretatio.

H vim addit ſpiritu exiliſſimis litteris. Hac littera K *adjecta apud Latinos in vocibus tribus ſolùm, poſtquam C* quæ *antea locum tenebat Gamma prævaluit, & obliquata ſuppeditavit pro ſe aliam nomine tenus* litteram nempe *Q. Quando* littera *Iota erit circumdata duabus anſis, leges* θ. X *Græca littera* nota eſt *denarii numeri apud Latinos. Hac* littera Φ *à Palamede inventa*, *extenditur in formam Gruis.* Ego *fui olim cappa Bœotorum, nunc ſum* K *Latinum. Ego* Ψ *furca, præferens tria cornua ſum fere poſtrema* litterarum.

Notæ.

1. *Tribus in Latio tantum, &c.*] Terentianus Maurus:

> *K ſimiliter otioſa cæteris ſermonibus,*
> *Tunc in uſu eſt, quum Kalendas annotamus, aut Kaput.*
> *Sæpè Kæſones notabant hac vetuſti littera.*

Martian. Capella lib. 3. *K vero nunc nota putatur eſſe, non littera. Nam ejus effectus C integrare non dubium eſt, abſque his Kapita, Kalendæ, Kalumniæ.*

2. *Prævaluit.*] Ut poneretur potius quam K.

3. *Gamma vice functa prius C.*] Hinc in vett. Inſcript. ſæpe invenias *lece* pro *leges Maceſtratus* pro *Magiſtratus*, &c.

4. *Titulo replicata dedit Q.*] Quintilianus lib. 1. cap. 4. *Et Q. cujus ſimilis effectus ſpecieſque, niſi quod paulum à noſtris obliquatur, Kappa apud Græcos, nunc tantum in numero manet.*

5. *Anſis cincta duabus erit quum Iota.*] Intellige *& ſupina*: conſtat enim hæc littera Θ circulo, & lineolâ ſupinâ, quæ medium eum ſecans, in duas eum anſas veluti ſeparat, quarum una ſuperior, altera inferior.

6. *Hæc Gruis effigies.*] Unius ſcilicet gruis, quam pede in uno excubantem ſat bene refert littera φ. Scaliger pro *gruis* reponebat *crucis*, cujus figuram etiam quodammodo refert.

7. *Palamedica.*] Plin. lib. 7. ſcribit Palamedem has quatuor litteras Θ, Ξ, Φ, X. Trojano bello inveniſſe. Philoſtratus in Heroicis has tres tantùm ab eo inventas memorat Υ, Φ, X. quarum Υ quidem à figurâ agminis Gruum volantium, Φ verò à ſimilitudine Gruis excubantis invenerit.

Digitized by Google

[1] *Grammaticomaſtix.*

349 [2] E Logodædalia ſtrides modo qui nimium trux,
[3] Frivola condemnas? nequaquam. Cum pretio eſt [4] merx.
Ennius ut memorat, replet te [5] lætificum gau,
[6] Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, [7] quid ſignificent catalecta Maronis? [8] in his al
Celtarum poſuit, ſequitur non lucidius tau.
[9] Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Eſtne peregrini vox nominis, an Latii [10] ſil?

INTERPRETATIO.

O tu qui è Grammaticatione obſcurâ nunc ſtrides nimis barbarus, an vituperas levia? minimè. Quando illa *merx* conjuncta *eſt cum lucro, Gau exhilarans, ut ait Ennius, te implet. Animus hominum invidus concoquat pus commixtum felle. Dic* mihi *quid Catalecta Virgilii ſignificent? In illis ſcripſit Al Gallorum. Dein legitur* in iis *Tau*, quod *non eſt clarius. Dic quare unica vox Res ſignificet Imperium, litem, & coitum: an ſil ſit nomen extraneum, an Latinum & min,*

NOTÆ.

1. *Grammaticomaſtix.*] Ut Ὁμηρομάστιξ appellatus eſt Zoilus ille, qui Homerum carpebat, & veluti flagellabat, ſic Γραμματικομάστιξ dicitur, qui Grammaticos vexat ac veluti cædit; ut facit poeta noſter hoc poëmatio, in quo Grammaticum variis interrogationibus è Grammaticæ penu petitis, fatigat.

2. *Elogodædalia.*] A λόγος *oratio*, & δαίδαλος *peritus, ingenioſus, induſtrius, varius*, fit λογοδαιδαλία peritia orationis variandæ & induſtriè contexendæ. Verti *Grammaticatione obſcurâ* magis ad mentem auctoris quam ad vim verbi attendens.

3. *Frivola.*] Ea quæ frivola videntur in Grammaticâ, quæſtiunculas plus difficultatis quam utilitatis habentes.

4. *Merx.*] Frivola illa.

5. *Lætificum Gau.*] *Gau* pro Gaudium per Apocopen ab Ennio ſcriptum, ut quod poſtea ſequitur *Cæl* pro *Cælum*, *Do* pro *domum*, ex hoc poëmate patet. Quod ſanè Græcorum exemplo fecerat, ac inter cæteros Homeri, qui ſæpè δῶ pro δῶμα quod *domum* ſignificat, & κρῖ pro κριθὴ *hordeum* ponit.

6. *Livida mens hominum, &c.*] Hoc eſt ringantur licet invidi, & ut Virg. *rumpantur ilia Codro.*

7. *Quid ſignificent Catalecta Maronis?*] Scaliger non καταληκτα à καταλήγω *deſino*, ut Baptiſta Pius autumat, ſed κατάλεκτα, à verbo καταλέγεσθαι *deligere* dicta putat, quòd ea carmina ex Virgilianis ſint collecta.

8. *In his al.*] In Catalectis Virgilii reperta fuiſſe hæc vocabula Al, Tau, Min, Auſonius ait, quæ quidem Scaliger poſita vult pro *Allium*, *Taurus*, *Minium*, quas voces, ut & alias Latinas Celtæ, Galli, Germani, Britanni, & alii Barbari ſic truncare, decurtareque adhunc ſint ſoliti.

9. *Imperium, litem, venerem cur una notet Res.*] *Imperium* quidem ut in hoc 3. Æneid.

> *Poſtquam Res Aſiæ, Priamique evertere gentem*
> *Immeritam viſum Superis.*

Litem ut in hoc Horatii ſat. 6. lib. 1.

> ——— *Dubius ſum quid faciam, inquit*
> *Tene relinquam, an rem?*

Unde & *reus* nomen habet. *Venerem*: ut in hoc Terentii Eunuch. act. 1. ſc. 2.

> *Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hoſpite*
> *Abii huc.*

10. *Sil.*] Plin. lib. 33. cap. 12. *In argenti, & auri metallis naſcuntur etiamnum*

[1] Et

[1] Et quod germano miſtum male letiferum min?
Lintribus in geminis conſtratus ponto fit, an pons?
[2] Bucolico ſepes dixit Maro, [3] cur Cicero ſeps?
Vox ſolita, & cunctis notiſſima, ſi memores, lac.
Cur condemnetur, ratio [4] magis ut faciat lact?
An Lybiæ ferale malum, ſit Romula vox [5] ſeps?
Si bonus eſt inſons, contrarius, & reus eſt ſons?
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde [6] Rudinus ait, Divum domus [7] altiſonum cæl?

INTERPRETATIO.

quod eſt mortiferum, cùm perperam ſumitur promiſcuè pro cognomine medicamento. An ponto, an pons dicendus *ſit, qui in duabus naviculis ſtratus eſt? Virgilius dixit in* carmine *Bucolico ſepes, quare Cicero* dixit *ſep.? Lac eſt vocabulum uſitatum & notiſſimum omnibus, ſi pronuncietur, quare damnetur,* adeo *ut ratio poſtulet* ut *potius* dicatur *lact? An ſeps funeſtum malum Africa ſit dictio Latina? Si inſons* ille eſt qui *eſt innocens, ſons nonne eſt* ei *oppoſitus, & nocens? Quare*

NOTÆ.

pigmenta, Sil, & Ceruleum. Sil propriè limus eſt. Et initio cap. 13. *Sile pingere inſtituere primi Polygnotus, & Mycon, Attico duntaxat. Hoc ſecuta ætas ad lumina uſa eſt. Ad umbras autem Scyrico, & Lydio. Lydium Sardibus emebatur, &c.* Hinc dubitatio Auſonii an *ſil* vox Latina, an Græca, an barbara, puta, Lydia.

1. *Et quod germano miſtum male letiferum min.*] *Min* pro *minio* poſitum rectè conjecit Scaliger, ſed ſenſum hujus loci non aperuit, neque Auſonianorum interpretum quiſquam, quod ſciam. Petendus eſt loci hujus intellectus ex hoc Plinii loco, lib. 33. cap. 7. *Milton vocant Græci minium, quidam Cinnabari. Unde natus error Indico cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi ſaniem Draconis eliſi Elephantorum morientium pondere, permixto utriuſque animalis ſanguine, ut diximus. Neque alius eſt color qui in picturis propriè ſanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentiſque utiliſſima eſt. At hercule medici, quia cinnabarin vocant, pro ea utuntur hoc minio, quod venenum eſſe paulo mox docebimus.* Scilicet cum cinnabaris, & *minium*, & *Draconis ſanguinem* ſignificet, Medici vocum ſimilitudine decepti, in antidotis conficiendis minium, quod cinnabari etiam dicitur, aliquandò promiſcuè uſurpant pro medicamento cognomine, cinnabari ſcilicet Indiæ, ſeu ſanguine Draconis; ſicque venenum pro remedio dant. Ad hunc Plinii locum reſpexiſſe Auſonium, & hanc eſſe veram ejus mentem nemo puto inficiabitur.

2. *Bucolico.*] Ecl. 1.

Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti, &c.

3. *Cur Cicero ſeps.*] Incertum ubi, non extat certè in iis quæ habemus Ciceronis operibus.

4. *Magis ut faciat lact.*] Martian. Capella lib. 3. *Quidam cum* lac *dicunt, adjiciunt, T, propterea quod facit* lactis, *ſed Virgilius:*

Lac mihi non æſtate novum, non frigore defit.

Quippe cum nulla apud nos nomina in duas mutas exeant, ideo veteres lacte *in nominativo dixerunt.*

5. *Seps.*] Serpentis genus à *σήπω putrefacio* eſt σήψ. Græca igitur non Romula vox eſt. Lucan. lib. 9.

Oſſaque diſſolvens cum corpore tabificus ſeps.

Lybiæ ferale malum dixit, quia Lybia ſeu Africa omni ſerpentum genere abundat.

6. *Rudinus.*] Ennius, quem, ut ait Silius Italicus lib. 12.

——— Rudiæ genuere vetuſtæ.
Nunc Rudiæ ſolo memorabile nomen alumno.

Calabriæ urbs eſt apud Pompon. Melam.

7. *Altiſonum cæl.*] Cælum altiſonum propter tonitru. Virg.

Et [1] cujus de more, quod adſtruit, endo ſuam do?
Aut de fronde loquens, cur dicit [2] populea frus.
Sed quo progredior? quæ finis, [3] quis modus & calx?
Indulge, [4] Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc ſparſum, [5] crinis velut Antiphilæ. Pax.

Interpretatio.

Dis locuples divitiis appellatur pro inferno Jove? Quare poëta *Rudius dicit cæl alte ſonans, ſedes Deorum? Et ad cujus exemplum* eſt *id quod uſurpas in ſuam Do? aut quare loquens de fronde ait frus populea?*

At quouſque procedo? Quis terminus, quis modus, & quod extremum harum nugarum? *Condona* mihi, *ô Pacate,* qui *homo* es *benignus, eruditus, comis. Univerſum hoc poemation diſſolutum* eſt, *ut coma Antiphilæ. Pax.*

Notæ.

——*Quem ſuper ingens*
Porta tonat cæli.

1. *Cujus de more.*] Veterum: apud quos *Endo* erat *in*; unde *Endoplorato*, pro *Implorato*, & *Endo procinctu* pro, *in procinctu* apud Feſtum; unde *Endogredi* ſeu *Indugredi* pro *ingredi*, & ſimilia multa apud Lucretium. *Suam do* pro *ſuam domum* per Apocopen, de qua jam ſupra ad vocem *gau*.

2. *Populea frus.*] *Frundes* & *frundibus* Cariſius ait veteres per *u* dixiſſe, à ſingulari *frus*: ejus verba ſunt: *Frus hujus frundis, quod ſic ab Ennio eſt declinatum annalium libro ſeptimo. Rureſcant frundes, non frondes.* Unde hîc *frus* legendum, aut certè *fruns*, non autem *frons*.

3. *Quis modus, & calx.*] In corpore humano extrema pars eſt *Calx*. Unde per tranſlationem *Calx operis*, pro fine ejus; & *opus perducere ad calcem*, pro *abſolvere*.

4. *Pacate.*] Initio hujus Technopægnii.

Pacato ut ſtudeat ludus meus, eſto operi dux.

5. *Crinis velut Antiphilæ.*] Amicæ Clitiphonis apud Terent. Heautontim. act. ſc. 3.

Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. Pax!

Eſt autem πὰξ Græcum adverbium deſinendi, teſte Heſychio, & Priſciano, quaſi dicas *tantum*, vel *finis*. Idem Terent. eadem fab. act. 4. ſc. 2.

Unus eſt dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

Pluribus in locis apud Plautum eodem ſenſu reperias.

Digitized by Google

Ausonius Paulo S.

PErlege hoc etiam, ſi operæ eſt, frivolum & nullius pretii opuſculum: quod nec labor excudit, nec cura limavit: ſine ingenii acumine, & moræ maturitate. [1] CENTONEM vocant, [2] qui primi hac concinnatione luſerunt. [3] Solæ memoriæ negotium ſparſa colligere, & integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare poſſis. Pro quo, ſi [4] per

(Right margin: 1 beside the line "PErlege hoc etiam … opuſculum:"; 2 beside the line "& moræ maturitate. … concinna-".)

Interpretatio.

Lege quoque hoc totum inane, & nihili opuſculum, ſi operæ pretium *eſt: quod* quidem *neque labor fabricavit, neque ſtudium expolivit: quod caret acumine ingenii & non eſt temporis ſpatio perductum ad maturitatem. Ii qui primi concinnaverunt luſus hujuſmodi, appellant* eos *Centones. Res* eſt *ad ſolam memoriam pertinens, legere diſperſa, & redigere lacera in unum* corpus: *quod* quidem *riſum tibi potius exprimere, quàm laudem* mereri *poſſis. Pro quo* opuſ-

Notæ.

1. *Centonem vocant.*] *Cento* Græcis Κέντρων, unde derivatur abjecto ρ, ut ab ἄρθρον fit *artus*. Euſtathius, in Homerum monet à κέντρον, *ſtimulus, aculeus* venire κέντρων, & ἐγκεντρίζειν, hoc eſt *inſerere*, ἐμφυτεύειν, ἐμβάλλειν, ac quemadmodum ἐγκεντρίζειν de ſtirpibus dicitur, nec aliud eſt, quam *plantæ cuipiam aliûs plantâ ramulum inſerere*: ſic etiam κέντρωνα cum propriè ſumitur, ita vocari quia παρακεντοῦνται, hoc eſt *conſuuntur* diverſicolores panni: ut in veſtibus & ſtragulis pauperiorum. At cum transfertur ad poëmatis genus, ſic appellari, quia ad ſimilitudinem *centonis* ex diverſis verſibus hinc atque inde accerſitis conſuatur. Addit hinc dici Ὁμηρόκεντρα, quod interpretatur Ὁμηρικοὶ κέντρωνες. Lucill. *Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optime.* Plaut. Epid. act. 3. ſc. 4.

> *Proin tu alium quæras, cui centones ſarcias.*

At *apud Grammaticos* ait Iſidorus lib. 1. origg. cap. 38. *Centones vocari ſolent, qui de carminibus Homeri, vel Virgilii ad propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compoſitis in unum ſarciuntur corpus, ad facultatem cujuſque materiæ.*

2. *Qui primi hac concinnatione luſerunt.*] Quinam fuerint primi illi, non dicit. Meminit quorumdam Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. 39. *Vis hodie*, inquit, *fabulam, in totum aliam, componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundum materias concinnatis? Denique Ovid. Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio pleniſſime expreſſit. Meus quidam propinquus ex eodem poeta, inter cætera ſtili ſui otia, pinacem Cebetis explicuit, &c.* Extant Eudociæ, & Probæ Falconiæ centones Virgiliani de veteri & novo teſtamento, poſt Auſonii tempora ſcripti, & elegantiſſimi recentioris ſcriptoris Lælii Capilupi variis de rebus. Tentavit quoque Heinſius id genus poëmatis, ſed non ita feliciter meo quidem judicio.

3. *Solæ memoriæ.*] Ἀρχαϊκῶς pro *ſolius*, ſic in Eunucho Terent. Pythias, *Mihi ſolæ ridiculo fuit*, pro *ſoli*.

4. *Per Sigillaria*] Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 10. in fine: *Abunde jam probaſſe nos æſtimo Saturnalia uno tantum die, id eſt, quarto decimo Kalend. ſolita celebrari: ſed poſt in triduum propagata primum ex adjectis à Cæſare huic menſi diebus, deinde ex edicto Auguſti, quo trium dierum ferias ſaturnalibus addixit. A ſexto decimo igitur cœpta in quartum decimum deſinunt; quo ſolo fieri ante conſueverant. Sed Sigillariorum adjecta celebritas in ſeptem dies diſcurſum publicum & lætitiam religionis extendit.* Statim ergo poſt Saturnalia, menſe Decembri Sigillaria celebrabantur per Ædiles tum curules tum plebeios, ut videre eſt ex his Auſonii verſibus infra in Eclogario, ubi de Feriis Romanis:

> *Ædileſque etiam plebei, Ædileſque curules*

Sigillaria in auctione veniret, [1] neque Afranius Nauci daret, [2] nec Cicum ſuum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis digni- 3
tatem tam joculari dehoneſtaſſe materia. Sed quid facerem? Juſſum erat: quodque eſt POTENTISSIMUM IMPERANDI

INTERPRETATIO.

culo, *ſi venderetur licitatione in nundinis, nec Afranius daret Naucum, neque Plautus offerret ſuum Cicum. Pœnitet enim dedecoraſſe tam ridiculo argumento majeſtatem Virgilianorum verſuum. Verùm quid agerem? Imperatum erat mihi, &, qui validiſſimus modus jubendi* eſt, *orabat qui*

NOTÆ.

Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.

Ea *ſigilla*, à quorum nomine *ſigillaria* dicta ſunt, erant oſcilla ſeu capita fictilia, quæ pro capitibus ſuis in Ditis Sacellum Saturni aræ cohærens, ferebant, tradito, ut refert idem Macrobius, à Pelaſgis advenis, veteribus Latii cultoribus more, qui oraculi hujuſce verbis inducti: *καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.* cum diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum coluiſſent, ab Hercule cum Geryonis bubus per Italiam revertente, edocti non capita humana, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata, neque virum, ſed lumina oraculi verbis peti, cum *φῶτα*, & virum, & lumina ſignificaret, fauſtis ſacrificiis infauſta mutarunt. Hinc mos ut Saturnalibus cerei miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, non ſine multis aliis mercibus, quas muneri ſibi mitterent Saturnalibus; erantque ſigillaria nundinæ quædam mercium omne genus, ut apud nos quibuſdam in locis Xenia. Gell. lib. 5. cap. 4. *Apud Sigillaria forte in libraria ego & Julius Paulus, poëta, vir memoria noſtra doctiſſimus, conſederamus*, &c. Et lib. 2. cap. 3. *Oſtendiſſe mihi librum Æneidos ſecundum mirandæ vetuſtatis, emptum in Sigillariis XX. aureis.* Non ſemper idem ejuſmodi nundinarum locus fuit, ut ex hoc loco veteris Juvenalis Scholiaſtis cognoſcitur: ad verſum 152. ſat. 6.

Menſe quidem bruma, quo jam mercator Iaſon, &c.

Roma, inquit, *in porticu Traianarum Thermarum tempore Saturnaliorum ſigillaria ſunt. Tunc mercatores caſas de linteis faciunt, quibus picturæ obſtant. Ideo autem dicit mercator Iaſon; quoniam antea in porticu Agrippinarum Sigillaria proponebantur, in qua porticu hiſtoria Argonautarum depicta eſt, & caſa cum fierent, picturæ obſtabant.* Hæc vetus Scholiaſtes, in quibus, ſi non veram Juvenalis mentem aſſecutus eſt, ſigillariorum certe motem & formam nobis expreſſit.

1. *Neque Afranius Nauci daret.*] Hac voce *Nauci* uſus in Attellanis ſuis erat ſæpius Afranius, ut Plautus voce *Cicum*. Hinc eſt quod utrumque nominat hic quaſi quibus peculiaria fuerint hæc vocabula, quibus tamen & alii uſi. De voce *nauci* Feſtus: *Naucum ait Ateius Philologus poni pro nugis: Cincius, quod in olea nucis, quod intus ſit: Ælius Stilo omnium rerum putamen: Gloſſematorum autem ſcriptores faba grani, quod hæreat in fabulo: quidam ex Græco τοῦ καὶ οὐχὶ levem hominem ſignificari: quidam nucis juglandis, quam Verrius juglandam vocat, medium velut diſſepimentum.* Pro re nihili accipitur.

2. *Nec Cicum ſuum Plautus.*] In Rudente act. 2. ſc. 7.

Eluas tu, an exungare, Cicum non interduim.

Feſtus:

Ciccum membrana tenuis malorum Punicorum.

Idem habet Varro, qui & locum Plauti ſed paulo aliter citat. Gloſſæ Philoxeni *Ciccum ῥοᾶς ὑμὴν. Punici mali* pellicula. Heſychius *Κικκὸς διαχώρησις, Ciccus ſeparatio ſeu diſcrimen.* Eſt igitur *Cicus* ſeu *Ciccus*, ſeu *Ciccum* interior membrana, quâ grana diſcriminantur in malis Punicis. Et per tranſlationem *γρῦ*, ut habent eædem Philoxeni Gloſſæ, *res nihili*.

GENUS, rogabat, qui jubere poterat, [1] S. Imperator Valentinianus, vir meo judicio eruditus: qui nuptias quondam ejuſmodi ludo deſcripſerat, aptis equidem verſibus & compoſitione feſtiva. Experiri deinde volens, quantum noſtra contentione præcelleret, ſimile nos dè eodem concinnare præcepit. Quam ſcrupuloſum hoc mihi 4
fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque poſthaberi: quum aliorum quoque judicio detegenda eſſet adulatio inepta, ſi cederem: inſolentia, ſi ut æmulus eminerem. Suſcepi igitur ſimilis recuſanti: feliciterque & obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc, die uno & addita lucubratione properatum, modo [2] inter liturarios meos quum reperiſſem, tanta mihi candoris tui, & amoris fiducia eſt, ut ſeveritati tuæ nec ridenda ſubtraherem. Accipe igitur [3] opuſculum de 5
inconnexis continuum, de diverſis unum, de ſeriis ludicrum, de alieno noſtrum: ne in Sacris & fabulis, [4] aut Thyonianum mireris,

INTERPRETATIO.

poteras præcipere, ſacratiſſimus nempe *Imperator Valentinianus, vir doctus meâ ſententiâ: qui olim deſcripſerat nuptias luſu ſimili, carminibus quidem appoſitis, & facetâ connexione* verſuum *Poſtea cum vellet experiri certando mecum, quantum* me *ſuperaret, juſſit me contexere ſimile* opus *de eâdem* materiâ. *Cognoſce quàm anceps hoc mihi fuerit. Neque cupiebam præferri, neque poſtponi* ei: *quoniam futurum erat, ut etiam judicio aliorum deprehenderetur inficeta* mea *adulatio, ſi concederem* ei; *arrogantia* verò, *ſi excellerem tanquam ejus rivalis. Suſcepi ergo* mandatum opus *tanquam* illud *recuſans: & bono meo fato factum eſt, ut* quanquam *cogerer obſequi, gratia tamen mihi apponeretur: &* quanquam *ſuperior* evaderem, *non offenderem* tamen animum Imperatoris. *Cum non ita pridem inveniſſem inter ſchedas meas hoc* opuſculum, quod *abſolutum* à me eſt *uno die & adjecto labore* unius noctis *ad lucernam, adeò confido in ſinceritate tuâ, & ſtudio* erga me, *ut ne ſubducerem quidem* hæc *tua gravitati deridenda. Accipe ergo opuſculum connexum ex* ſententiis *diſſolutis, unum ex variis, joculare ex gravibus, noſtrum ex alieno: ne admireris in ſacris* hiſtoriis, *& fabulis aut Thyo-*

NOTÆ.

1. *S. Imperator, &c.*] Sic antiqua Ugoletti editio. τὸ S. accipit Tollius, quem ſequutus ſum, pro nota τοῦ *Sacratiſſimi*, quod cognomentum Imperatorum.

2. *Inter liturarios meos.*] *Liturarii*, (quæ vox etiam occurrit in titulo epiſtolæ ſecundæ infra) ſunt primæ ſcriptionum ſchedæ, lituris multis ut plurimum plenæ.

3. *Opuſculum de inconnexis, &c.*] Deſcriptio elegans Centonis per Antitheta.

4. *Aut Thyonianum.*] Turnebus adverſ. lib. 12. cap. 8. *Apud Catullum ſcribitur:*

—— Hic merus eſt Thyonianus,

Quo verſu ſignificat meraca Bacchi pocula per transnominationem: redivivus enim Bacchus, matrique fulminata ſuperſtes, Thyonianus vocatus eſt: vel potius illum dilaceratum (à Gigantibus ſcilicet ut habet Phurnutus) *reducem ſoſpitemque vitæ redditum* (à matre Rheâ) *hoc nomine ſacra canebant arcana:* & laudat hunc Auſonii locum. Non tamen novum in alterâ vitâ nomen accepiſſe Bacchum Phurnutus, qui rem narrat, meminit. Alii aliud *Thyoniani*, ſeu *Thyonei* etymon afferunt à *Thyone* ſcilicet, nutrice Bacchi, ut quidam volunt, ut alii, matre. Ferunt enim Bacchum, Jove concedente, matrem Semelen ab inferis eduxiſſe, & immortalitate donatam, *Thyonen* à ſacris quæ illi attribuit, denominaſſe: θύω enim eſt *ſacra facio*. Alii ab ipſo θύω ob Sacra & Orgia ejus, unde & *Thyades*, Bacchæ. Acron vult *Thyoneum* Bacchi filium fuiſſe. Fortaſſe *Thyoneus* dictus eſt Bacchus pro *Theœnius* hoc eſt Θεοίνιος Deus vini; ſic enim eſt appellatus Bacchus, teſte Heſychio, & Θεοίνια apud Athenienſes Bacchi ſacra dicebantur.

Digitized by Google

[1] aut Virbium ; illum de Dionyſio , hunc de Hippolyto reformatum. Et ſi pateris , ut doceam docendus ipſe , [2] CENTO quid ſit abſolvam. Variis de locis , ſenſibuſque diverſis , quædam carminis ſtructura ſolidatur : in unum verſum ut coëant aut cæſi duo , aut unus & 6
ſequens cum medio. [3] Nam duos junctim locare , ineptum eſt : & tres una ſerie , meræ nugæ. Diffunditur autem per cæſuras omnes quas recipit verſus Heroïcus , convenire ut poſſit , aut [4] penthemimeris [5] cum reliquo anapæſto : [6] aut trochaice cum poſteriore ſegmento : [7] aut ſeptem ſemipedes [8] cum anapæſtico chorico : [9] aut poſt dactylum atque ſemipedem , [10] quicquid reſtat hexametro. Simile ut dicas [11] ludi-

INTERPRETATIO.

neum , aut Virbium : illum mutatum ex Baccho , hunc ex Hippolyto. Ac ſi permittis ut ego , qui à te *docendus* eſſem , te ipſum *doceam* , *expediam quid ſit Cento. Conſtructio quædam poëmatis compingitur ex variis locis & ſententiis* poetæ alicujus . ita *ut aut duo dimidiati verſus jungantur in unum : aut unus , & ſequens cæſus , cum dimidiato. Nam ſtolidum eſt ponere duos conſequenter : & ineptia meræ* locare *tres eodem ordine. Scinduntur autem per omnes ſectiones , quas verſus Heroïcus admittit , ut vel quinque ſemipedes poſſint congruere cum anapæſtico* verſu *qui ſupereſt : vel* cæſura *trochaica cum ſectione ſequenti : vel ſeptem ſemipedes cum anapæſtico chorico : vel poſt dactylum & dimidium pedem , quidquid ſupereſt* verſui *hexametro. Adeò ut dicas*

NOTÆ.

1. *Aut Virbium.*] Hippolytus ab equis diſcerptus , cum ab Æſculapio revocatus ad vitam eſſet , *Virbius* , quaſi *bis vir* , eſt appellatus Dianæ juſſu , cui conjunctum numen coli cœpit. Vide Ovid. lib. 15. Metam. Virg. lib. 7. Æneid. verſu 761. & Perſ. ſat. 6. verſ. 55.

2. *Cento quid ſit.*] Vide ſupra notam 1. hujus præfationis.

3. *Nam duos junctim locare , ineptum eſt.*] Quod tamen Auſonius hoc ipſo in Centone fecit non ſemel , ut videri facilè poteſt.

4. *Penthemimeris.*] Vel *penthemimeres* πενθημιμερὴς à πέντε *quinque* , ἥμισυ *dimidium* , & μέρος *pars* , quaſi dicas *quinque dimidias partes* , hoc eſt , *dimidios pedes* , quinque ſemipedes , ut in tertio hujus Centonis verſu , *ambo florentes.*

5. *Cum reliquo anapæſto.*] Ut in eodem verſu , *Genus inſuperabile bello.* Cujuſmodi anapæſticum trimetrum hypercatalectum appellat Diomedes , ſic metiendum :

Genus in - ſupera - bile bel - lo.

6. *Aut trochaice.*] Ut in hoc ejuſdem centonis *Occupat os faciemque* , ubi poſt duos primos pedes *Occupat os , faci* , ſupereſt trochæus , *emque* , quam cæſuram *trochaïcam* appellat. Et poſterius ſegmentum , quod ſequitur , *pedem pede fervidus urget.*

7. *Aut ſeptem ſemipedes.*] Ἑφθημιμερὴς vel ἑφθημιμερὴς dicitur tres pedes cum dimidio continens , ut in hoc ejuſdem Centonis :

Auſpiciis mani - feſta fi - des.

8. *Cum anapæſtico chorico.*] Puta in eodem verſu :

Quo juſ - tior al - ter.

Cujuſmodi anapæſticum choricum (hoc eſt in choris uſitatum) monometrum hypercatalectum vocat Servius.

9. *Aut poſt dactylum , atque ſemipedem.*] Ut in hoc ejuſdem Centonis :

Tu que pri - or.

10. *Quidquid reſtat Hexametro.*] Puta :

Nam - te ma - ioribus ire per - altum.

11. *Ludicro quod Græci ὀστομαχίαν. Officia &c.*] Scaliger legit στομάχιον , & *oſcilla.* Et intelligit larvas illas , quas ſolebant in conviviis ob oculos convivarum ponere , ut eos ad hilarius vitâ fruendum cogitatione futuræ mortis hortarentur. Sed in ejus ſententiam nequaquam eo. Ennodius Ticinenſis in epigram. *de Stomatio* , ſeu , ut

cro quod Græci ὀςομαχίων vocavere. Oſſicla ea ſunt : ad ſummam 7
[1] quatuordecim figuras geometricas habent. [2] Sunt enim æquilatera :

INTERPRETATIO.

hoc eſſe ſimile luſui, quem Græci appellarunt luſum *ὀςομαχίων. Ea ſunt oſſicula. Habent omninò quatuordecim formas Geometricas. Nam* illa *ſunt æquilatera : aut triangularia : ex lineis*

NOTÆ.

melius ſcribas, *Oſtomatio Eburneo* : ut edit. Scriverius :

Sollicitata levi marceſcunt corda virorum
Tormento. Fas eſt ludere virginibus.
Frangunt, Marmaricis Elephas quod miſit ab arvis,
Per micas ſparſum mox ſolidatur opus.
De Pœno tenera diſcunt cum fraude jocari.
** Nam ridere necis munere, fœmineum eſt.*
Anguſta norunt res mille includere capſa:
Omne ebur hoc, mulier, pectoris arca tui eſt.

Atilius Fortunatianus de metris, capite de Hendecaſyllabo Phalæcio : *Nam ſi loculus ille Archimedius quatuordecim eboreas lamellas* (obſerva totidem hic poni ab Auſonio figuras) *quarum anguli varii ſunt, in quadrata forma inclusas habet, componentibus nobis aliter, atque aliter, modo galeam, modo ſicam, alias columnam, alias navem figurat, & innumerabiles efficit ſpecies: ſolebatque nobis pueris hic loculus ad confirmandam memoriam plurimum prodeſſe ; quanto majorem poteſt nobis afferre voluptatem, quantoque pleniorem utilitatem carmina inter manus habentibus metrorum varia tractatio, cum ſubinde apud poëtas ea, quæ fallunt imperitos, metra inſerta numeris, & intermixta carminibus deprehendamus ?* Ex his duobus locis, ludicrum illud oſſiculorum ſeu lamellarum eburnearum graphicè depingentibus, facilè evincitur, legendum hic *ὀςομαχίων* hoc eſt *oſſiculorum*, & *oſſicla*, id eſt, *oſſicula* ; non autem *oſcilla*. Erant ſcilicet *oſſicula* ſeu lamellæ eburneæ multæ (ad quatuordecim fuiſſe ex hoc, & Fortunatiani loco cognoſcitur) in triangulorum variorum formas ſectæ, ex quibus variè inter ſe commiſſis pueri varias exprimebant figuras inter ludendum. Simile quiddam noſtrates pueri faciunt, cum complicatâ in multa triangula chartâ, menſam, gallinam, anatem, naviculam, & alia multa modò complicando, modò explicando imitantur.

1. *Quatuordecim figuras, &c. ſunt enim æquilatera, &c.*] Quanquam non quatuordecim diverſas figuras mox enumeret, ut tamen nihil in hoc numero mutatum velim, facit locus Fortunatiani ſupra allatus. Et certè triangularium formarum ſeptem omninò variæ ſpecies fingi poſſunt : æquilaterorum quidem tantum unica, eaque oxygonia ; crure pari, quæ Græci ἰσοσκελῆ vocant, tres, oxygonia ſeu acutis omnibus angulis, orthogonia, rectum unum angulum habens, & amblygonia quæ habet unum obtuſum. Similiter, & ſcalenorum, ſeu lateribus omnibus inæqualibus triangulorum tres quoque pro angulorum ratione ſpecies eſſe poſſunt, oxygonia, orthogonia, & amblygonia. Quod ſi binæ uniuſcujuſque ſpeciei lamellæ in eo loculo Archimedico, ſeu quadratâ capſulâ fuiſſe intelligantur, fiet numerus quatuordecim, quem Auſonius & Fortunatianus habent. Mitto, quòd ſeptem prædictarum unaquæque ſpecies variari multis modis poteſt, prout magis vel minus acuti, aut obtuſi earum anguli fient, & quòd aliæ quoque quàm triangulares formæ fuiſſe intelligi poſſunt. Quidni enim per hæc verba Auſonii *extentis lineis : aut tritis angulis, vel obliquis* intelligamus parallelogrammum, rectangulum, & obliquangulum ?

2. *Sunt enim æquilatera, &c.*] Nullo ordine hæc ab Auſonio ennumerantur. Ut aliquis in iis ordo ſtatuatur, obſervandum triangula dividi vel ratione laterum ſeu linearum quibus comprehenduntur, (de rectilineis & planis triangulis loquimur, non de curvilineis, neque de ſphæricis) vel ratione angulorum, quos lineæ iſtæ ſeu latera concur-

[1] vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: iſoſcele: vel iſopleura, orthogonia quoque, vel ſcalena. [2] Harum vertibularum variis coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarum: Elephantus bellua, aut Aper beſtia, Anſer volans, & [3] Mirmillo in armis, [4] ſubſidens Venator, & latrans Canis: quin & [5] Turturis, & Cantharus, & alia hujuſmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio ſcientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum eſt; imperitorum junctura ridiculum. Quo prædicto, ſcies, quod ego [6] poſteriorem imitatus ſum. Hoc ergo Centonis opuſculum, ut ille ludus tractatur, 8
pari modo, ſenſus diverſi ut congruant: adoptiva quæ ſunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accerſita ne vim redarguant: denſa ne ſupra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ ſi omnia ita tibi

INTERPRETATIO.

rectis: vel angulis rectis, vel obliquis: æquicrura vel æquilatera, rectangula etiam, aut lateribus inæqualibus. Diverſâ connexione horum oſſiculorum effinguntur figuræ innumeræ: puta *Elephas bellua, aut Aper fera, Anſer volans, Gladiator armatus, Venator demittens ſe* ad inſidias, *&* *Canis latrans: quin etiam & Turtur, & Poculum, & alia ejuſmodi formarum innumerabilium, quæ alii aliis peritius variant. At coagmentatio,* quam faciunt *periti, eſt* aliquid *admirandum; connexio* quam faciunt *imperiti*, eſt aliquid *ineptum. Quod cum te monuero, agnoſces me imitatum eſſe* hanc *poſteriorem* connexionem. *Igitur hoc opuſculum Centonis tractatur, quemadmodum luſus ille*, ita *ut ſimiliter diverſæ ſententiæ inter ſe conveniant: ut quæ ſunt adoptiva, videantur cognata*: quæ *aliena* ſunt, *non dignoſcantur inter* cætera: quæ *aſcita* ſunt, *non clament* ſe huc *violenter* tracta: quæ *ſtipata* ſunt, *non excreſcant immodicè*: quæ *diducta* ſunt, *non hient. Quæ omnia ſi tibi videbuntur* hîc facta *juxta* dictas *regulas, dices me conte-*

NOTÆ.

ſu ſuo faciunt. Ratione quidem laterum, vel tria latera æqualia ſunt, & *æquilaterum* triangulum dicitur, Græcè *ἰσόπλευρον*; vel duo tantum æqualia ſunt, & *crurepari*, Græcè *ἰσοσκελὲς*; vel denique tribus lateribus inæqualibus, *σκαληνὸν*. Ratione angulorum; vel triangulum habet tres angulos acutos, & *ὀξυγώνιον*, vel unum rectum, & *ὀρθογώνιον*, vel denique unum obtuſum, & *ἀμβλυγώνιον* appellatur. Atque hæ triangulorum ſpecies, laterum & angulorum ratione, permiſceri interſe, & ſeptem tantùm memoratas ſuperiori notâ ſpecies poſſunt conſtituere, ut patebit attendenti.

1. *Vel triquetra.*] Triquetrum in genere triangulum eſt cujuſvis ſpeciei. Hic tamen ad æquilaterum videtur ab Auſonio reſtringi.

2. *Harum vertibularum.*] Sive *vertibularum* legas, ſive *verticularum*, perinde eſt: utrumque à *verto*. Verticulæ apud Feſtum, Lucillium explicantem, *articuli* ſunt ſeu *vertebræ*; apud Iſidorum *vertibulæ* idem ſignificant, partes ſcilicet illas oſſium, quæ ita ſibi junguntur, ut facilè flecti & verti oſſa poſſint. Hic certè nihil aliud intelligere poteſt Auſonius, quàm figuras illas oſſeas ſeu eburneas, de quibus locutus eſt ſupra.

3. *Subſidens venator.*] Expectans feram in inſidiis. Hoc enim eſt *ſubſidere*.

4. *Mirmillo in armis.*] De hac voce ad Technopægnii verſ. 102. diximus.

5. *Turturis.*] In recto, ut *vulturis* in verſu Ennii apud Priſcianum lib. 6.

Vulturis in Silvis miſerum mandebat Hemonem.

Reſpexiſſe videtur ad Plauti locum in Bacchid. *Ubi ego capiam pro machæra turturem, ubique imponat in manu alius mihi pro caſſide cantharum.* Hinc mavult Accurſius *turturis* ex MS. codice, quam *turris*, quod ab eo eſt depravatum in vulgatis à ſciolo aliquo, qui rectum *turturis* non agnoſcebat.

6. *Poſteriorem.*] Scilicet imperitorum.

videbuntur,

videbuntur, ut præceptum, dices me compoſuiſſe Centonem. Et quia ſub [1] Imperatore meo tum merui, [2] procedere mihi inter frequentes ſtipendium jubebis: ſin aliter, ære dirutum facies: ut cumulo carminis in fiſcum ſuum redacto, redeant verſus, [3] unde venerunt. Vale.

Interpretatio.

nuiſſe Centonem. Et quia tunc militavi ſub meo Impecatore, jubebis continuari mihi ſtipendium intec eos qui ſunt ſub vexillis: ſecus, privabis me *ſtipendio: ut congerie* hac *verſuum redactâ in fiſcum, verſus* illuc *revertantur, unde ven:runt. Vale.*

Notæ.

1. *Sub imperatore meo.*] Valentiniano, cujus juſſu id opuſculum ſuſceperat, ut monuit præfationis hujus initio.

2. *Procedere mihi, &c.*] Hæc è militari re petita allegoria. Contraria ſuut, *procedece militi ſtipendium*, & *militem eſſe ære dirutum.* Sic vernaculâ noſtrâ linguâ dicimus, *ſes gages courent*, & *il eſt caſſé aux gages.* Feſtus: *Ære dirutum militem dicebant, quod ei dirueretur in fiſcum, non in militis ſacculum.* Livius lib. 5. *Placere autem omnibus iis, voluntariam extca ordinem profeſſis militiam, æra procedere, & equiti certus numerus æris eſt aſſignatus.* Et lib. 5. *Tribuni plebis ad populum ferrent, ut qui minores ſeptem & decem annis ſaccamento dixiſſent, iis p:oinde ſtipendia peocederent, ac ſi ſeptem & viginti annorum, aut majores milites facti eſſent.*

3. *Unde venerunt.*] Ad Virgilii loca, unde deſumpti ſunt.

Cento nuptialis. XIII.

351 A. 5. [1] Accipite hæc animis: lætaſque advertite mentes,
A. 11. Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis:
B. 7. Ambo florentes, * genus inſuperabile bello. A. 4.
A. 6. [2] Tuque prior, * nam te majoribus ire per altum A. 3.
A. 3. Auſpiciis manifeſta fides, * quo juſtior alter A. 1.
A. 1. Nec pietate fuit, nec bello major & armis.
A. 4. Tuque [3] puerque tuus, * magnæ ſpes altera Romæ, A. 12.
A. 8. Flos veterum, virtuſque virûm, * [4] mea maxima cura, A. 1.

Interpretatio.

Percipite hæc mentibus, ô Imperatores: *& attendite animis faventibus. Ambo clari* forti *pectore, & armis egregiis: ambo vigentes, ſtirps invicta bello. Et tu præcipuè*, ô Valentiniane, *nam clarè cognoſcitur te evehi in cælum auſpiciis grandioribus.* Tu inquam *quo non alius extitit juſtior, neque ſublimior pietate, neque bello & prælus. Tu, & filius tuus*, qui eſt *ſecunda ſpes magna Romæ*, habens in ſe *ſelectas* dotes *& virtutes virorum priſcorum*, *quem*

Notæ.

1. *Accipite hæc.*] Præfatiuncula eſt ad Auguſtos fratres Valentinianum & Valentem conſarcinata, & ipſa ex Virgilio, ut reliqua. Porrò, ut quibus è Virgilii locis deſumpta hujus centonis fruſta ſint ſcias, adjectæ ſunt ad utrumque marginem notæ libros indicantes; in quibus A. Æneidem, B. Bucolica, G. Georgica ſignificat.

2. *Tuque prior, nam te majoribus, &c.*] Valentinianum alloquitur, cui præcipua Imperii ſors obtigerat, ſcilicet Occidens.

3. *Puerque tuus.*] Gratianus.

4. *Mea maxima cura.*] Quippè Auſonius Gratiani erat præceptor.

A.12. [1]Nomine avum referens, animo, manibuſque parentem.
A. 6. [2]Non injuſſa cano. * Sua cuique exorſa laborem, A. 10.
A.10. Fortunamque ferent. * Mihi juſſa capeſſere fas eſt. A. 1.

INTERPRETATIO.

ego curo præ cæteris omnibus, *qui repræſentat avum ſuum nomine, patrem verò virtute, &* *factis. Non ſcribo* hoc *carmen ſine mandato. Unuſquiſque laborem, & fortunam* nanciſcetur, quam *ſua incepta* ei *afferent. Mihi neceſſe eſt facere imperata.*

NOTÆ.

1. *Nomine avum referens.*] Avus Gratiani, pater Auguſtorum Valentiniani & Valentis, fuit Gratianus vir ſtrenuus, ſed humili loco in Pannoniâ ortus, ut jam obſervatum ad epig. 3.

2. *Non injuſſa cano.*] In ſuperiori Præfatione: *Rogabat, qui jubere poterat, S. Imperator Valentinianus*, &c.

Cœna nuptialis.

352 A. 5. Expectata dies aderat: * [1] digniſque Hymenæis A. 11.
A. 6. Matres atque viri, * juveneſque ante ora parentum, G. 4.
A. 1. Conveniunt: ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, * onerantque caniſtris A. 8.
[2] Dona laboratæ Cereris, * pinguiſque ferinæ A. 1.
A. 8. Viſcera toſta ferunt. * Series longiſſima rerum: A. 1.
A. 8. Alituum, pecudumque genus, * capreæque ſequaces G. 1.
G. 3. Non abſunt illis, * nec oves, hædique petulci, G. 4.
G. 3. Et genus æquoreum, damæ, * cervique fugaces. G. 3.
A.11. Ante oculos, interque manus ſunt * mitia poma. B. 1.
A. 8. Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi:
A. 1. Crateras magnos ſtatuunt, * Bacchumque miniſtrant. A. 8.
A. 2. Sacra canunt. * Plaudunt choreas: & carmina dicunt. A. 6.

INTERPRETATIO.

Dies optata venerat: & matronæ ac viri, atque adoleſcentes coram patribus confluunt ad nuptias benè comparatas: & accumbunt ſuper ſtragulis purpureis. Servi infundunt aquam manibus abluendis, *& imponunt corbibus munera Cereris præparata, & miniſtrant* menſis *carnes aſſatas venationis opimæ. Longiſſimus ordo ciborum* explicatur; omne *genus avium & pecudum, neque deſunt eis capreæ ſequaces, neque oves & hædi petulantes, & piſces marini, & damæ, & cervi timidi. Dulcia poma verſantur ante oculos, & in manibus* convivarum. *Poſtquam fames ſublata eſt, & cupiditas cibi repreſſa: apponunt ingentes pateras, &* ſuppeditant *vinum. Cantant ſacra* Cantica. *Saltant in choreis; & recitant verſus. Quin*

NOTÆ.

1. *Digniſque hymeneis.*] Nuptiis in quibus par pari jungebatur.

2. *Dona laboratæ Cereris.*] Periphraſticè, & Metonymicè panem exprimit. *Laborata* dicitur Ceres, quia priuſquam frumentum cibo humano aptum ſit, molendum eſt, incernendum, pinſendum, & coquendum in panem.

Google

A. *6.* [1] Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.
A. *9.* At parte ex alia, * [2] biforem dat tibia cantum. A. 10.
A. 4. Omnibus una quies operum; * cunctique relictis A. 8:
Conſurgunt menſis, * per limina læta frequentes A. 1.
A. *9.* Diſcurrunt, variantque vices, * populuſque patreſque, A. 9.
A. 11. Matronæ, pueri, * vocemque per ampla volutant A. 1.
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. A. 1.

INTERPRETATIO.

& Sacerdos Thracius cum veſte longâ, exprimit modulis ſeptem intervalla ſonorum. Verùm ex aliâ parte, tibia edit ſonum per foramen duplex. Univerſi ſimul quieſcunt ab opere; & omnes ſurgunt menſis relictis; ambulant magno in numero per amœnum veſtibulum, & variè commutant loca plebs, & ſenatores, matresfamilias & pueri, & glomerant vocem per ingentia atria: lucernæ ſuſpenſa ſunt ex auratis lacunaribus.

NOTÆ.

1. *Nec non Threicius, &c.*] Hæc de Orpheo Virg. in *6.* Æneid. Hic pro quovis citharœdo, qui chordas pulſet in nuptiis.

2. *Biforem.*] Ne intelligas per duo tantùm foramina modulatum, ſed geminum & per duarum ſimul tibiarum, dextræ ſcilicet, & ſiniſtræ foramina erumpentem, licet ab uno eodemque ore ſimul profectum.

Deſcriptio egredientis ſponſæ.

353 A. 4. TAndem progreditur * Veneris juſtiſſima cura, A. 10.
A. 7. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:
A. 1. Virginis os, habitumque gerens, * [1] cui plurimus ignem A. 12.
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit:
A. 7. Intentos volvens oculos, * [2] uritque videndo. G. 3.
A. 7. Illam omnis tectis, agriſque effuſa juventus,
Turbaque miratur matrum, * veſtigia primi A. 5.
Alba pedis, * dederatque comam diffundere ventis. A. 1.
A. 3. Fert picturatas auri ſubtegmine veſtes,
A. 1. Ornatus Argivæ Helenæ: * qualiſque videri A. 2.

INTERPRETATIO.

Procedit tandem ſponſa, *quam Venus meritò amat, jam tempeſtiva viro, jam maturâ nuptiis ætate: præferens vultum, & cultum virginis, cui magnus ardor ſuffudit ruborem, & pervaſit vultum calentem: verſans attenta lumina, & incendit aſpectu* ſuo. *Omnes juvenes confluentes ex domibus, & agris, ac turba matronarum admirantur illam, & candorem pedis quem profert* incedendo, *& permiſerat capillos auris ſpargendos. Geſtat veſtimenta picta filis aureis,* cujuſmodi erant *ornamenta Helenæ Argolicæ: & qualis, ac quanta, Venus*

NOTÆ.

1. *Cui plurimus ignem ſubjecit rubor.*] Hypallage, pro *ignis* ſubjecit ruborem.

2. *Uritque videndo.*] Paſſivè hîc, ut & apud Virgilium. *Videndo*, id eſt, *cum videtur.*

Digitized by Google

A. 2. Cælicolis, & quanta ſolet * Venus aurea contra: A. 10.
A. 6. Talis erat ſpecies. * Talem ſe læta ferebat A. 1.
A. 2. Ad ſoceros; * ſolioque alte ſubnixa reſedit. A. 1.

INTERPRETATIO.

decora conſuevit prodire in conſpectum deorum : talis erat ejus aſpectus ; talis progrediebatur hilaris ad futuros *ſoceros : & conſedit fulta ſublimi ſellâ.*

Deſcriptio egredientis ſponſi.

354 A. 9. AT parte ex alia * foribus ſeſe intulit altis A. 11.
A. 9. Ora puer prima ſignans intonſa juventa,
Pictus acu chlamydem auratam, * quam plurima circum A. 5.
Purpura Mæandro duplici [1] Melibœa cucurrit,
A. 10. Et tunicam molli mater quam neverat auro:
A. 1. Os, humeroſque deo ſimilis, * lumenque juventæ. A. 1.
A. 8. Qualis ubi Oceani perfuſus [2] Lucifer unda
Extulit os ſacrum cælo; * ſic ora ferebat, A. 3.
Sic oculos, * curſuque amens ad limina tendit. A. 2.
A. 2. Illum turbat amor, figitque in Virgine vultus.
A. 1. Oſcula libavit, * dextramque amplexus inhæſit. A. 8.

INTERPRETATIO.

Ex alia verò parte juvenis habens genas pubeſcentes primo flore *juventutis, ingreſſus eſt ſublime oſtium,* amictus *chlamyde auratâ, opere Phrygio diſtinctâ, circa quam purpura Melibœenſis gemino flexu ducta eſt, &* indutus *tunicâ, quam ei mater neverat ex auro flexili: ſimilis Deo vultu, & humeris, & flos* ipſe *juventutis. Qualis* eſt *Lucifer cum ablutus aquâ Oceani ſuſtulit in cælum vultum* ſuum *ſacrum. Sic* ſponſus *oſtendebat vultum & oculos, & impos animi currit ad januam. Amor agitat illum, & defigit oculos in puellâ. Carpſit ſuavia, & adhæſit complectens eam dextrâ.*

NOTÆ.

1. *Melibœa.*] Melibœenſis, ex Melibœâ Theſſaliæ civitate, teſte Servio.

2. *Lucifer.*] Phoſphorus; ſtella Veneris, quam Oceano tingi ex more poëtarum dicit, qui mane emergere mari aſtra, & in illud condi veſpere putarunt.

Oblatio munerum.

355 A. 5. INcedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, * pallam ſignis, auroque rigentem, A. 1.
A. 11. Munera portantes, aurique eboriſque [1] talenta,

INTERPRETATIO.

Juvenes progrediuntur, & ſimul in conſpectu parentum portant munera, pallam aſperam figuris in eâ pictis, *& auro* quo erat intexta, *ferentes dona, pondera auri, & eboris*

NOTÆ.

1. *Talenta.*] Verti *pondera.* Eſt enim talentum, non numerus ſed, pondus pecu-

Digitized by Google

[1] Et ſellam, * & pictum croceo velamen [2] acantho. A. 1.
A. 1. Ingens argentum menſis, * colloque [3] monile A. 1.
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.
A. 5. [4] Olli ſerva datur, * geminique ſub ubere nati. A. 5.
A. 10. Quattuor huic juvenes, * totidem inuptæque puellæ : A. 2.
A. 5. Omnibus in morem tonſa coma. * Pectore ſummo A. 5.
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

INTERPRETATIO.

& ſellam, & velum pictum acantho croceo. Multum vaſorum *argenteorum ad* ornandas *menſas, & torquem è margaritis*, quem *collo* geſtaret, *& coronam duplicem ex gemmis, & auro. Donatur ei* ſponſæ *ancilla, & duo* ejus *filii* adhue *lactentes. Sponſo autem quatuor juvenes* ſervi, *& totidem ancillæ innuptæ : capillus eſt tonſus* iis *omnibus more* ſolito. *In ſummitate autem pectoris torquis flexilis ex auro intorto ambit* iis *collum*.

NOTÆ.

niæ. Atticum quidem ſexaginta minarum Atticarum erat. Sed de his vide Budæum de Aſſe.

1. *Et Sellam.*] Curulem vel geſtatilem; cujuſmodi Hexaphoris, vel Octophoris matronæ utebantur.

2. *Acantho.*] Foliis acanthi opere Phrygio expreſſis. Cujuſmodi foliis ornantur columnarum Corinthiarum capitulà.

3. *Monile baccatum.*] E baccis margaritarum.

4. *Olli ſerva datur, &c.*] *Olli* ad ſponſam retuli in interpretatione, *huic* verò ad ſponſum, reſpiciens ad munerum genus utrique convenitns.

Epithalamium utrique.

356 A. 12. TUm ſtudio effuſæ matres * ad limina ducunt. A. 10.
G. 4. At chorus æqualis, * pueri inuptæque puellæ, A. 2.
G. 2. Verſibus incomptis ludunt : * & carmina dicunt. A. 6.
B. 8. O digno conjuncta viro, * gratiſſima conjunx, A. 10.
A. 1. Sis felix, * [1] primos Lucinæ experta labores, G. 4.
G. 4. Et mater. Cape [2] Mœonii carcheſia Bacchi.

INTERPRETATIO.

Tunc matres officioſæ deducunt ſponſam *ad cubiculum* ſponſi. *At cœtus ejuſdem ætatis, juvenes & virgines innuptæ, jocantur carminibus inconditis : & canunt verſus. O jucundiſſima uxor, copulata merito conjugi, ſis fortunata*, cum *paſſa* fueris *primos dolores Lucinæ*, & facta eris *mater. Sume pocula Bacchi Mœonii. Projice nuces, ô ſponſe. Circumda has aras*

NOTÆ.

1. *Primos Lucinæ, &c.*] Metonymicè primam partum exprimunt, quem ſponſæ optant felicem. Notum, Lucinam, ſeu Junonem Lucinam, ſeu Ilithiam Deam eſſe puerperiorum præſidem.

2. *Mœonii carcheſia Bacchi.*] Carcheſia ſunt tabulata illa, quæ in ſummis navium malis ſunt : *les hunes*. Ab iis pocula quædam figuræ conſimilis Carcheſia dicta, ut hoc loco. Bacchus porrò Mœonius dictus eſt, à Mœoniâ minoris Aſiæ regione, in quâ nullas præter vitem arbores naſci ferunt.

B. 8. [1] Sparge marite nuces. * [2] Cinge hæc altaria vitta, B. 8.
A. 8. Flos veterum, virtuſque virum : * tibi ducitur uxor, B. 8.
A. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat : & pulchra faciat te prole parentem.
A. 9. Fortunati ambo, * ſi quid pia numina poſſunt. A. 4.
A. 3. Vivite felices. * dixerunt : currite, fuſis, B. 4.
Concordes ſtabili fatorum [3] numine Parcæ.

INTERPRETATIO.

taniâ. O tu *cui inſunt ſelectæ dotes, & virtutes priſcorum virorum : uxor ad te deducitur, ut tranſigat tecum ob iſta tua merita, omnes annos* vitæ ſuæ : *& faciat te patrem formoſâ ſobole. Ambo eritis felices, ſi dii propitii aliquid valent* efficere. *Vivite fortunati. Parcæ unanimes in conſtanti decreto fatorum, dixerunt fuſis* ſuis : *Currite* diu.

NOTÆ.

1. *Sparge marite nuces.*] Ex Ecloga 8. Virgilii, ad quem locum Servius : *Idem Varro, ſpargendarum nucum hanc dicit eſſe rationem, ut Jovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona ſit ſicut Juno. Nam nuces in tutela ſunt Jovis, unde & juglandes vocantur, quaſi Jovis glandes. Nam illud vulgare eſt, ideo ſparge nuces, ut à rapientibus pueris fiat ſtrepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis poſſit audiri,* &c. Mos hic fluxiſſe à Græcis videtur. Apud Athenienſes enim, novus maritus nuces juglandes, amygdalas, aliaque id genus ſpargebat largitionis gratiâ. Atque hæc *καταχύσματα* vocabant, quaſi dicas, *effuſiones.*

2. *Cinge hæc altaria vitta.*] Morem aliquem in nuptiis uſitatum tangit. Cingebatur fortaſſe ara, ut uni addicta vero mater familias, pudicitiam adverſus alienos munitam undique habere debere oſtenderetur.

3. *Numine.*] *Numen* & *nutus* à *nuo* (unde *annuo*, & *abnuo*) non modo Deum, ſed nutum & voluntatem ſignificat. Verti *decreto.*

Ingreſſus in cubiculum.

357 G. 4. Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, * licito tandem ſermone fruuntur. A. 8.
A. 8. Congreſſi jungunt dextras : ſtratiſque reponunt. A. 4.
A. 1. At Cytherea novas artes, * & [1] pronuba Juno A. 4.
A. 11. Sollicitat : ſuadetque ignota laceſſere bella.
A. 1. Ille ubi complexu * molli fovet : atque repente A. 8.

INTERPRETATIO.

Poſtquam venerunt ſub tectum thalami ſuſpenſum & conſtructum *ex lapide, fruuntur demum conceſſâ confabulatione. Convenientes conjungunt manus : & reclinant* ſe *in torum. Venus autem, & Juno conjugalis tentant novas artes : & invitant* eos *ad committendum certamen* ipſis adhuc *incognitum. Ille poſtquam, amplexus* ſponſam, *tenero* ſinu *fovit* eam ;

NOTÆ.

1. *Pronuba Juno.*] Παράνυμφος Græcis. *Zygia* Juno apud Apuleium. Medea apud Senecam :

Dii conjugales, tuque Genialis tori
Lucina cuſtos.

Accepit ſolitam flammam, lectumque jugalem: A. 4.
A. 6. O Virgo nova mi facies, * gratiſſima conjux: A. 10.
A. 6. Veniſti tandem, * mea ſola, & ſera, voluptas. A. 8.
A. 2. O dulcis conjunx, non hæc ſine numine divûm
A. 12. Proveniunt, * placitone etiam pugnabis amori? A. 4.
A. 4. Talia dicentem jam dudum averſa tuetur:
A. 12. Cunctaturque metu: telumque inſtare tremiſcit:
A. 1. Spemque metumque inter: * funditque has ore loquelas: A. 5.
A. 10. Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formoſe puer, * noctem non amplius unam A. 1.
A. 9. Hanc tu, oro, ſolare inopem, * & miſerere precantis. A. 10.
A. 12. Succidimus. Non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba ſequuntur.
A. 9. Ille autem: Cauſas nequicquam nectis inanes.
A. 12. Præcipitatque moras omnes, * ſolvitque pudorem. A. 4.

INTERPRETATIO.

& *ſubitò hauſit conſuetum ignem*, & tetigit *genialem torum: ô puella*, inquit, *vultus mihi novus, uxor jucundiſſima: tandem veniſti, unicum meum gaudium*, & *tardius* meis votis. *O ſuavis uxor, hæc non contingunt ſine voluntate deorum. Reſiſteſne etiam amori tibi placenti? Hæc dicentem* illa *jam dudum aſpicit averſâ* facie: & *heſitat præ timore: ac trepidat quia telum imminet:* anceps *inter ſpem* & *metum:* & *hæc verba ore profert: O pulcher juvenis, rogo* te *per te* ipſum, & *per parentes qui te procrearunt tam formoſum, conſolare* me *miſeram, per hanc tantùm noctem ſolam*, & *miſerere* mei te *precantis. Collabor. Lingua* mea *non poteſt amplius* loqui, *robur ſolitum non ſuppetit meis membris; neque vox aut verba præſto* mihi *ſunt. Ille verò: Fruſtra*, inquit, *vanas excuſationes affers alias ex aliis. Et abrumpit omnes moras*, & *reſolvit* ejus *pudicitiam.*

Parecbaſis.

358 * * * * * * * * * * *

Imminutio.

359 * * * * * * * * * * *

360 Contentus eſto, Paule mi,

* * * * *

Roſæ. XIV.

361 [1]VEr erat: & blando mordentia frigora ſenſu
Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præceſſerat aura jugales,
Æſtiferum ſuadens anticipare diem.
Errabam riguis [2] per quadrua compita in hortis,
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa [3] pruinas
Pendere, aut olerum ſtare cacuminibus:
Caulibus & patulis teretes colludere guttas,
Et cæleſtis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi [4] Pæſtano gaudere roſaria cultu,
Exoriente novo roſcida Lucifero.
Rara pruinoſis canebat [5] gemma frutetis,
Ad primi radios interitura [6] die.
Ambigeres, raperetne roſis Aurora ruborem,
An daret: & flores tingeret orta dies.

INTERPRETATIO.

Erat verna tempeſtas: & dies reducta luteo mane exhalabat frigus perſtringent jucundo ſenſu. Ventulus tenuis anteibat equos Auroræ, invitans ad præveniendum diem allaturum calorem. Ambulabam in hortis irriguis per ambulationes quadratas, animo me recreandi matutino tempore. Vidi rorem collectum pendere per herbas incurvas, vel ſtare in ſummis oleribus: & guttas rotundas, & tunc turgentes gravitate aquæ ætheree, ludere in caulibus expanſis. Vidi roſaria læta cultu Pæſtano, rorulenta novo Phoſphoro oriente. Guttæ diſperſæ albicabant in fruticibus pruinâ oper-tis, *perituræ ad radios dies exorientis. Dubitares an Aurora traheret rubedinem à roſis, an*

NOTÆ.

1. *Ver erat.*] Hoc Edyllion, & quæ *Vir bonus*, *Naì xgy ù*, *Ætates animalium*, *Herculis ærumnæ*, *& Muſarum inventa* inſcribuntur, inter Virgilii opera reperta & edita fuerant, ac propter ſuam elegantiam, ejus eſſe diu credita ſunt. Verum ea inter ſcripta Auſonii, quem magis quam Virgilium redolent, quum repeꝛiſſent Hieronymus Aleander, & Mariangelus Accurſius, auctori illa ſuo aſſeruerunt.

2. *Per quadrua compita.*] Tranſlatè *quadrua compita* appellat concurrentes, inter areas horti, ſemitas ſeu ambulationes quatuor: cum propriè de magnis viis concurrentibus extructiſque in earum concurſu aris & ſacellis undique patentibus dicatur: ut ex Philargyrio aliiſque obſervat Voſſius.

3. *Pruinas*] Pruina propriè eſt ros concretus gelu. Hic pro rore, non congelato quidem, ſed inſtar pruinæ albicante ponitur.

4. *Pæſtano.*] Pæſtum oppidum fuit Calabriæ, ut vult Servius, aut, ut alii, Lucaniæ, roſarum cultu celebre, quas bis in anno ubertim ferebat. Unde apud Virg. lib. 4. Georg.

——*Biferique roſaria Pæſti.*

5. *Gemma.*] *Gutta*, Metaphoricè.

6. *Die.*] Pro *Dies* Sic lib. 1. Georg. Virg.

Libra die, ſomnique pares ubi fecerit horas.

Fruſtra igitur Barthius hic reponit *Dei*, & Solem interpretatur.

[1] Ros

Digitized by Google

[1] Ros unus, color unus, & unum mane duorum.
[2] Sideris, & floris, nam domina una Venus.
Forſan & unus odor: [3] ſed celſior ille per auras
Diffluit: exſpirat [4] proximus iſte magis.
Communis Paphie dea ſideris, & dea floris,
Præcipit unius muricis eſſe habitum.
Momentum intererat: quo ſe naſcentia florum
Germina comparibus dividerent ſpatiis.
Hæc viret anguſto foliorum tecta [5] galero:
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi faſtigia celſa [6] obeliſci,
Mucronem abſolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exſinuabat amictus,
Jam meditans foliis ſe numerare ſuis:

INTERPRETATIO.

verò eis *impertiretur: & lux exoriens inficeret* ſuo colore illos *flores. Ros erat idem, color idem, & eadem matutina* gratia *amborum. Scilicet eadem Venus domina eſt aſtri, & floris. Fortaſſe & idem* eſt *odor* utriuſque: *verùm ille ſublimior diffunditur per aërem: hic* verò *proximus magis exhalat. Venus numen commune aſtri, & floris, vult* utrumque *induere eandem purpuram. Paululum intercedebat temporis: per quod flores naſcentes ſeſe expanderent in ſpatia ſimilia. Hæc* roſa *viridis eſt operta ſtricto tegmine foliorum: oſtrum rubens pingit hanc exiguo folio. Hæc profert alium faſtigium coni* ſui *naſcentis, perficiens acumen* ſui *rubri verticis. Illa explicabat amictus contractos* in *capite* ſuo, *jam parans exponere folia ſua numeranda, &*

NOTÆ.

1. *Ros unus.*] Apul. noſter in fine lib. 3. Metamorph. *Hortulum quendam proſpexi ſatis amœnum, in quo præter cæteras gratas herbulas, roſæ virgines matutino rore fluebant.* Et lib. 4. *Jam enim loco proximus, non illas roſas teneras, & amœnas, madidas divini roris, & nectaris, quas rubi felices, & beatæ ſpinæ generant, &c.* In Pervigilio Veneris, ſive Catullus, ſive quis alius autor:

— *Ipſa roris lucidi,*
Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas:
Lacrymæ micant trementes de caduco pondere:
Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos.
In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ:
Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,
Mane virgines papillas ſolvit humenti peplo:
Ipſa juſſit, mane ut udæ virgines nubant roſæ.
Fuſæ aprugno de cruore, deque Amoris oſculo,
Deque gemmis, deque flammis, deque ſolis purpuris, &c.

2. *Sideris & floris, &c.*] Luciferi, quæ ſtella Veneris eſt, & Roſæ qui flos Veneri ſacer, ex quo ejus ſpinis punctæ cruore ruber factus eſt qui prius albus erat.

3. *Sed celſior ille.*] Odor ſideris.

4. *Proximus iſte.*] Odor roſarum.

5. *Galero.*] *Involucro.* Metaph. Galerus propriè capitis tegumentum eſt

6. *Obeliſci.*] Floris ſui, priuſquam aperiatur in obeliſci, ſeu coni & pyramidulæ rotundæ formam acuminati.

Nec mora: [1] ridentis calathi patefecit honorem,
  [2] Prodens incluſi ſemina denſa croci.
Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum,
  Pallida collapſis deſeritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
  Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
  Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.
Tot ſpecies, tantoſque ortus, varioſque novatus
  Una dies aperit: conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum eſt,
  Oſtentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa roſarum,
  Quas pubeſcenteis juncta ſenecta premit.
[3] Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous,
  Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
  Succedens ævum prorogat ipſa ſuum.
Collige virgo roſas, dum flos novus, & nova pubes,
  Et memor eſto ævum ſic properare tuum.

INTERPRETATIO.

ſtatim aperuit decus ſui *jucundi calycis patefaciens ſpiſſa* ſua *ſemina lutei* coloris, quæ *incluſa* gerebat prius. *Mox illa, quæ fulſerat toto rubore foliorum, palleſcens nudatur cadentibus foliis. Admirabar fugiens ævum tam citò auferre* eis ſuum honorem, *& roſas exoriendo conſenuiſſe. Ecce etiam, dum* hæc *dico, coma purpurea floris micantis collapſa eſt: & humus operta foliis rubicundis rutilat. Una dies incipit tot* varias *formas, tot exortus, &* tot *diverſas mutationes, & eadem abſolvit. O natura, querimur, quod decor florum brevis eſt*, vix *oſtendiſti* noſtris *oculis* tua *munera*, eum *ſtatim* ea nobis *eripis. Ævum roſarum tam longum eſt, quam unus dies eſt longus*, quippè *quas ſenium contiguum* juventæ *opprimit in* ipſâ *adoleſcentiâ. Quum* roſam *micans Lucifer mox vidit exorientem, eandem ſerus Veſper revertens aſpexit vetulam. Sed bene* habet; *quod* roſa *quanquam peritura intra paucos dies*, aliarum roſarum *ſucceſſione producit ſuam ætatem. Puella carpe roſas, donec* earum *flos* eſt *recens, & juventus nova, ac memineris tuam ætatem ſic currere.*

NOTÆ.

1. *Ridentis calathi.*] Metaphoricè *calathum* dicit florem Roſæ apertum, à ſimilitudine ejus cum calatho vaſe vimineo ſat noto. Simili metaphorâ flores ejuſmodi appellantur *calyces.*

2. *Prodens incluſi, &c.*] Hypallage pro *crocum ſeminum*, ſeu *ſemina crocea.*

3. *Quam modo naſcentem, &c. Hanc rediens ſero, &c.*] Hæc negligentius paulo, & ad opinionem vulgi magis quam ad aſtronomicam ἀκρίβειαν. Neque enim qui lucifer mane fuit, idem eodem die veſper eſſe poteſt, ſed multis tantum poſt diebus; cum ſcilicet aſtrum Veneris ab Occidentali ſolis parte ad Orientalem ſive progrediendo, ſive retrogrediendo tranſierit, quod diei unius ſpatio, ut fieri poſſit, conſpici certè ob ſolaris orbis, & radiorum viciniam non poteſt.

'Ex Græco, Pythagoricum de ambiguitate eligendæ vitæ. XV.

362 QUod vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora: ſi curis domus anxia: ſi peregrinos

INTERPRETATIO.

Quam viam vitæ ſequar? Si forum refertum eſt tumultu: ſi domus eſt *inquieta ſollicitudi-*

NOTÆ.

1. *Ex Græco.*] Ex hoc, ut videtur, epigrammate Poſidippi, vel Cratetis Cynici, quod extat lib. 1. Anthologiæ cap. 13. & apud Stobæum Serm. 96.

> Ποίην τίς βιότοιο τάμοι τρίβον; ἐν ἀγορῇ μὲν
> Νείκεα, καὶ χαλεπαὶ πρήξιες· ἐν δὲ δόμοις
> Φροντίδες· ἐν δ' ἀγροῖς καμάτων ἅλις· ἐν δὲ θαλάσσῃ
> Τάρβος· ἐπὶ ξείνης δ' ἢν μὲν ἔχεις τι, δέος.
> Ἢν δ' ἀπορῇς, ἀνιηρόν. Ἔχεις γάμον; οὐκ ἀμέριμνος
> Ἔσσεαι· οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐρημότερος.
> Τέκνα, πόνοι· πήρωσις, ἄπαις βίος· αἱ νεότητες
> Ἄφρονες· αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες.
> Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις· ἢ τὸ γενέσθαι
> Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Id eſt:

> *Quam quis vitæ ſecet ſemitam? in foro quidem*
> *Lites & moleſtæ actiones. In ædibus vero*
> *Curæ. In agris, laborum ſatis. In mari autem*
> *Terror: in peregrinatione autem, ſi quidem habeas aliquid, timor.*
> *Si egeas, grave eſt. Habes uxorem? non ſine ſollicitudine*
> *Eris. Non ducis? vivis adhuc deſolatius.*
> *Liberi, labores. Trunca eſt, orba liberis vita. Juventa*
> *Inſipientes: canities è contrario imbecilles.*
> *Erat itaque duorum unius electio, aut natum fuiſſe*
> *Nunquam, aut deceſſiſſe ſtatim naſcentem.*

Poſt quod quidem epigramma, aliud Metrodori in contrariam ſententiam lepidiſſimum; quod hic ſubjicere è re fuerit. Eſt hujuſmodi:

ΕΚ ΤΟΥ ΕΝΑΝΤΙ'ΟΥ ΠΙΘΑΝΑ.

Μητροδώρου.

> Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον· εἰν ἀγορῇ μὲν
> Κῦδεα, καὶ πινυταὶ πρήξιες· ἐν δὲ δόμοις
> Ἄμπαυμ'· ἐν δ' ἀγροῖς φύσιος χάρις· ἐν δὲ θαλάσσῃ
> Κέρδος· ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, κλέος.
> Ἢν δ' ἀπορῇς μόνος οἶδας· ἔχεις γάμον; οἶκος ἄριστος
> Ἔσσεται· οὐ γαμέεις; ζῇς ἔτ' ἐλαφρότερον.
> Τέκνα, πόθος· ἄφροντις ἄπαις βίος· αἱ νεότητες
> Ῥωμαλέαι· πολιαὶ δ' ἔμπαλιν εὐσεβέες.
> Οὐκ ἄρα τῶν δισσῶν ἑνὸς αἵρεσις ἢ τὸ γενέσθαι
> Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν. πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίῳ.

Id eſt:

> *Omnimodam vitæ inſiſtas ſemitam. In foro quidem*
> *Gloria, & prudentes actiones. In ædibus autem*
> *Requies. In agris naturæ oblectatio. In mari vero*
> *Lucrum. In peregrinatione, ſiquidem aliquid habes, gloria:*
> *Sin indigeas, ſolus noſti. Habes nuptias? Domus optima*

Cura domus ſequitur : mercantem ſi nova ſemper
Damna manent : ceſſare vetat ſi turpis egeſtas :
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
[1] Infamat, pœnæque graves in cœlibe vita,
Et gravior cautis cuſtodia vana maritis.
Sanguineum ſi Martis opus : ſi turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes uſura trucidat?
Omne ævum curæ : cunctis ſua diſplicet ætas.
Senſus abeſt parvis lactentibus : & puerorum
Dura rudimenta, & juvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iraſque, inſidiaſque, [2] catenatoſque labores
Mutandos ſemper gravioribus. Ipſa ſenectus
Expectata diu, votiſque optata malignis,
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præſentia ; quoſdam
Conſtat nolle deos fieri. [3] Juturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta eſt

INTERPRETATIO.

nibus : ſi ſollicitudo domus comitatur eos qui peregrinantur : ſi nova ſemper diſpendia expectanda mercatori : ſi pauperies inhoneſta prohibet otiari : ſi labor fatigat aratorem, horror naufragiorum reddit æquor infame : & cruciatus moleſti ſunt *in cœlibatu, & inanis cuſtodia* uxorum *magis moleſta* eſt *viris ſuſpicioſis : ſi ars bellica* eſt *cruenta : ſi quæſtus ex uſurâ inhoneſtus eſt, & fœnus properans jugulat pauperes? Omnis ætas ſuam habet ſollicitudinem : omnibus ſua ætas diſplicet. Infantes lactentes carent ſenſu, & initia* inſtitutionis *puerorum moleſta* ſunt, *& adoleſcentia juvenum temeritatis plena* eſt. *Fortuna vexat viros bellis, navigatione, ſimultatibus, inſidiis & laboribus ſibi mutuo nexu hærentibus, & commutandis perpetuo in moleſtiores. Senecta ipſa, dudum expectata, & exoptata votis improbis, exponit corpus laniandum morbis innumerabilibus. Cuncti in univerſum aſpernamur præſentia. Certum eſt nonnullos nolle evadere deos. Juturna exclamat : quorſum mihi tribuit vitam perpetuam? quare ablata* mihi

NOTÆ.

Erit. Non ducis uxorem? Vivis ad huc liberius.
Liberi amor ſunt. Sine cura eſt orba vita. Juventus
Robuſta, ſenectus rurſus pia.
Non igitur duorum alterum eligendum eſt, aut naſci
Nunquam, aut mori. Omnia enim in vita bona ſunt.

1. *Infamat.*] Propriè. Horat. *Infames ſcopulos*, naufragiis ſcilicet. Sic *infamis cadibus terra* apud Ovid. Et *infames frigoribus Alpes* apud Livium.

2. *Catenatoſque labores.*] Martial. epig. 72. lib. 1.

Expectant curæque, catenatique labores.

Id eſt : *connexi*, & ſeſe invicem trahentes catenæ inſtar.

3. *Juturna reclamat, &c.*] Lib. 12. Æneid. ubi Juturna Turni ſoror immortalitate à Jove donata, ob ereptam virginitatem, videns futurum ut frater Turnus ab Ænea cædatur, mortem optat iiſdem, quæ hîc referuntur verbis.

Digitized by Google

Conditio? Sic [1] Caucaſea ſub rupe Prometheus
Teſtatur Saturnigenam, nec nomine ceſſat
Incuſare Jovem, data ſit quod vita perennis.
Reſpice & [2] ad cultus animi. Sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum [3] non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculoſam ducere vitam
Quem juvat, [4] aſpiciat pœnas, & crimina regum,
[5] Tereos inceſti, [6] vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent [7] tria Punica bella:
Sed prohibet ſervare fidem [8] deleta Saguntos.
Vive & amicitias ſemper cole. [9] Crimen ob iſtud
Pythagoreorum periit ſchola docta ſophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. Crimen ob iſtud
[10] Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.

INTERPRETATIO.

eſt ſors mortalis? Similiter Prometheus in caute Caucaſi montis *affatur Jovem, Saturno ſatum, neque deſinit accuſare* eum, compellando ipſum *nomine, quod vita perpetua conceſſa ſibi ſit* ab eo. *Conſidera etiam animi dotes: ſcilicet infelix ſtudium pudicitiæ ita ſuſtulit è vivis Hippolytum. Contra vero ille qui amat degere vitam contaminatam voluptatibus, attendat flagitia, & ſupplicia regum, Terei inceſti, vel Sardanapali effœminati. Tria bella Punica ſuadent fugere perfidiam: at Saguntus everſa deterret à ſervandâ fide. Vive & cole ſemper amicitias. Erudita ſchola Philoſophorum Pythagoreorum periit ob id crimen. Itaque hoc timens nullas* amicitias *exerce. Timon obrutus eſt quondam ob id crimen apud Athenas Minervæ ſacras.*

NOTÆ.

1. *Caucaſea ſub rupe Prometheus, &c.*] Vide Prometheum Æſchyli. Et verſ. 77. Technopægnii, ſupra.

2. *Ad cultus animi.*] Virtutes, quibus animus ornatur.

3. *Non felix cura pudoris.*] Quâ factum ut novercæ Phedræ, cujus inceſtum amorem reſpuerat, furores in ſe converteret, & calumniis ejus exulatum abiens, ab equis monſtro è mari egreſſo territis, raptaretur ac diſcerperetur.

4. *Aſpiciat.*] Sic ex optimo MS. codice Tollius pro *aſpice & ad*, quod eſt in vulgatis.

5. *Tereos inceſti.*] Philomelæ violatoris, quæ Prognes conjugis ejus ſoror erat. Vide & crimen, & pœnam l. 6. Met. Ovid.

6. *Vel mollis Sardanapali.*] Is ultimus Aſſyriorum rex, à quo, propter ejus mollitiem indignatus Arbactus defecit, & victum mortem coegit ſibi conſciſcere, imperiumque tranſtulit ad Medos. Vid. Juſtin. lib. 1. cap. 3. Herodot. & Diodorum.

7. *Tria Punica bella.*] Quorum ultimo deleta à Romanis Carthago, civium ſuorum perfidiam luit.

8. *Deleta Saguntos.*] Saguntus in Hiſpaniâ ab Annibale deleta, ob eximiam in Populum Romanum fidem. Vide Livium initio ſecundi belli Punici.

9. *Crimen ob iſtud Pythagoreorum, &c.*] Diogenes Laertius in vitâ Pythagoræ ſcribit incenſam fuiſſe à quibuſdam, quos admittere in ſcholam ſuam noluerat Pythagoras, Milonis apud Crotonem domum, in quâ tunc ipſe Pythagoras cum diſcipulis & amicis ſuis circiter quadraginta verſabatur; cumque eum omnibus ferè qui unà erant, dum effugere incendium volunt, à Crotoniatis, qui libertati ſuæ à tot amicorum inter ſe conſpiratione metuebant, fuiſſe interfectum.

10. *Timon.*] *Μισάνθρωπος* ille, ſeu hominum exoſor. Hujus meminit in Alcibiade Plutarchus, & fuſius adhuc in Antonio. Lapidationis tamen hujus non meminit.

Digitized by Google

Diſſidet ambiguis ſemper mens obvia votis.
Nec voluiſſe homini ſatis eſt. Optata recuſat.
Eſſe in honore placet. Mox pœnitet. Et dominari
Ut poſſit, ſervire volet. Idem auctus honore,
Invidiæ objicitur. [1] Pernox eſt cura diſertis :
Sed rudis ornatu vitæ caret. Eſto patronus,
Et defende reos : ſed gratia rara clientis.
Eſto cliens: gravis imperii perſona patroni.
Exercent hunc vota Patrum. Mox aſpera curis
Sollicitudo ſubit. Contemnitur orba ſenectus,
Et [2] captatoris præda eſt hæredis egenus.
Vitam parcus agas: avidi lacerabere fama.
At largitorem gravius cenſura notabit.
Cuncta ſibi adverſis contraria caſibus. Ergo
Optima Graïorum ſententia. Quippe homini aïunt
[3] Non naſci eſſe bonum, natum aut cito morte potiri.

INTERPRETATIO.

Animus ſibi *perpetuò contrarius incertis cupiditatibus diſcordat* ſecum. *Neque ſufficit homini optaviſſe. Reſpuit quod optaverat. Juvat eum magiſtratus gerere. Statim pœnitet* eum. *Atque ut poſſit imperare*, etiam *animum appellet ad ſerviendum. Idem, cum pervenit ad magiſtratum* aliquem, *telis patet invidiæ.* Qui *ſtudent* eloquentiæ, *ſolliciti ſunt noctes atque* dies : *at ignarus vitam ducit ingloriam. Patronus eſto & defende accuſatos : verùm clientes rarò grati ſunt* in patronum. *Sis cliens: perſona patroni* tibi videbitur *intoleranda ob dominatum* quem in te exercebit. *Hic præficitur* rebus agendis *ſuffragiis Senatorum. Repentè cura moleſtâ anxietate penetrat* ejus animum. *Senex liberis carens ſpernitur, & qui non habet hæredem fit præda captatoris* hæreditatum. *Si vivas parcè; laborabis avaritia infamiâ. Sed ſi fias largus, aſpergeris notâ graviori. Omnia inter ſe pugnant caſibus contrariis. Itaque placitum Græcorum eſt ſapientiſſimum. Dicunt ſcilicet optimum eſſe homini non naſci, aut properè mori cùm natus eſt.*

NOTÆ.

1. *Pernox.*] Per noctem durans. Sic apud Apuleium noſtrum *perdia & pernox.* In vetere Onomaſtico, *Perdius πανημέριος* Pernox : *παννύχιος*.

2. *Captatoris.*] De hujuſmodi captatoribus ſenum orborum, inhiantibus alienæ hæreditati, vide Petronii Satyricon, ubi de Crotone; & Horatii. Sat. 4. lib. 2. quæ incipit : *Hoc quoque Tireſia.*

3. *Non naſci eſſe bonum.*] Vide adagium, *Optimum non naſci*, apud Eraſmum.

Digitized by Google

De viro bono, Πυθαγορικὴ [1] ἀκρόασις. XVI.

363 VIr bonus, & ſapiens, [2] qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo,
Judex ipſe ſui, totum ſe explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
[3] Securus, [4] mundi inſtar habens, [5] teres, atque rotundus:
Externæ ne quid labis per lævia ſidat.
Ille, dies quam longus erit, ſub ſidere Cancri,
Quantaque nox [7] tropico ſe porrigit in Capricorno,
Cogitat, & [8] juſto trutinæ ſe examine pendit,

INTERPRETATIO.

Vir probus, & ſapiens, cujuſmodi, Apollo interrogatus, ægrè invenit unum inter multa millia hominum, ſui ipſe index examinat ſe totum accuratiſſimè. Nequaquam curans quid putent magnates, & quid inanè vulgus exiſtimet: ſimilis mundo, teres & rotundus: ut nihil extranea ſordis adhæreat in politâ ſuperficie. Ille, quantumvis dies erit longus, dum Sol eſt *in ſigno Cancri, & quantum* longa *nox ſeſe extendit*, cum Sol eſt *in Tropico Capricorni, me-*

NOTÆ.

1. *Ἀκρόασις.*] Et *ἀκρόαμα*, quidquid publicè recitatur doctrinæ ergò.

2. *Qualem vix repperit unum, &c. conſultus Apollo*] Reſpicere videtur ad editum Chærephonti de Socrate oraculum relatum à Laert.

> *Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.*
> *Mortalium omnium Socrates ſapientiſſimus.*

3. *Securus.*] Sic Horat. *Quid Tiridaten terreat, unice ſecurus, &c.* Od. 26. lib. 1.

4. *Mundi inſtar habens.*] Rotundus & totus in ſe collectus ut mundus.

5. *Teres atque rotundus, &c.*] Expreſſa hæc ex Horat lib. 2. Sat. 7.

> *Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus:*
> *Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.*
> *Reſponſare cupidinibus, contemnere honores*
> *Fortis: & in ſeipſo totus teres, atque rotundus,*
> *Externi ne quid valeat per læve morari:*
> *In quem manca ruit ſemper fortuna, &c.*

Simonides tamen, apud Platonem in Protagora, quadratum vult bonum virum eſſe; qualem Mercurium, qui ipſa Ratio eſt, veteres effingebant.

6. *Sub ſidere Cancri.*] In primo gradu Cancri, ad quem Sol cum pervenit, diem efficit in hoc Boreali hemiſphærio totius anni longiſſimum.

7. *Tropico ſe porrigit, &c.*] A *τροπὴ reverſio* fit *tropicus* adjectivum, quod tamen ſæpius abſolutè ponitur, ſubintelligendo circulum; ut *tropicus Æſtivus, tropicus Hibernus, tropicus Cancri*, aut *Capricorni* ſcilicet *circulus*. Hi duo nempe termini ſunt, ad quos cum ſol pervenit, reverti incipit Boream aut Auſtrum verſus. Breviſſima porrò totius anni dies, quæ bruma dicitur, cum contingat ſole in Capricorni principio conſtituto, longiſſimam tunc eſſe noctem neceſſe eſt.

8. *Juſto trutina examine.*] Vetus Scholiaſtes Perſii ad hunc ejus verſ. Sat. 1.

> ——— *Examenve improbum in illa*
> *Caſtiges trutina.*

Examen, inquit, *eſt lingua, vel linum, quod mediam haſtam ad pondera adæquanda tenet. Caſtigare autem eſt digito libram percutere, ut temperetur, & præ agitatione poſt æquum*

Digitized by Google

Nequid hiet, nequid protuberet, [1] angulus æquis
Partibus ut coëat, [2] nil ut deliret amuſſis,
Sit ſolidum quodcunque ſubeſt: [3] nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
[4] Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
[5] Quæ prætergreſſus? Quid geſtum in tempore? Quid non?
Cur iſti facto decus abfuit; aut ratio illi?
Quid mihi præteritum; Cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem,

INTERPRETATIO.

ditatur & ſeſe penderat æquo examine libra, ut nihil ſit hiulcum, nihil nimis tumeat, ut angulus committatur æqualibus lineis, ut regula nequaquam aberret, ut *quodcunque interius eſt, ſit ſolidum: neque ictus impactus digitis prementibus oſtendat ſubeſſe aliquid vacuum. Non ante claudit oculos in ſuavem ſoporem, quam recogitaverit cuncta quæ fecit per ſolidum diem. Quâ* in re *peccavi, inquit? Quid* à me *factum* eſt *opportunè? Quid non* factum? *quare iſtud geſtum eſt turpiter: aut illud ſtultè? Quid* à me *prætermiſſum eſt? Quare conſilium hoc fixum* animo meo *fuit, quod* tamen *ſatius erat mutare? Quare, cum miſererer inopis,*

NOTÆ.

conquieſcat. Trutina vero eſt foramen, intra quod eſt lingula, de qua examinatio eſt. Trutinam tamen pro ſtaterâ manifeſtè accipit Vitruvius lib. 10. cap. 8. *Id autem*, inquit, *ex trutinis, quæ ſtateræ dicuntur, licet conſiderare.* Hic porrò continua Metaphora eſt.

1. *Angulus æquis partibus ut coëat.*] Vinetus hæc exponit de angulo recto. Ego malim intelligere de angulo, cujus crura ſive lineæ angulum ipſum comprehendentes, ſint inter ſe æquales.

2. *Nihil ut deliret amuſſis.*] *Delirare* eſt à *lirâ*, hoc eſt ſulco recto deflectere. *Amuſſis* regula, aut etiam perpendiculum, quo opera examinare fabri ſolent.

3. *Nec inania ſubtus indicet admotus digitis, &c.*] Ut fieri ſolet, cum doliorum plenitudo exploratur.

4. *Non prius in dulcem, &c.*] Hæc ex Aureis carminibus Pythagoreorum expreſſa ſunt, quæ ſic habent:

Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι
    προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμεριναῖν ἔργων τρὶς ἕκαστον
    ἐπελθεῖν.
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον
    οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου, ἐπέξιθι·
    καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο·
    Χρηστὰ δὲ, τέρπου.

Id eſt:

Neque ſomnum teneris in oculis accipe
Prius, quam diurnorum factorum ter
    unumquodque commemoraveris.
Quæ ſum tranſgreſſus? Quid feci? quid
    mihi, quod oportuit non factum eſt?
Orſus autem à primo recole. Et poſtea
Mala quidem ſi feceris, dele: bona vero, gaude.

Juxta morem hunc Horatius lib. 1. Sat. 4.

——— *Neque enim, cum lectulus, aut*
    me
Porticus excepit, deſum mihi: Rectius
    hoc eſt:
Hoc faciens vivam melius: ſic dulcis ami-
    cis
Occurram. Hoc quidam non bellè. Num-
    quid ego illi
Imprudens olim faciam ſimile? Hæc ego
    mecum
Compreſſis agito labris, &c.

5. *Quæ prætergreſſus.*] Magis accedet ad Græcum archetypum πῆ, ſi legas *quà*, quam *quæ*.

[1] Cur

[1] Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? Utile honeſto
Cur malus antetuli? Num dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam? Cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit? Sic dicta, & facta per omnia
Ingrediens, [2] ortoque à veſpere cuncta revolvens,
Offenſus pravis, dat palmam & præmia rectis.

INTERPRETATIO.

ſenſi aliquem dolorem molli nimis *animo? Quid cupivi quod bonum eſſet non cupere? Quare* ego *pravus antepoſui utile honeſto? An aliquis* à me *læſus eſt verbo, aut etiam* ſignificatione aliquâ *vultûs? Quare magis rapior* propenſione *naturæ, quam præceptis Philoſophiæ? Sic procedens per cuncta dicta, & facta* ſua, *& revocans* in mentem *omnia ab ortu Luciferi, deteſtans mala, laudat* tantum *ea quæ benè geſſi.*

NOTÆ.

1. *Cur aliquem fracta perſenſi mente dolorem.*] Quamvis enim Philoſophi, ut pote viri boni, eſſet opitulari egenis; Philoſophicum tamen non erat, viſo alterius malo, mœrorem, miſerationem, aliamve animi permotionem ſentire: præſertim apud auſterioris ſectæ Philoſophos, quales Pythagoræi & Stoici. Hallucinatur hic Vinetus cum exponit:

Ægre opem tuli, non libenter ut debui.

2. *Ortoque à veſpere.*] Veſper, & Lucifer idem aſtrum Veneris ſub vario nomine, prout ſolem ſequitur vel præcedit, ut jam obſervatum ad Roſas. Hic nomen Veſperi præpoſterè uſurpat Auſonius pro Lucifero, nomen Veſpertinum ſideris pro Matutino.

[1] Ναὶ ϰαὶ Οὐ [2] Πυθαγορικόν. XVII.

364 Eſt, & Non, cuncti monoſyllaba nota frequentant.
His demptis, nihil eſt, hominum quod ſermo volutet.
Omnia in his, & ab his ſunt omnia, ſive negotî,
Sive otî quicquam eſt, ſeu turbæ, ſive quietis.
[3] Alterutro pariter nonnunquam, ſæpe [4] ſeorſis

INTERPRETATIO.

Omnes uſurpant in ſermone *pervulgatas* voces *unius ſyllabæ* Eſt *&* Non *His ſublatis nihil eſt quod oratio humana verſet. Cuncta continentur in iis, & cuncta conſtant ex iis, ſive aliquid eſt negotii, ſive aliquid otii, ſive tumultûs, ſive quietis. Aliquandò utuntur ſimul*

NOTÆ.

1. Ναὶ ϰαὶ Οὐ.] Latinè vertas *etiam, & non.* Cic. 4. Academ. 104. *Ut ſequens probabilitatem ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut* etiam, *aut* non *reſpondere poſſit.*

2. Πυθαγορικόν.] Quare Pythagoricum potius, quam Stoicum, Academicum, aut alicujus alius ſectæ? Innuit fortaſſe has tantum duas voces Pythagoricis per quinquennale illud ſilentium pronuntiare licuiſſe.

3. *Alterutro pariter nonnunquam.*] Hoc eſt, aliquando ſimul dicunt *Eſt*, vel ſimul dicunt *Non*; cum ſcilicet idem ſentiunt.

4. *Seorſis.*] Ab adverbio *ſeorſim* adjectivum *ſeorſus, a, um*, quo utitur Terentianus Maurus pluribus locis.

Obſiſtunt ſtudiis: ut mores, ingeniumque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta eſt.
Si conſentitur, mora nulla intervenit, Eſt, Eſt.
Sin controverſum, diſſenſio ſubjiciet, Non.
Hinc fora diſſultant clamoribus: hinc furioſi
[1] Jurgia ſunt Circi: cuneati hinc [2] læta Theatri
Seditio: & tales agitat quoque Curia lites.
[3] Conjugia, & nati cum patribus, iſta quietis
[4] Verba ferunt ſtudiis, ſalva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis ſchola conſona diſciplinis
[5] Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba Sophorum.
[6] Eſt lux: eſtne dies ergo? Non convenit iſtuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Eſt nocturna homini, non eſt lux iſta diei.
Eſt & Non igitur, quotiens lucem eſſe fatendum eſt,
Sed non eſſe diem: mille hinc certamina ſurgunt.
Hinc pauci, multi quoque [7] talia commeditantes

INTERPRETATIO.

altero horum, *ſæpè* rapti *in contraria ſtudia contendunt* ambobus: *prout diſputatio incidit inter homines indolis, & morum facilium, vel difficilium. Si ſentiunt idem, ſtatim interponitur, Eſt, Eſt. Si verò diſſentiunt, contentio reponet, Non.* His vocibus fit *ut fora reſonent diſſonis vociferationibus. Ab his vocibus procedunt rixæ Circi inſani. Ab his hilaris tumultus Theatri in cuneos* diviſi. *Et ſimiles etiam controverſiæ jactântur in Senatu. Conjuges* interſe, *& filii cum parentibus, admiſcent illas voces affectibus tranquillis, nihil dicentes contra* officium *pietatis. Iis quoque* vocibus *ſchola concordans in* eâdem *aſſerendâ doctrinâ ventilat leni contentione controverſias ſuper placitis ortas.* His vocibus *tota multitudo dialecticorum-ſophiſtarum diſputat.* Exempli cauſa, *lux eſt: an igitur eſt dies? Hoc non cohæret. Nam quoties lucet homini per noctem propter multas faces, vel fulgura, lumen illud non eſt* lumen *dies. Ergo* utendum eſt vocibus, *Eſt, & Non, quotieſcunque concedendum eſt lucere, ſed non diem eſſe. Mille inde contentiones oriuntur. Hinc nonnulli, multi etiam cogitantes ſimilia, compreſſo*

NOTÆ.

1. *Jurgia ſunt Circi*] In quo aurigæ decurſo ſtadio inſanis ſæpe vociferationibus contendunt de victoriâ, cum pariter ferè, ut fit aliquandò, metas attigerunt.

2. *Læta Theatri ſ ditio.*] Cum (ut habetur in prologo Hecyræ) *tumultuantur, clamant, pugnant de loco.*

3. *Conjugia.*] Conjuges. Sic *ſervitia* pro ſervis, *miniſteria* pro miniſtris, aliaque ejuſmodi paſſim reperias.

4. *Verba ferunt.*] In colloquiis familiaribus; in quibus ſæpè in diverſas ſcinduntur ſententias, ſalvo tamen affectu mutuo & charitate, ac pietate.

5. *Dogmaticas lites.*] De dogmatis, hoc eſt, placitis ortas. Quæ enim Græci δόγματα, *placita* ſeu *decreta* Latini dixerunt.

6. *Eſt lux, &c.*] Affert pro exemplo dialecticarum altercationum tritum ſophiſma:

Si lux eſt, dies eſt.
Atqui noctu accenſis lampadibus lux eſt:
Ergo noctu dies eſt.

7. *Talia commeditantes, &c.*] Expreſſa hæc videntur ex illis Perſii Sat. 3.

Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodant,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes ſomnia.

Digitized by Google

Murmure concluſo rabioſa ſilentia rodunt.
Qualis vita hominum, duo quam monoſyllaba verſant!

INTERPRETATIO.

interius *murmure arrodunt rabidè* labra, *tacendo. O qualis eſt vita hominum, quam duæ* voces *monoſyllabæ agitant!*

De ætatibus animalium, [1] *Heſiodion.* XVIII.

365 TEr binos deciesque novem ſuper exit in annos
Juſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
[2] Hos novies ſuperat vivendo garrula Cornix:
[3] Et quater egreditur cornicis ſæcula Cervus.
[4] Alipedem cervum [5] ter vincit Corvus: & [6] illum
Multiplicat novies Phœnix, [7] reparabilis ales.

INTERPRETATIO.

Plena ætas hominum ad ſenectutem pervenientium extenditur ad ſex, & inſuper nonaginta annos quos complet. Cornix loquax vincit eos novies vivacitate: & Cervus excedit quater ætatem cornicis. Corvus ter ſuperat cervum pernicem; & Phœnix ex ſeipſo *renaſcens multiplicat ejus*

NOTÆ.

1. *Heſiodion.*] Ἡσιόδειον petitum ex Heſiodo poëma; cujus verſus hi extant apud Plutarchum lib. de Oraculorum defectu:

> Ἐννέα δὲ ζώει γενεὰς λακέρυζα Κορώνη
> Ἀνδρῶν ἡβώντων.

Vel, ut Demetrius apud eundem Plutarchum legi quoque meminit, & legiſſe Auſonius noſter videtur:

> —— γηράντων. Ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος,
> Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ Κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ Φοῖνιξ
> Ἐννέα τοὺς Κόρακας· δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς Φοίνικας
> Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.
> *Novem quidem vivit ſæcula garrula Cornix*
> *Virorum pubeſcentium,* (vel *ſeneſcentium*) *Cervus vero quatuor cornicum eſt*
> *Tres vero Cervos Corvus ſeneſcit. At Phœnix*
> *Novem Corvos. Decem vero vos Phœnicas*
> *Nymphæ bene comatæ filiæ Jovis à capra nutriti.*

Vana porro & futilia eſſe quæ Heſiodus his verſibus, & ex eo Auſonius de ætatibus quorumdam animalium affirmat, & res ipſa clamat, & Plinius ipſe teſtatur loco lib. 7. Natur. Hiſtoriæ à me jam laudato, ad hunc verſum Griphi:

> *Et novies trino cornix vivacior ævo.*

2. *Hos novies ſuperat, &c.*] Cornix ſic vivat novies nonaginta ſex annos, hoc eſt, 864.

3. *Et quater, &c.*] Sic Cervus vivat 3456 annos.

4. *Alipedem.*] Quaſi qui alatis ſit pedibus. *Ærípedem* dixit in Gripho numeri ternarii, ubi vide notas.

5. *Ter vincit Corvus.*] Sicque vivit 10368 annos.

6. *Illum multiplicat novies Phœnix*] Sicque vivit 93312 annos. Mille tamen tantùm, poſt Claudianum, ei tribuit noſter infra, Epiſt. 20.

7. *Reparabilis ales.*] Claudian. de Phœnice:

> *Hic neque concepto fœtu, nec ſemine ſurgit:*
> *Sed pater eſt, prolesque ſui: nulloque creante,*

Quam vos perpetuo [1] decies prævertitis ævo
[2] Nymphæ Hamadryades: quarum longiſſima vita eſt.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cætera ſecreti novit Deus arbiter ævi
Tempora: quæ [3] Stilbon volvat, [4] quæ ſæcula Phænon,
Quos Pyrois habeat, [5] quos Juppiter igne benigno
Circuitus: quali properet Venus alma recurſu:
Qui Phœben, [6] quanti maneant Titana labores.

INTERPRETATIO.

ætatem *novies. Quam* quidem avem *vos, ô Nymphæ Hamadryades quarum ætas eſt longiſſima, ſuperatis decies totâ* ejus *ætate.*

Hi ſunt termini intra quos vitæ animalibus fato conceſſæ *clauduntur. Deus diſpenſator arcanorum temporum cognoſcit cæteras ætates :* puta, *per quæ ſæcula Mercurii ſtella circumagatur, per quæ Saturnus, quos Mars gyros habeat, & quos Jupiter* cum ſuo *aſtro benefico : cujuſmodi circuitu alma Venus currat : quanti labores ſint tolerandi Lunæ, & Soli. Quoad uſque*

NOTÆ.

Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.

1. *Decies prævertitis ævo Nymphæ Hamadryades.*] Sic Nymphæ illæ viverent 933120 annos, ex egregiâ illâ Heſiodi ſupputatione, quam tamen Cleombrotus apud Plutarchum, loco ſupra laudato de oraculorum defectu, ſic explicat, ut γενεὰν hominis, cujuſmodi novem Cornici Heſiodus tribuit, unum tantùm annum eſſe putet, ſicque *Cornicis* vita fiat annorum 9, *Cervi* 36, *Corvi* 168, *Phœnicis* 972, & *Nympharum* 9720 annorum.

2. *Nymphæ Hamadryades.*] More Græcorum poëtarum extremam diphthongum vocis *Nymphæ* non elidit, ſed contrahit ante vocalem ſequentem.

3. *Stilbon.*] A ϛίλβω *luceo, corusco*, eſt ϛίλβων, quo nomine appellari Mercurii ſtellam teſtes ſunt Ariſtoteles lib. de mundo, Cicero lib. 2. de Natura Deorum, Plutarchus, lib. 2. de placitis Philoſophorum. Apud eoſdem Phaëton Φαέθων eſt Sol, Phænon, Φαίνων eſt Saturni aſtrum, utrumque à φάω *Luceo*, & Pyrois, Πυρόεις, Mars à πῦρ *ignis*.

4. *Quæ ſæcula Phænon.*] Sic optimè Vinetus reſtituit, pro *Phaton* quod legebatur in quibuſdam. Cum infra de Titane ſeu Sole loquatur, qui *Phaëton* eſt, veriſimilius multo eſt hic de Phænone ſeu Saturno loqui eum, (de quo nulla alia in toto hoc poëmate mentio.) quàm bis Solem commemorare.

5. *Quos Juppiter igne benigno.*] Quo Saturni inclementiam retundere etiam creditus eſt. Horat. lib. carm 2. Ode. 17. ad Mæcenatem.

—— Te Jovis, impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucriſque fati
Tardavit alas, &c.

6. *Quanti maneant Titana labores.*] An Eclipſes? ut apud Virg.

Defectus ſolis varios, lunæque labores,

an labores circumverſionis aſſiduæ? in poſterius hoc magis propendeo. Circuitus porrò horum omnium Planetarum his vulgò temporibus definiuntur: Lunæ quidem viginti ſeptem diebus, & horis circiter octo; Solis 365 diebus & horis quinque aut plus paulo, quod anni ſpatium eſt; quo quidem ferè ſpatio Venus, & Mercurius Zodiacum unà cum Sole percurrunt: Mars vero duobus ferè annis; Jupiter annis circiter duodecim; Saturnus ferè triginta. Obſerva autem tempora illa, quæ ſoli Deo cognita eſſe ait, non intelligenda eſſe ſpatia circuitûs uniuſcujuſ-

Digitized by Google

Donec [1] conſumpto, Magnus qui dicitur, anno,
Rurſus in antiquum veniant vaga ſidera curſum:
Qualia diſpoſiti ſteterant ab origine mundi.

INTERPRETATIO.

peracto illo anno, qui appellatur Magnus, ſtellæ errantes redeant iterùm in priſtinum ſuum *curſum: quales fuerant ab initio conſtituti orbis.*

NOTÆ.

que Planetæ: ea enim Aſtronomis cognita & ſupra relata à nobis: ſed ſpatia, & numerum circuituum, qui obeündi ſingulis planetis ſunt, quoad ad idem omnes punctum ſimul redierint, à quo profecti ſemel ſunt. Quod non niſi longiſſimo annorum circuitu fieri poteſt. Atque periodus illa, ſeu circuitus annorum, *Annus Magnus* dicitur.

1. *Conſumpto, Magnus qui dicitur, anno*] De hoc Cicero lib. 2. de Natura Deorum ſupra laudato: *Quarum* (vagantium ſtellarum) *ex diſparibus motionibus magnum Annum Mathematici nominaverunt, qui tum efficiatur, quum Solis & Lunæ, & quinque errantium ad eandem interſe comparationem, confectis omnium ſpatiis, eſt facta converſio. Quæ, quam longa ſit, magna quæſtio eſt. Eſſe vero certam, & definitam neceſſe eſt.* Magnum illum annum quidam putaverunt eſſe annorum ſolarium 1461, quidam 5000, alii 10000, alii 100000, alii etiam plurium. Vide Cenſorin. de die natali, Solin. in Polyhiſtore, Firmic. Macrob.

Monoſticha de ærumnis Herculis. XIX.

366 [1] PRima Cleonæi tolerata [2] ærumna [3] leonis.
Proxima [4] Lerneam ferro & face contudit hydram.
Mox [5] Erymantheum vis tertia perculit aprum.
[6] Æripedis quarto [7] tulit aurea cornua cervi.
[8] Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
[9] Threïciam ſexto ſpoliavit Amazona baltheo.

INTERPRETATIO.

Primus labor exantlatus ab Hercule, eſt labor *leonis Nemeæi. Secundus domuit hydram Lerneam ferro, & flammâ. Deinde tertius labor interfecit aprum Erymantheum. Quarto* labore *reportavit cornua aurata cervi æripedis. Quinto prælio fugavit aves Stymphalidas. Sexto detra-*

NOTÆ.

1. *Prima Cleonæi, &c.*] Præter hæc Monoſticha, extant in Virgilianis Catalectis & hæc alia, Virgilio etiam, ut reor, perperam attributa:

Compreſſit Nemeæ primùm virtute leonem.
Extincta eſt anguis quæ pullulat hydra ſecundo.
Tertius evictus ſus eſt Erymanthius ingens.
Cornibus auratis cervum necat ordine quarto.
Dejicit horriſono quinto Stymphalidas arcu.
Abſtulit Hippolytæ ſexto ſua vincula victæ.
Septimus Augiæ ſtabulum labor egerit undis.
Octavo domuit magno luctamine taurum.
Tum Diomedis equos, nono, cum Rege peremit.
Geryonem, decimo, triplici cum corpore vicit.
Undecimo, abſtractus vidit nova Cerberus aſtra.
Poſtremo, Heſperidum victor tulit aurea mala.

Vide Senecæ Herculem Octæum act. 1. ſc. 1.

2. *Prima ærumna.*] Primus labor Herculi imperatus ab Euryſtheo Mycænarum Rege, Junonis inſtinctu.

3. *Cleonæi leonis.*] Leonis in Nemeâ ſylvâ interfecti, juxta Achaiæ oppidum Cleonas. ſitum in viâ quæ ab Argis Corinthum ducit.

4. *Lerneam hydram.*] Lernæ lacûs monſtrum multiceps, quod, cum ferro non poſſet abſciſſis capitibus repulullantibus, igne demùm vicit. Unde Seneca:

Quid ſæva Lernæ monſtra, numeroſum malum,
Non igne demum vicit, ac docuit mori?

5. *Erymantheum.*] Illum ſcilicet, ut ait Seneca,

Solitum denſis hiſpidum Erymanthi jugis
Arcadica petere nemora Mænalium ſuem.

6. *Æripedis.*] De hac voce jam ſupra in ætatibus animalium, & in Gripho ternarii numeri.

7. *Tulit aurea cornua cervi.*] Cum eum curſu, aut potius jaculo, aſſecutus eſſet in Mænalo Arcadiæ monte. *Cervam* dixit Virg. Æneid. 6.

Fixerit æripedem cervam licet.

8. *Stymphalidas pepulit volucres.*] Aves in Stymphalo Arcadiæ lacu immorantes, tantæ magnitudinis, ut Solis radios obumbrarent volantes: quæ aves Arcadiam vaſtabant.

9. *Threïciam Amazona.*] Hippolyten Amazonum, juxta Thraciam, & Scythas habitantium, Reginam, quam Theſeo uxorem dedit, ex quâ ſuſcepit Hippolytum.

Digitized by Google

Septima in [1] Augeïs [2] ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur [3] adorea [4] tauro.
[5] In Diomedeis victoria nona quadrigis.
[6] Geryone extincto decimam dat [7] Iberia palmam.
Undecimo [8] mala Heſperidum [9] deſtricta triumpho.
[10] Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

INTERPRETATIO.

xit peltam Amazoni Thraciæ. Septimus labor collocatus ab eo eſt *in ſtabulis Augeæ* purgandis. *Octava victoria* ejus *numeratur*, quam retulit *fugato tauro. Nona* ejus *Victoria* fuit *in equis Diomedis. Hiſpania tribuit* ei *decimam victoriam, interfecto Geryone. Undecimo triumpho carpſit mala* aurea *Heſperidum. Cerberus* eductus ex inferis *eſt ultimus terminus noviſſimi* ejus *laboris.*

NOTÆ.

1. *Augeïs.*] Augeæ Elidis Regis.

2. *Stabulis.*] Ter mille boum capacibus, & triginta annorum fimo repletis, quæ Hercules mercede pactâ, purgavit, immiſſo Alpheo fluvio.

3. *Adorea.*] Ab *Ador*, quod farris genus. Feſtus: *Adoream laudem ſive gloriam dicebant, quia glorioſum eum putabant eſſe, qui farris copia abundaret.*

4. *Tauro.*] Atticam regionem devaſtante. De hoc Seneca:

Taurumque, centum non levem populis metum.

5. *In Diomedeis quadrigis.*] Equis quatuor Diomedis Thraciæ regis, quos ille advenarum carnibus paſcebat. Ipſum autem Hercules interfecit, & equis illis epulandum appoſuit.

6. *Geryone.*] Tricorpore illo rege Balearidum inſularum, vel, ut Solinus ait, Erythrææ inſulæ, quam Pœni linguâ ſuâ *Gadir*, id eſt, *ſepem*, appellarunt, in capite Bœticæ ſitæ; cujus Geryonis interfecti boves abduxit Hercules.

7. *Iberia.*] Hiſpania, ab *Ibero* amne.

8. *Mala Heſperidum.*] Aurea mala filiarum Heſperi fratris Atlantis, quæ mala pervigil draco cuſtodiebat.

9. *Deſtricta.*] Decerpta ab Hercule ſunt, interfecto dracone pervigili eorum cuſtode.

10. *Cerberus.*] Triceps inferorum canis ab Hercule extractus in auras.

Digitized by Google

Muſarum inventa, & munera. XX.

367 [1]CLIO geſta canens, tranſactis tempora reddit.
MELPOMENE tragico proclamat mœſta boatu.
Comica laſcivo gaudet ſermone THALIA.
Dulciloquos calamos EUTERPE flatibus urget.
TERPSICHORE affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens ERATO, ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris heroïca mandat.
URANIE cæli motus ſcrutatur & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA geſtu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

INTERPRETATIO.

Clio celebrans res geſtas, reſtituit rebus *præteritis* ſuam *ætatem. Melpomene triſtis exclamat ululatu tragico. Thalia comica delectatur oratione molli. Euterpe inflat ſpiritu fiſtulas ſuave ſonantes. Terpſichore citharis motus* animi *ciet, moderatur, & incitat. Erato tenens plectrum, componit ad numeros pedes, verſus, & os. Calliope committit chartis poëmata Heroica. Urania inveſtigat motus cœli, & ſidera. Polyhymnia exprimit omnia manu*, & *loquitur geſtu. Vigor Phœbea mentis agitat undique has Muſas. Apollo* autem *ſedens in medio, continet* in ſe *cuncta* munia earum.

NOTÆ.

1. *Clio geſta canens.*] Referuntur & hi verſus in Catalectis Virgilii. Alios ejuſdem argumenti refert Tollius ex ſcripto papyraceo, Juvenalis ſatyras continente, margini adſcriptos à quodam Petro Joannis de Gonda anno 1478. ineptos quidem illos, & contra proſodiæ leges peccante extremo. Muſas porrò finxerunt Jovis eſſe & Mnemoſynes, id eſt, Memoriæ filias, quarum nomina ſic interpretantur. Clio ἀπὸ τῦ κλέυς, à *gloria*, quam affert iis quorum geſta canit. Melpomene à μέλπομαι *modulor*, Thalia à θάλλειν *virere, germinare, florere.* Euterpe, & Terpſichore à τέρπω *oblecto.* Erato ἀπὸ τῦ Ἔρωτος ab Amore. Calliope, à Κάλος *pulcher*, & ὄψ, *vox*, quòd pulchram habeat vocem. Uranie Cæleſtis, ab οὐρανὸς Cælum. Polyhimnia à πολὺς & ὕμνος, à multitudine cantus, vel Polymnia, Πολύμνεια, à magnitudine memoriæ; Μνεία enim *memoria* eſt

AUSONII

Digitized by Google

AUSONII
[1]ECLOGARIUM.

[2] *De ratione Libræ.*

368 MIRARIS quicunque manere [3] ingentia mundi
Corpora, ſublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem:
Accipe quod mirere magis. Tenuiſſima tantis
Principia, & noſtros non admittentia viſus,
[4] Parvarum ſerie conſtant connexa atomorum:
Sed [5] ſolidum in parvis, nullique ſecabile ſegmen.

INTERPRETATIO.

Quiſquis es qui *admiraris magna corpora orbis perſtare cincta alto vortice cœli, & nihil labaſcere in tanta maſſâ: audi* aliquid *magis admirandum. Tanta corpora habent primordia minutiſſima, & fugientia noſtros obtutus*, quæ *conflata ſunt ex congerie tenuium atomorum. Sed ſoliditas* ineſt *tenuibus illis, &* parva illa *ſegmenta* materiæ *ſecari* iterùm *à nemine poſſunt.*

NOTÆ.

1. *Eclogarium*] Collectio quædam opuſculorum ſequentium, *de ratione Libræ*, *de ratione Puerperii maturi*, *&c.* Quæ in Vineti editione, abſque *Eclogarii* titulo, ſeorſim edita ſub totidem Idylliorum numeris ſunt. Ex titulo porrò *Eclogaris* apparet ἐκλογὴν eſſe, id eſt, excerpta quædam ex juſto opere Auſoniano.

2. *De ratione libra.*] Ad hujus poëmatii intelligentiam, obſervandum libræ nomen variè uſurpari: pro inſtrumento quo res ponderantur, trutina puta aut ſtatera, *une balance*: pro certo pondere, *une livre*. Quod quia aſſis pondus erat, *libra* quoque pro aſſe ſumitur. Cujus partes duodecim, unciarum nomine veniunt, de quibus infra. Pro inſtrumento quo, plumbi aut gravis alicujus alius corporis ope, exploramus an areæ, parieteſve, aut arrectaria recta ſint, an propendeant in partem aliquam, locorum quoque ſitum, & faſtigium ad aquæ ductus, *un niveau*. Denique in rebus aliis omnibus metaphoricè pro certâ lege, modo, menſurâ, regulâ, temperamentoque recto, & æquo libræ nomen uſurpatur.

3. *Ingentia mundi corpora.*] Terram cum circumpoſitis elementis tantùm intelligit hic Vinetus, de quibus Ovidius Met. 1.

Denſior his Tellus. Elementaque grandia traxit.

Sed ipſos quoque Aſtrorum orbes, qui per æthera feruntur, intelligere nil vetat. Ii enim ex atomis etiam conflati juxta Epicureos.

4. *Parvarum ſerie atomorum.*] Hæc ex Epicuri poſt Leucippum & Democritum doctrinâ, quam libris ſex Latinis verſibus expoſuit Lucretius. *Atomos* illas *inſecabilia corpora* rectè vertas: eſt enim ἄτομος qui ſecari nequit, à τέμνω *ſcindo*, *ſeco*.

5. *Solidum in parvis.*] Quia nullum habeat in ſe corpuſcula illa vacuum: unde fit ut dividi non poſſint, quanquam, variæ deſignari in iis poſſint partes.

Digitized by Google

Unde vigor vireſque manent, [1] æternaque rerum
Mobilitas: nulloque unquam ſuperabilis ævo.
Divinis humana licet componere. Sic eſt
As ſolidus, quoniam [2] bis ſex de partibus æquis
Conſtat: & in minimis paribus tamen [3] una manet vis.
Nam ſi quid numero minuatur, ſumma vacillat,
Convulſæque ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium ſi quis vellat de fornice ſaxum,
Incumbunt cui cuncta, ſimul devexa ſequentur
Cætera, communemque trahent à vertice lapſum.
Non aliter libra eſt, ſi defuit uncia, totus
Non erit as: [4] nomenque deunx jam caſſus habebit.
Nec dextans retinet nomen, ſextante remoto.
Et dodrans, [5] quadrante carens, [6] auctore carebit.

INTERPRETATIO.

Atque *hinc ſit ut robur & firmitas maneat in rebus, & perpetua agilitas, quæ vinci nullo temporis ſpatio poſſit. Fas eſt conferre humana divinis. Sic as eſt ſolidus, quia conſtatus eſt ex duodecim partibus æqualibus: & tamen eadem virtus ineſt in parvis* illis *æqualibus* partibus. *Si enim dematur aliquid de numero, totum labaſcit, & partes divulſa cadunt toto labefactato. Quemadmodum ſi aliquis revellat de teſtudine lapidem medium, in quem omnes alii recumbunt, reliqui* lapides *inclinati unà ſequentur, & ſimul ducent ruinam à culmine. Haud ſecus libra ſe habet. Si uncia defecit, non erit as ſolidus: &* quod ſupererit, *tunc inaniter appellabitur deunx. Neque dextans ſervat nomen ſuum, cum duæ unciæ ablata ſunt. Et dodrans privatus*

NOTÆ.

1. *Æternaque rerum mobilitas, &c.*] Æternas quippe atomos ingenerabiles ipſas & incorruptibiles per inane volitare, exiſtimarunt Epicurei; at ex iis generari omnia, prout illæ motu ſuo in varias moleculas congregarentur; corrumpi verò, prout eodem motu à ſe invicem divellerentur.

2. *Bis ſex de partibus.*] Duodecim unciis, ex quibus as, ſeu libra conflatur. Alterum enim promiſcuè pro altero hîc uſurpat.

3. *Una manet vis.*] Conſtituendi totius aſſis, qui deſinit eſſe as, ſi deſit vel minima uncia.

4. *Nomenque deunx jam caſſus habebit, &c.*] His quæ ſequuntur nihil aliud ſignificare vult, niſi ſublatis aliquot aſſis partibus, ſeu unciis, reliquas nomen quod eis vulgò tribuitur ad oſtendendum quota aſſis pars ſint, puta deunx, dodrans, beſſis, &c. non niſi impropriè poſſe retinere; cum as ipſe, eujus reſpectu tantùm ea habent nomina, non remaneat amplius. Deunx ſignificat aſſem deficiente unciâ, hoc eſt undecim uncias; dextans, eundem aſſem deficiente ſextante ſeu duabus unciis, hoc eſt uncias decem; dodrans aſſem deficiente quadrante, hoc eſt novem uncias, ſeu tres aſſis quadrantes: bes, binas aſſis tertias, hoc eſt uncias octo: ſeptunx, ſeptem uncias: ſemis dimidiam aſſis partem, ſeu uncias ſex: quincunx, uncias quinque: triens uncias quatuor, quæ aſſis eſt tertia pars: quadrans tres uncias, quæ quarta pars aſſis: ſextans denique ſextam partem aſſis ſignificat, hoc eſt duas uncias.

5. *Quadrante carens.*] Sic emendat Gronovius. Vulgò legitur *quadrante ſatus*, quod ſenſum habet aliquem, ſed qui nihil ad hunc locum facit.

6. *Auctore carebit.*] Quadrante ſcilicet,

Divulſúſque triens prohibet perſiſtere beſſem.
Jam quincunx tibi nullus erit, [1] ſi prima revellas.
Et ſemis, cui ſemis erit [2] pereuntibus aſſis
Partibus : & [3] cujus libræ pars ſeptima, ſeptunx?
Libra igitur, totum ſi nulla in parte vacillet.
Ponderis, & numeri, morumque, operumque, [4] & aquarum
Libra : nec eſt modulus, quem non hoc nomine ſignes.
[5] Telluris, medio quæ pendet in aëre, libra eſt,
Et Solis, Lunæque vias [6] ſua libra coërcet.
[7] Libra die, ſomnique pares determinat horas.
[8] Libra Caledonios [9] ſine littore continet æſtus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

INTERPRETATIO.

quadrante, privabitur auctore ſui nominis. *Et triens abſtractus vetat beſſem permanere. Jam* verò *nullum habebis quincuncem, ſi auferas partes priores. Et à quo ſemis vocabitur ſemis, ſublatis reliquis partibus aſſis : & ſeptunx* ſolus *cujuſnam libræ* erit *partes ſeptem? Libra* ergò erit, *ſi totus* as *non labefactetur in parte ullâ. Libra* ſpectat *ad pondus, numerum, mores, opera, & aquas : neque* ulla *eſt menſura, quam non poſſis appellare hoc nomine. Terra quæ ſuſtinetur in medio aëre, habet ſuam libram. Libra quoque propria regit vias Solis & Lunæ. Libra facit æquales horas diei, & noctis. Libra coërcet intumeſcentiam Oceani Caledonii abſque* ope *littoris. Tu etiam, ô libra, ſis mihi* ſemper *determinata* regula *meorum morum.*

NOTÆ.

qui dodranti additus, conſtituit aſſem, cujus tantùm reſpectu dodrans dicitur, ut jam monui.

1. *Si prima revellas.*] Hoc eſt priores uncias ſeptem, quæ cum quincunce aſſem efficiunt.

2. *Pereuntibus aſſis partibus.*] Sex reliquis unciis.

3. *Cujus libræ pars ſeptima ſeptunx.*] *Pars ſeptima* durius paulò hic ponitur, pro *ſeptem partes.* Septunx quippè ſeptem continet uncias. Mutare tentat Gronovius, ſed fruſtra. Durum quidem, at in hoc poëta ferendum; cujus exemplum in Martiali reperias, lib. 8. epig. 15.

Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus,
Et litant Latiæ tertia dona Tribus.

Ubi *tertia dona*, terna ſeu tria intelligenda ſunt. Eſt enim quædam recapitulatio donorum populi, Equitum, & Senatus.

4. *Et aquarum libra.*] Inſtrumentum ad faſtigium ſeu inclinationem locorum deprehendendam, ad aquæductus conſtruendos. Vide Vitruvium lib. 8. cap. 6. Ubi tria hujuſmodi inſtrumenta commemorat, Dioptram, Libram aquariam, & Chorobaten.

5. *Telluris, medio, &c.*] Reſpexit ad hos Ovidii verſus lib. 1. Metamorph.

Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata ſuis.

6. *Sua libra.*] Sua determinata ſemita, Zodiacus ſcilicet circulus.

7. *Libra Die, &c.*] Virgilianum eſt in Georgicis :

Libra Die ſomnique pares ubi fecerit horas.

Die antiquum pro Diei. Hîc legitur in pleriſque *Dies* contractum pro *Diis.* Libram autem hic intellige ſignum Zodiaci, in cujus primo puncto cum ſol fuerit, Æquinoctium eſt Autumnale; cum vernum ſit in primo puncto Arietis.

8. *Libra Caledonios.*] Libramentum aquæ.

9. *Libra Caledonios ſine littore, &c.*] A Caledoniâ Sylvâ Britanniæ inſulæ, Caledonios æſtus dixit Oceani Britannici. Reſpexit procul dubio ad hunc Plinii locum lib. 2. cap. 67. *Octogenis cubitis ſupra Britanniam intumeſcere æſtus Pythias Maſſilienſis auctor eſt. Interiora autem maria terris clau-*

Digitized by Google

NOTÆ.

duntur ut portu. E littore quidem mare ſpectantibus tumere in altum videtur, ſed littoribus opus eſſe ad continendum Oceanum ſatis docent tot variis temporibus ſubmerſæ regiones, & ſumma cura ſubindè reficiendæ in Hollandiâ littorum moles.

De ratione puerperii maturi.

369 [1] OMnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Aſtrorum dominatus agit: terrenaque tantum
Membra homini. E ſuperis [2] fortuna, & ſpiritus auris,
Septeno moderanda choro: ſed præſidet ollis
Sortitus regimen nitidæ Sol aureus ethræ.
[3] Nec ſola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve ſolliciti ſpatium producimus ævi:
[4] Creditur occultoſque fatus, & tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namque ubi conceptus [5] genitali inſederit arvo,
[6] Haud dubium Solem cuicunque inſiſtere ſigno.

INTERPRETATIO.

Imperium ſiderum regit cuncta, quæ obſervamus in diverſis rebus agendis. Et homo habet ſolùm artus corporis *à terra. Fortuna, & anima* veniunt ipſi *ab athere ſummo, dirigenda à cætu ſeptem* planetarum. *Verùm Sol cui obtigit moderamen clari atheris praeſt illis. Neque regit tantùm in nobis horas vitæ* noſtræ, *donec degimus curta tempora vitæ anxiæ*: ſed *exiſtimatur* etiam *fingere aſpectu* ſuo *ſecretas generationes, & ſpatium vitæ* quod *degendum* eſt *in ventre matris, & efficere fata vitæ nondum editæ* in lucem. *Etenim cum fœtus adhaſerit arvo genitali,*

NOTÆ.

1. *Omnia quæ, &c.*] Cenſorinus lib. de Die Natali, unde hæc de ratione partûs deſumpſiſſe Auſonius videtur: *Ante omnia igitur*, inquit, *dicunt actum vitamque noſtram ſtellis tam vagis quam ſtantibus eſſe ſubjectam. Earumque vario multiplicique curſu genus humanum gubernari.*

2. *Fortuna.*] Quidquid in vitâ boni aut mali contingit.

3. *Nec ſola in nobis, &c.*] Sic optimè Tollius repoſuit, ex eo quod erat in veteri libro, *Nec Sol in nobis*, &c. Propter Synalœpham *Sola in.* Quod non videntes librarii exſcripſerunt *nec Sol in nobis*, &c. abſurdo ſenſu, & ineptâ repetitione vocis *Sol.* Senſus ex hac lectione planus eſt, qualem in interpretatione expoſui.

4. *Creditur occultoſque fœtus, &c.*] Sic Achinapolus Chaldæus teſte Vitruvio lib. 9. cap. 7. *Non è naſcentia, ſed ex conceptione genethlialogiæ rationes explicatas reliquit.*

5. *Genitali inſederit arvo.*] Sic omninò legendum, non *alvo.* Reſpexit ad illud Virgilii Georg.

——— *Nimio ne luxu obtuſior uſus*
Sit genitali arvo.

Arvum genitale Metaphoricè pro ipſâ vulvâ, in quâ ſeruntur animalia, ſeu in arvo fruges. Hoc non intelligentes librarii, pro *arvo* repoſuerunt *alvo.*

6. *Haud dubium, &c. cuicunque.*] In aliquo ſigno Zodiaci, quodcunque tandem illud ſit. Expreſſit illud Cenſorini: *Quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo ſigno ſit, neceſſe eſt.*

[1] Qui quum vicini ſtationem ceperit aſtri,
[2] Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.


INTERPRETATIO.

certum eſt *ſolem eſſe in aliquo ſigno* Zodiaci. *Qui cum pervenerit ad proximum ſignum, nullam lucem immittit in* locum *conceptionis* ſibi *proximum.*

NOTÆ.

1. *Qui quum vicini ſtationem, &c.*] Cenſorinus: *Sol ergo cum in proximum ſignum tranſcendit, locum illum conceptionis aut imbecillo videt conſpectu, aut etiam nec conſpicit.* Ut hoc, & quæ ſequuntur, de variis Solis procedente tempore in locum ubi conceptionis momento erat conſpectibus intelligantur, operæ pretium erit oculos in ſubjectam figuram conjicere.

FIGURA ASPECTUUM SOLIS IN ZODIACO.



Locus Solis tempore conceptionis

2. *Contiguos nullum transfundit, &c.*] Id demùm verum eſſe poſſit, ſi Sol ab eâ tantum ſui parte, quam nobis obvertit, radios luminis emittat. Sic enim luce tantùm obliquâ, & admodum tenui ac penè nullâ, locum illum in quo erat ortûs ſeu conceptionis tempore, poſt unum tantum elapſum menſem illuſtraret: at quis neſ-

Aſt ubi converſis [1] poſt menſtrua tempora habenis,
[2] Scandit purpureo jam tertia ſidera curru:
[3] Obliqua exilem demittit linea lucem,
[4] Aſpirans tenues per inertia pondera motus.
[5] Quarta in ſede viget primi indulgentia Solis,
Suadet & infuſus teneros coaleſcere fetus.
Fulgor [6] tetragono aſpectu vitale coruſcat,
Clarum, & lene micans: [7] quinti qui cardine ſigni
[8] Incutit [9] attonitam vegetato infante parentem.
[10] Nam ſexto vis nulla loco: quia nulla tuendi

Interpretatio.

Sed cum verſis equorum ſuorum *loris poſt ſpatium menſium* duorum, *jam aſcendit curru* ſuo *candens tertium ſignum: linea obliqua* aſpectûs ejus *vibrat* in locum ortûs *tenue lumen, inſpirans parvos motus in lentam* fœtûs *maſſam. Sol incipit benignius aſpicere in quarto loco. Et infundens* ſeſe *efficit ut tener fœtus concreſcat in* corpus ſolidius. *Splendor* ſolis *in aſpectu quadrato rutilat modo vitali, fulgens nitidè, & leniter: qui in primo puncto quinti ſigni efficit ut infans robuſtior percutiat*, ſeſe movendo, *matrem* id *mirantem. Nam nulla virtus* eſt

Notæ.

cit è toto Solis globo, ſeu centro quodam lucis, diffundi in omnes undique partes radios? Unde patet quam vanæ ſint iſtæ Chaldæorum obſervationes falſo ſubnixæ principio.

1. *Poſt menſtrua tempora.*] Bina, ut patet ex tranſcurſorum ſignorum numero. Singulis enim menſibus ſingula Zodiaci ſigna Sol decurrit.

2. *Scandit jam tertiâ ſidera.*] Hoc eſt incipit jam ſcandere. Et tunc ille eſt quem *ſextilem aſpectum* vocant, Græci *καθ' ἑξάγωνον*, cum linea, à Sole ad planetam aut punctum aliquod Zodiaci ducta ſubtendit arcum 60 graduum, quod duorum ſignorum ſpatium eſt, & eſt latus hexagoni regularis, (hoc eſt æquilateri, & æqui anguli) Zodiaco inſcripti.

3. *Obliqua exilem, &c.*] Cenſorinus: *At quum in tertio eſt ſigno, hoc eſt, uno medio interpoſito, tum primum illum locum, unde profectus eſt, videre dicitur, ſed valde obliquo, & invalido lumine.*

4. *Aſpirans tenues, &c. motus.*] Plinius lib. 7. cap. 6. ſcribit moveri incipere in matris utero marem quadrageſimo à conceptu die, fœminam verò tantùm nonageſimo. Hippocrates ſeu auctor quiſquis eſt libri de Natura Fœtus, Hippocrati attributi, marem moveri ait tertio menſe, fœminam quarto, & interdum citius.

5. *Quarta in ſede.*] Initio quarti ſigni, ubi aſpectus eſt *κατὰ τετράγωνον*, vulgo *quadratus* dictus; quoniam linea hunc aſpectum denotans, triaque ſubtendens ſigna, latus eſt quadrati in Zodiaco inſcripti, ut patet ex figuræ intuitu.

6. *Tetragono aſpectu.*] Qui fit in quartâ ſede. Spectant hæc adhuc ad duos verſus ſuperiores.

7. *Quinti qui cardine ſigni.*] Ubi aſpectus eſt *κατὰ τρίγωνον*, *ſecundum triangulum*, ſeu trinus.

8. *Incutit.*] Vehementius ſcilicet. Nam moveri infantem ante quintum menſem, ex Plinio, & Hippocrate obſervatum ſupra. Sed cum antea lentè, & ſegniter moveretur, quinto menſe agitat ſeſe validius.

9. *Attonitam.*] Eo quod nihil tale illâtenus experta ſit.

10. *Nam ſexto vis nulla loco, quia, &c.*] Idem habet Cenſorinus: *Quæ duæ viſiones τετράγωνοι καὶ τρίγωνοι perquam efficaces in incrementum partes multum adminiculant. Cæterum à loco ſexto conſpectus omnis caret efficientia. Ejus enim linea nullius Polygonia efficit latus.*

Æquati lateris ſignatur regula Phœbo.
Aſt ubi [1] ſigniferæ media in regione cohortis
[2] Septimus accepit limes [3] rutilantia flammis
[4] Recto caſtra ſitu: turgentis fœdera partus
Jam plena ſub luce videt. Nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ.
Hinc illud, quod [5] legitimos [6] Lucina labores
[7] Prævenit; & gravidos ſentit ſubrepere nixus
Ante exſpectatum feſtina puerpera votum.
Quod niſi, ſepteno quum lumina ludit ab aſtro,
Impulerit tardi clauſtra obluctantia partus,
[8] Poſterior nequeat, [9] poſſit prior: an quia [10] ſexto

INTERPRETATIO.

in ſexto ſigno: quia Sol non aſpicit tunc locum ortûs *per ullam lineam* quæ efficiat in Zodiaco figuram *aliquam æquilateram. Verùm cum in medio aſtriferi circuli ſeptima ſedes excepit caſtra* ſolis *igne coruſcantia poſitu directo: tunc aſpicit ſub pleno lumine fœtum jam grandiorem. Et vibrans ſplendorem lucis non exigua, calefacit* eum *flammis totius ſui orbis. Hinc eſt, quod* tunc *Lucina* aliquandò *prævertit ſtatum* tempus *laborum* puerperii, & mulier *ſentit oboriri* ſibi *niſus* partitudinis *propinqua*, facta *puerpera properè, priuſquam ſperaverat & optaverat. Quod ſi* Sol *non pulſaverit clauſtra obſiſtentia partûs morantis, quandò vibravit lucem à ſeptimo ſigno* Zodiaci, *non poſſit poſtea*, quod *prius potuerat: an quoniam inanis conſpectus octavi ſigni*

NOTÆ.

1. *Signiferæ media in regione cohortis.*] Quocunque ſenſu intelligenda ſit vox *Cohortis*, ſive pro *caterva*, (ut Zodiacus ſit caterva quædam aſtrorum ordine diſpoſitorum, ut ſunt in cohorte milites) ſive pro *conſepto* quodam (ut Zodiaco incluſa intelligantur variorum animalium nominibus appellata ſigna, tanquam in cohorte, ſeu certè varia domeſtica animalia Gallinæ, Anſeres. &c.) certè nihil aliud his verbis deſignare voluit Auſonius, quam medium Zodiaci locum.

2. *Septimus limes.*] Initium, ſeu primus gradus ſeptimi ſigni.

3. *Rutilantia flammis*, &c.] Periphraſis Solis metaphorica.

4. *Recto ſitu.*] Ita ut Sol loco conceptionis, unde profectus intelligitur, oppoſitus ſit è diametro.

5. *Legitimos.*] Novimeſtres.

6. *Lucina.*] Dea partûs in lucem edens, unde & nomen habet, Juno eſt, & Diana quoque, ſic enim ſæpè numina ſua confundebant. Sic Sol & Luna ſub Liberi, & Cereris nominibus invocantur à Virgil. Georgicôn initio. Cicero lib. 2. de Natura Deorum: *Luna à lucendo nominata ſit, eadem eſt enim Lucina* & paulo poſt: *Diana dicta quia noctu quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii maturеſcunt aut ſeptem nonnumquam, aut, ut plerumque, novem Lunæ curſibus: qui quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur.*

7. *Prævenit.*] In quibuſdam qui ſeptimo menſe in lucem erumpunt.

8. *Poſterior nequeat.*] Sol in octavo ſigno conſtitutus. Editos quippè octavo menſe partus non eſſe vivaces vulgò creditum: diſſentit Plinius lib. 7. cap. 8.

9. *Poſſit prior.*] Conſtitutus in ſeptimo, quo menſe editi vitales. *Sunt ita tamen*, inquit Plinius, *ſi pridie aut poſtridie plenilunii, aut interlunio ſint concepti.*

10. *Sexto Æmulus.*] Quinque ſolidorum ſignorum ſpatio à puncto conceptionis diſtans ab unâ parte, ut ſextus aſpectus ab alterâ. Cenſorinus: *At ſi intra hoc ſpatium*, (ſeptem menſium) *matureſcere uterus non potuerit, octavo menſe non editur: ab octavo enim ſigno, ut à ſexto inefficax viſus.* V. fig.

Æmulus octavi conſpectus inutilis aſtri
Neſcit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens ſigno, cunctantia matrum
Vota levat, [1] trigono vires ſociante ſequenti.
[2] At ſi difficilis partus trahit [3] Ilythyïa,
[4] Tetragono abſolvet dubiarum vincla morarum.

INTERPRETATIO.

imitans conſpectum *ſexti*, *non poteſt efficere* in Zodiaco *figuram laterum æqualium? Verùm ingrediens nonum ſignum*, *ſublevat matres* partu quem *jam diu optabant*, *trino* conſpectu, *qui* talem ſolis poſitum *conſequitur*, *conjungente virtutem* ſuam. *Verùm ſi Lucina difficilis differt* adhuc *partum*, *ſolvet vincula moræ ancipitis* in aſpectu *quadrato*.

NOTÆ.

1. *Trigono vires ſociante ſequenti.*] Trino aſpectu qui fit in nono ſigno, quemadmodum in quinto. Obſerva penultimam vocis *trigono*, & infra vocis *tetragono* correptam licenter contra rationem Græcæ ſcripturæ τρίγωνον, & τετράγωνον, ubi penultima per ω ſcribitur vocalem naturâ ſuâ ſemper longam.

2. *At ſi difficilis*, &c.] ſupple lacunam auctore Scaligero, interſertâ voce *nixus*, vel partus, ut ſit verſus:

At ſi difficilis partus trahit Ilithyïa, &c.

3. *Ilithyïa*] Lucina ab εἰλύειν, *evolvere*, ut quidam volunt. Malim ego ab eodem etymo deducere, à quo aliud eſt ejuſdem nomen apud Pindarum, ἐλευθὼ ſcilicet, παρὰ τὸ εἰς πελάσας ἐλεύθειν, quod ad parturientes accedat.

4. *Tetragono abſolves*, &c.] Cenſorinus: *Sol enim à nono Zodio, particulam conceptionis rurſum conſpicit* κατὰ τρίγωνον, *& à decimo* κατὰ τετράγωνον. *Qui conſpectus, ut ſupra jam dictum eſt, perquam efficaces ſunt.*

Signa Cœleſtia.

[1] AD Boreæ partes [2] Arcti junguntur, & [3] Anguis.

INTERPRETATIO.

Aquilonem verſus Urſæ ambæ *poſitæ ſunt prope ſe invicem, & Serpens. Poſt illas Bootes, &*

NOTÆ.

1. *Ad Boreæ partes*, &c.] Hos verſus de ſignis cœleſtibus Priſciano tribuunt Franciſcus Daniel, & Mariangelus Accurſius, moti auctoritate MSS. codicum, in quibus eos Priſciani nomine inſcriptos invenerunt. Scaliger auctori alicui Priſciano antiquiori aſſignat, hoc argumento, quod eos repererit in veteri ſchedâ Jacobi Cujacii Senatoris Gratianopolitani abſque auctoris nomine, cum aliis verſibus de ſeptem Planetis, & duodecim Signis conjunctos, præfixâ præfatione verſibus quoque ſcriptâ, cujus præfationis verſum ultimum:

Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, redit annus in annum.

D. Hieronymus, auctor Priſciano antiquior, citat in commentariis in Ezechielem. Quidquid de auctore ſit, hos certè verſus Auſonianos non eſſe plerique conſentiunt. Nequid tamen deeſſe huic editione queri poſſit lector, eos etiam damus, quo in vulgatis loco referuntur.

2. *Arcti junguntur.*] Ambæ urſæ Major & Minor, Helice, & Cynoſura. A ſimilitudine currus, Major urſa, ἅμαξα à Græcis, id eſt plauſtrum & Arctophylax, ſeu urſæ cuſtos βοώτης, *bubulcus* eſt appellatus, quaſi qui plauſtri boves agat. De horum, & cæterorum, quæ ſequuntur, ſignorum figurâ, fabuliſque de iis proditis, vide Arati Phænomena, & Hygini fabularum libros ſecundum, & tertium.

3. *Anguis.*] Draco Heſperidum cuſtos, urſam utramque ſpiris ſuis involvens.

Poſt

Digitized by Google

Poſt has [1] Arctophylax, pariterque [2] Corona, [3] Genuque
Prolapſus, [4] Lyra, [5] Avis, [6] Cepheus, & Caſſiopea,
[7] Auriga, & Perſeus, [8] Deltoton, & Andromedæ aſtrum.
Pegaſus, & [9] Delphinus, [10] Telum, [11] Aquila, [12] Anguitenenſque.
Signifer inde ſubeſt; [13] bis ſex & ſidera complent.
Hic [14] Aries, [15] Taurus, [16] Gemini, [17] Cancer, [18] Leo, [19] Virgo,

INTERPRETATIO.

ſimul corona, & nixus genibus, Lyra, Cygnus, Cepheus, & Caſſiopea, Auriga, & Perſeus, Triangulum, & Sidus Andromedæ, Equus Pegaſus, & Delphin, Sagitta, Aquila, & Anguemtenens. Poſtea Zodiacus circulus *ſequitur*, quem *duodecim ſigna replent. Ibi* ſunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, & Aqua-*

NOTÆ.

1. *Arctophylax.*] Arcas Calyſtûs filius, urſæ cuſtos, ab aliis Bootes dictus, ut jam monui.

2. *Corona.*] Ariadnes, à Baccho in cælum tranſlata.

3. *Genuque prolapſus.*] Ἐγγόνασιν, *nixus genibus* Ciceroni, *ingeniculatus* Vitruvio, *nixa genu ſpecies* Ovidio, & Manilio. Hunc Eratoſthenes *Herculem* eſſe dicit, ſupra Draconem collocatum; Hegeſianax, *Theſea* ſaxum extollere nitentem; nonnulli *Ixiona* brachiis vinctis: alii Promethea in Caucaſo vinctum: alii denique *Cetea* Lycaonis filium.

4. *Lyra.*] Orphei, quibuſdam *vultur cadens.*

5. *Avis.*] Hygin. *Hunc Græci Cygnum appellant: quem complures propter ignotam hiſtoriam illis, communi genere avium Ornin nominaverunt.* Cygnus ille eſt, teſte eodem, ſub quo Jupiter deliteſcens vim Nemeſi intulit, vel, ut alii volunt, Ledæ.

6. *Cepheus & Caſſiopea.*] Cepheus Æthiopum rex, Andromedæ pater. Caſſiopea ejus uxor, quorum & Perſei notiſſima fabula.

7. *Auriga.*] *Heniochus.* Græcis hic Erichtonius creditur, quadrigarum apud homines inventor.

8. *Deltoton.*] Triangulum, Deltæ Græcorum litteræ figurâ.

9. *Delphinus.*] Arionis vector, ut quibuſdam videtur: unus ex Tyrrhenis nautis, quos Liber pater in Delphinas mutavit, ut videtur aliis: Delphin quidam, Neptuni cum Amphitrite nuptiarum miniſter, ut narrat Eratoſthenes.

10. *Telum.*] Una è ſagittis Herculis, quâ aquilam, Promethei jecur rodentem interfecit; vel, ut vult Eratoſthenes, ſagitta Apollinis, quâ interfecit Cyclopas.

11. *Aquila.*] Quæ Ganymedem rapuit.

12. *Anguitenenſque.*] *Ophiuchus* Græcis; quibuſdam Carnubutas Getarum Rex altero è Triptolemi draconibus interfecto; aliis Hercules ad flumen Sangarim anguem interficiens; aliis Phorbas Draconem in Rhodiorum inſulâ interficiens; aliis denique Æſculapius cum angue ad baculum adrepente. Atque hæc ſigna novemdecim Borealia recenſet tantum Hyginus. Sunt alia quædam, ut Aſelli, Coma Berenices; ſed illa ad alicujus è prædictis regionem pertinent, v. g. Aſelli ad Cancrum, Coma Berenices ad Leonem.

13. *Bis ſex & ſidera complent.*] Lege: *Biſſex quem ſidera complent.*

14. *Aries.*] Phryxi & Helles per Helleſpontum vector; ut aliis videtur, Ammonis ſimulachrum.

15. *Taurus.*] Vector Europæ Agenoris filiæ, ſub cujus formâ latebat Jupiter. Unde Taurum hunc *Agenoreum* appellat carm. ſequenti.

16. *Gemini.*] Caſtor & Pollux.

17. *Cancer.*] Qui è Lernæâ palude emergens, Herculis contra Hydram jamjam pugnaturi pedem mordicus arripuit.

18. *Leo.*] Nemeæus, prima Herculis victoria.

19. *Virgo.*] Aſtræa; aliis Fortuna; aliis Ceres ſpicam tenens; aliis Erigone Icari, (qui & Arctophilax eſſe à quibuſdam exiſtimatur) filia.

[1] Libra, [2] Scorpius, [3] Arcitenens, [4] Capricornus, [5] & Urnam
Qui tenet, & [6] Piſces. Poſt hos in partibus Auſtri
[7] Orion, [8] Procyon, [9] Lepus, [10] ardens Sirius, [11] Argo,
[12] Hydrus, [13] Chiron, [14] Thuribulum quoque, [15] Piſcis & ingens.
Hunc ſequitur [16] Piſtrix, ſimul [17] Eridanique fluenta.
Sed [18] vaga præterea dicuntur lumina ſeptem,
Luna & Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque fulgens.
Hic Jovis & ſidus ſuper omnia ſidera lucens.
Celſior his Saturnus, tardior omnibus aſtris.

Interpretatio.

rius, & *Piſces. Poſt illos in regione Auſtrali* ſunt *Orion*, *Canis minor*, *Lepus*, *Canis major flagrans*, Navis *Argo*, *Hydra*, Centaurus *Chiron*, *Thuribulum ſeu Ara*, & *Magnus Piſcis. Cetus ſequitur eum*, & *unà fluvius Eridanus. Verùm ſeptem* aliæ *præterea ſtellæ appellantur errantes*, ſcilicet *Luna*, & *Mercurius*, *Venus*, & *Sol*, *Mars etiam coruſcans. Ibi quoque ſtella Jovis fulgens ſupra omnia aſtra. Saturnus ſublimior* eſt *illis*, *lentior cæteris planetis.*

Notæ.

1. *Libra.*] Pars prior Scorpii Chelæ dicta Hygino, Arato, & aliis quibuſdam Aſtrææ Virginis, quæ Juſtitia eſt, geſtamen.

2. *Scorpius.*] Orionis interfector.

3. *Arcitenens.*] Sagittarius, quem Centaurum Chironem quidam eſſe putaverunt. Quanquam alius eſt in Auſtralibus ſignis centaurus.

4. *Capricornus.*] Ægipan.

5. *Et urnam qui tenet.*] Aquarius. *Ganymedes* à multis creditus; *Deucalion* Hegeſianacti; *Cecrops* Eubulo.

6. *Piſces.*] In quos Venus & filius Cupido, Typhona gigantem metuentes, cum ſeſe vertiſſent, in Euphratem ſe conjecerant.

7. *Oryon.*] Tentator Dianæ.

8. *Procyon.*] Canis minor ante majorem exoriens. Unde ei nomen *Procyon.*

9. *Lepus.*] Canem fugiens. Vide de eo Hyginum lib. 2.

10. *Ardens Sirius.*] Stella in capite canis majoris, à quâ per Synecdochen canis ipſe appellatur *Sirius.* Libro tamen 2. Argonauticôn Apollonii pro ipſo Procyone ſumitur.

11. *Argo.*] Navis Jaſonis, quam in cælum tranſlatam fabulati ſunt.

12. *Hydrus.*] Seu Hydra, non Lernæa illa quidem, ſed alia, cujus fabulam vide apud Hyginum lib. 2.

13. *Chiron.*] Centaurus, Saturni & Philyræ filius, Æſculapii & Achillis nutricius.

14. *Thuribulum.*] Seu ara à Cyclopibus fabricata, in quâ primùm (ut ait Hyginus) Dii exiſtimantur ſacra, & conjurationem feciſſe adverſus Titanas.

15. *Piſcis.*] Qui *Notius* appellatur, hoc eſt *Auſtralis*, alius à Piſcibus, Zodiaci ſidere.

16. *Piſtrix.*] Cetus (ut Hyginus ait) à Neptuno miſſus, ut Andromedam interficeret.

17. *Eridanique fluenta.*] Fluvius Eridanus, quem alii Nilum vocant, teſte Hygino; quidam etiam Oceanum.

18. *Vaga lumina ſeptem.*] Planetæ.

Digitized by Google

Ratio dierum anni vertentis.

371 [1]NOnaginta dies & quattuor, ac medium Sol
Conficit, [2] à tropico in tropicum dum permeat aſtrum,
[3] Octipedem in Cancrum [4] Phryxeo ab Ariete pergens.
[5] Hoc ſpatio æſtivi [6] pulſuſque, & meta diei.
[7] Semidiemque, duoſque dies; decieſque novenos,
A Cancro [8] in Chelas, æquatæ tempora noctis

INTERPRETATIO.

Sol peragit nonaginta & quatuor dies cum dimidio, dum tranſit ab æquinoctiali puncto uſque ad ſidus Tropicum, tendens ab Ariete Phryxi ad Cancrum octipedem. Intervallum illud eſt tranſitus, & terminus tempeſtatis æſtivæ. Sol ſulvus conficit ſecundo curſu decies novem & duos dies ac diem dimidium à ſidere *Cancri* uſque *ad Chelas*, quod *tempus* eſt *æquationis*

NOTÆ.

1. *Nonaginta dies & quattuor ac medium.*] Similiter Ptolemæus lib. 3. magnæ Syntaxeôs.

2. *A tropico in tropicum.*] Ab Æquinoctio Verno ad Solſtitium Æſtivum. *Tropici* propriè *circuli* dicuntur tantùm duo, in quibus Sol conſtitutus, retro redire incipit à Boreali Zodiaci parte ad Auſtralem, aut vice verſâ ab Auſtrali ad Borealem; *Tropicus* ſcilicet *Cancri*, & *Tropicus* Capricorni, ut ex doctrinâ Sphæricâ notum. In quibus Solis τροπαὶ, hoc eſt, ut Cicero interpretatur lib. 2. de Natura Deorum, *reverſiones* fiunt. At hic Auſonius *Tropica* etiam appellat puncta æquinoctiorum: non aliam puto ob cauſam, quam quod in æquinoctio quidem verno Sol ab Auſtrali Hemiſphærio tranſeat ad Boreale, in Autumnali verò à Boreali migret in Auſtrale.

3. *Octipedem in Cancrum.*] Plin. lib. 9. c. 31. *Cancris vita longa, pedes octoni, omnes in obliquum flexi.* Hinc octipedem appellat Auſonius Cancrum cæleſte ſidus.

4. *Phryxeo ab Ariete.*] Vide carm. ſup. notas ad vocem *Aries.*

5. *Hoc ſpatio Æſtivi.*] Tollius monet legendum: *Hoc ſpatium Æſtiva*, &c. Quam lectionem ſequutus ſum in interpretatione.

6. *Pulſuſque.*] Infra noſter in Trochaïco cui titulus *A ſolſtitio in æquinoctium ratio:*

Sol profectus à tepero veris æquinoctio,
Poſt ſemidiem, poſtque totos nonaginta & quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulſum æſtivum conficit.

ubi Grævius *pulſum* mutat in *curſum*. Quod ſi genuinum eſt, & hic quoque *curſus* pro *pulſus* erit legendum. At nihil mutandum. *Pulſus* hic *meta* eſt, vel *tranſitus*. Ut etiam ſupra in Precatione Calendis Januariis, quod eſt Edyllium IX.

——— *Contraria Phœbus*
Ut momenta feras ſervata parte dierum,
Et novus hiberno repares ſua lumina pulſu.

7. *Semidiemque, &c.*] Nonaginta duos dies cum dimidio. Hæc ſpatia eadem ponit tempeſtatum anni Ptolemæus, ut jam monui.

8. *In Chelas.*] Libram Hyginus lib. 2. de Scorpio loquens: *Hic*, inquit, *propter magnitudinem membrorum in duo ſigna dividitur, quorum unius effigiem noſtri libram dixerunt:* Idem lib. 3. *Scorpii prior pars, quæ Chela dicitur, ita premitur ab æquinoctiali circulo, ut eum ſuſtinere videatur, &c.* Aratus in Phænomenis:

Παρθένος αἱ δ᾽ ἐπὶ οἱ χηλαὶ, καὶ σκορπίος αὐτὸς, &c.
Virgo, atque prope eam Chelæ, & Scorpius ipſe.

Chelæ ſunt Scorpii brachia bifurca. Cui conſtellationi alii figuram, ut ſupradictum, tribuere libræ bilancis.

Atque [1] dii, curſu peragit Sol aureus altero,
Autumni Æſtatiſque ſimul confinia miſcens.
Unde autumnales tranſcurrens ordine menſes,
Ad tropicum pergit ſignum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis inſuper addens,
[2] Quadrantemque dii: [3] quinto qui protinus anno
[4] Menſe Numæ extremo nomen capit [5] embolimæi.
Inde ad [6] Agenorei feſtinans cornua tauri,

Interpretatio.

noctis ac diei, confundens tum *interſe terminos Autumni & Æſtatis. Deinde peragrans ex ordine menſes Autumni, tendit ad ſidus Tropicum Capricorni frigidi, diebus decies octo ſuperadjiciens octo dies & quartam diei partem, quæ* quarta pars *deinde quinto* quoque *anno* diem efficit, *qui* inſertus *poſteriori menſi Numæ appellatur intercalaris. Deinde Sol aureus properans ad cor-*

Notæ.

1. *Dii.*] Contractione pro *diei.*

2. *Quadrantemque diei.*] Non omnino. Deſunt quippe ſex horis minuta aliquot. Quæ annis quater centum tres proximè dies conficiunt. Unde inductum in reformatione Kalendarii ſub Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ut cum juxta legem Julii Cæſaris de intercalando uno die quarto quoque anno, ut mox videbimus, ſæcularis quiſque annus, hoc eſt, centenus, biſſextilis eſſe debeat: trium illorum dierum (qui quadringentorum annorum ſpatio deficere comperiuntur) penſandorum causâ, ex quatuor ſæcularibus annis quartus tantum ſit biſſextilis, dierum ſcilicet 366. tribus prioribus 365. tantum dierum remanentibus. Atque ut menſium ratio ad eandem Solis in Zodiaco poſitionem rediret, quæ emendationis Julianæ tempore erat, expuncti ſunt ex Gregorianæ correctionis anno decem dies, ad quorum ſummam à Julianâ correctione ad Gregorianam excreverant minuta illa quæ deeſſe quadranti ſingulis annis diximus. Quam expunctionem cum Proteſtantes admittere noluiſſent, orta eſt illa computandi temporis varietas inter eos, & nos, quam veterem, & novum ſtylum appellant.

3. *Quinto qui protinus anno, &c.*] Quarto potius, inquit Vinetus, ſed fallitur. *Quinto* ſcripſit Auſonius, & ſic intelligendus eſt, ut comprehendas in illo numero & biſſextilem annum proximè elapſum, & biſſextilem proximè ſequentem. Et ſic dicitur quinto anno recurrere biſſextilis, ut quinto quoque anno fieri ludi Olympici dicebantur, cum tamen ab initio proximorum ludorum ad initium ſequentium quatuor tantùm eſſent ſolidi anni, & Olympias una quatuor tantùm annos complecteretur.

4. *Menſe Numæ extremo.*] Cum annum tantùm decem menſium Romulus, vir rei bellicæ quam aſtronomicæ ſtudioſior, conſtituiſſet, quorum primus Martius, poſtremus erat December; Numa Pompilius, annum ad Solis curſum, & ſiderum rationem exigens, duos adjecit menſes, Januarium qui primus anni cœpit eſſe, & Februarium. Hoc poſteriori menſe qui 28. tantùm dierum erat, Julius Cæſar præcepit intercalari unum diem ſingulis quartis annis, ante vigeſimum-quartum menſis diem, qui ſextus erat ante Kalendas Martias, ut quadrantis illius, qui ſingulis annis abundabat, ratio conſtaret; eumque diem ſextum etiam Kalendas appellari, ut eo anno bis diceretur ſexto Kalendas Martias; unde ei nomē *Biſſextili.*

5. *Embolimæi.*] Ἐμβόλιμος, & ἐμβολιμαῖος *intercalaris* ſeu *interſtitius.* Hoc nomine appellat diem illum anno biſſextili inſertum. At ἐμβολιμαῖον & ἐμβολισμικὸν appellaverunt Græci tertium quemque annum, qui lunarium menſium terdecim erat, cum duo priores duodecim tantùm eſſent.

6. *Agenorei.*] Vide notas carm. ſuperiori, ad hanc vocem *Taurus.*

Digitized by Google

Scandit [1] Lanigeri tropicum Sol aureus aſtrum,
Nonaginta dies decreto fine coërcens.
Hic tibi circus erit ſemper [2] vertentibus annis,
Terçentum, ac ſenis decies [1] & quinque diebus.

INTERPRETATIO.

nua Tauri Agenorei, aſcendit ſidus Tropicum Arietis *lanati, certo definiens nonaginta dies. Hic tibi erit circulus, annis perpetuo gyrantibus*, conſtans *trecentis ſexaginta & quinque diebus.*

NOTÆ.

1. *Lanigeri tropicum aſtrum.*] Vide initio hujus carminis notas, ad hæc verba *à tropico in tropicum.*

2. *Vertentibus annis.*] Cenſorinus de die natali: *Annus vertens eſt natura, dum Sol percurrens duodecim ſigna, eodem unde profectus eſt redit.*

3. *Et quinque diebus.*] Et quarta fermè diei parte, ut jam obſervatum.

De nominibus ſeptem dierum.

372 NOmina, quæ ſeptem vertentibus apta diebus
Annus habet, [1] totidem errantes fecere planetæ.
Quos indefeſſa volvens vertigine mundus,
Signorum obliqua jubet in ſtatione vagari.
[2] Primum, ſupremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ ſuccedit Luna coronæ.
Tertius aſſequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti ſibi vindicat aſtra diei.
Inluſtrant quintam Jovis aurea ſidera Zonam.
Sexta [3] ſalutigerum ſequitur Venus alma parentem.

INTERPRETATIO.

Nomina, quæ annus habet convenientia ſeptem diebus recurrentibus in orbem, *impoſita ſunt à totidem planetis vagantibus. Quos mundus agitans perpetuâ rotatione, cogit errare per obliquum tractum ſignorum* Zodiaci. *Sol rutilans tenet primum & ſummum diem. Luna ſequitur proximè orbem fratris* ſui. *Mars ſequitur tertius jubar Solare. Mercurius ſibi aſſerit ſidus quarti diei. Jubar aureum Jovis illuminat quintum tractum hebdomadæ. Alma*

NOTÆ.

1. *Totidem errantes fecere planetæ.*] Hebdomadem dierum in ſe recurrentium certum eſt ex illâ hebdomade initium ſumpſiſſe quâ deus orbem condidit, & quievit. Ad cujus exemplum juſſi ſunt Judæi ſex dies operari, ſeptimo quieſcere. Geneſ. 1. & 2. & Exod. 21. Septimum illum diem Sabbatum appellarunt, reliquos à Sabbato numerando, *primam* diem *Sabbati*, ſecundam Sabbati, tertiam Sabbati, quartam, quintam, ſextam ſeu Paraſceven. At quis primùm, & quando planetarum nomina ſeptimanæ diebus impoſuerit, dicere in promptu non eſt.

2. *Primum ſupremumque, &c.*] Diem nobis dictum Dominicum, qui incipit hebdomadem, & recurrens eam terminar, aliam inchoando. Hunc eſſe loci hujus ſenſum videre eſt ex ultimo hujus poëmatii verſu.

3. *Salutigerum parentem.*] Jovem patrem Veneris, orbis totius ſoſpitatorem.

[1] Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt.
Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.

Interpretatio.

Venus ſexta ſuccedit ſalutari aſtro ſui *patris. Aſtrum Saturni ſuperans omnia* alia *ſeptimum eſt. Orbis* dierum in ſe *rediens, reducit octavo loco Solis* vices.

Notæ.

1. *Cuncta ſupergrediens, &c.*] Cujus cælum cæteros omnes planetas longè ſuperat altitudine, & eos ambit ſuo circuitu.

Hic verſus ſine auctore eſt. Quid quoque die demi de corpore oporteat.

373 Ungues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.

Interpretatio.

Seca *ungues* die *Mercurio*, tonde *barbam* die *Jovis*, & *capillos* die *Veneris.*

Hoc ſic refellendum.

374 Mercurius [1] furto probat ungues ſemper acutos,
 Articuliſque aciem non ſinit imminui.
Barba Jovi, crines Veneri decor: ergo neceſſe eſt,
 Ut nolint demi, quo ſibi uterque placet.
[2] Mavors imberbes, [3] & calvos Luna adamaſti.
 Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol & Saturnus nihil obſtant unguibus. Ergo
 Non placitum Divis tolle monoſtichium.

Interpretatio.

Mercurius amat ungues perpetuò acuminatos ad rapinas, neque permittit ut acumen deteratur digitis. Barba honori eſt Jovi, capilli Veneri: oportet igitur ut nolint illud *auferri, quod ambo in ſe amant.* O *Mars* amaviſti *glabros, &* tu ô *Luna amaviſti calvos.* Hæc numina *non vetant diebus ſuis caput, & malas purgari. Sol, & Saturnus nequaquam repugnant unguibus* ſecandis. *Igitur auſer verſum* illum *Diis ingratum.*

Notæ.

1. *Furto.*] Sie editio Janſſonii anno 1629. quod magis placet, quam quod in aliis multis legitur, *furti.* Niſi *furtis* reponere maluerimus.

2. *Mavors imberbes.*] Amavit Alectryona puerum, quem poſtea ob excubias ſomniculosè actas, in Gallum mutavit, ut ex Luciano retulimus ad hæc verba Griphi verſ. 26. ubi vide notas.

——— *Ter clara inſtantis Eoi*
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.

3. *Et Calvos Luna adamaſti.*] Amaviſſe fertur Endymionem Luna, atque eum in Latmo Cariæ monte dormientem oſculari ſolita. Sed an calvus fuerit Endymion, juxta ſcio cum iis qui neſciunt.

De menſibus, & quattuor anni temporibus.

375 ÆTernos menſes, & tempora quattuor anni,
Quattuor iſta tibi ſubjecta monoſticha dicent.
Martius, Aprilis, Maïus ſunt tempora Veris.
Julius, Auguſtus, nec non & Junius, Æſtas.
Septembri, Octobri [1] Autumnus, totoque Novembri.
Brumales, Janus, Februarius, atque December,

INTERPRETATIO.

Hi quatuor ſequentes verſus memorabunt tibi menſes perpetuò redeuntes, & quatuor tempeſtates anni. Menſes *Martius, Aprilis,* & *Maius conſtituunt tempeſtatem vernam. Julius, Auguſtus, ſimulque Junius* ſunt *æſtiva* tempeſtas. *Autumnus* eſt *per Septembrem, Octobrem, ac Novembrem ſolidum. Januarius, Februarius, & December* ſunt menſes *hyemales.*

NOTÆ.

1. *Autumnus.*] In MS. codice papyraceo Joannis Tillii erat, *Autumnat* non malè. Dixerunt enim *hyemare, vernare, autumnare.*

De menſibus monoſticha.

376 PRimus Romanas ordiris Jane Calendas.
[1] Februa vicino menſe Numa inſtituit.
[2] Martius antiqui primordia protulit anni.
[3] Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.

INTERPRETATIO.

O *Januari, tu primus incipis Kalendas Romanas. Numa inſtituit menſe proximè* ſequenti *Februa* ſacra. *Martius olim fecit initium anni. Venus mater capit* ſibi *Aprilem fœcundum. Ma-*

NOTÆ.

1. *Februa Numa inſtituit.*] Qui & Januarium inſtituerat. Romuli enim annus à Martio menſe incipiens, decem tantùm erat menſium, & Decembri finiebatur. *Februa* porrò à quibus *Februarius* dictus eſt teſte Ovid. lib. 2. faſtorum:

——— Romani dixere piamina patres,
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.
Pontifices à rege petunt & flamine lanas,
Queis veterum lingua Februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra vocantur idem.
Nomen idem ramo, qui cæſus ab arbore pura,
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminiam poſcentem Februa vidi;
Februa poſcenti pinea virga data eſt.
Denique quodcunque eſt, quo corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

2. *Martius antiqui, &c.*] Regnante ſcilicet Romulo, qui menſem hunc in Martis patris honorem, primum anni fecerat: ſed additis poſtea à Numa duobus ad annum menſibus, Januarius primus fuit.

3. *Fœtiferum Aprilem vindicat Venus.*] Ovid. Faſt. 4.

[1] Majorum dictus patrum de nomine Maïus.
[2] Junius ætatis proximus eſt titulo.
Nomine Cæſareo [3] Quinctilem Julius auget.
[4] Auguſtus [5] nomen Cæſareum ſequitur.
Autumnum, [6] Pomona, tuum [7] September opimat.
[8] Triticeo October fenore ditat agros.
[9] Sidera præcipitas pelago intempeſte November.
Tu [10] genialem Hyemem, feſte December, agis.

INTERPRETATIO.

ius appellatus eſt de nomine parentum Majorum. Junius ſequitur cum cum *nomine* ſumpto *ab ætate* juniorum. *Julius Cæſar addit Quintili* ſuum *nomen.* Poſt illum *ſuccedit* menſis *Auguſtus*, & ipſe dictus *de nomine Cæſaris* Auguſti. *O Pomona, September ditat tuum Autumnum. October locupletat arva ſatione frumenti. O November parùm utilis* agendo, *mergis Aſtra Oceano. Tu, ô December otioſe, ducis Hyemem quâ genio indulgetur.*

NOTÆ.

Nec Veneri tempus, quam Ver erat aptius ullum
Vere nitent terræ, Vere remiſſus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Et formoſa Venus formoſo tempore digna eſt,
Utque ſolet Marti continuata ſuo eſt, &c.

Idem à Græco Veneris nomine Ἀφροδίτη dictum *Aprilem* innuit:

Sed Veneris menſem Graïo ſermone notatum
Auguror: à ſpumis eſt dea dicta maris.

quanquam alii ab *aperiendo* derivant. Idem eodem libro:

Nam quia Ver aperit tunc omnia, denſaque cedit
Frigoris aſperitas, fœtaque terra patet:
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:
Quem Venus injecta vindicat alma manu.

1. *Majorum dictus, &c.*] Triplex habet etymon Ovidius lib. 5. Faſtorum, à *Majeſtate*, à *Majoribus*, & à *Maia* matre Mercurii.

2. *Junius ætatis, &c.*] Huic quoque triplicem aſſignat originem Ovid. lib. 6. Faſt. à *Junone*, à *Juventute*, & à *Junctione* Sabinorum cum Romanis.

3. *Quinctilem.*] Quod nomen ordinis ejus in anno erat. Eſt quippè quintus menſis à Martio, qui anni tunc erat initium.

4. *Auguſtus.*] Qui eâdem ratione prius dicebatur Sextilis.

5. *Nomen Cæſareum.*] Octavii Auguſti Cæſaris.

6. *Pomona.*] Pomorum dea, cui ut & Baccho ſacer Autumnus erat.

7. *September.*] Hic, & reliqui tres, priſcum ab ordine nomen retinent.

8. *Triticeo fenore.*] Tritici ſemente; quod triticum arvis tum creditur, grandi cum fœnore in meſſe reddendum.

9. *Sidera præcipitas pelago, &c.*] Infra in Diſtichis de iiſdem menſibus:

Quique Salo mergens ſollemnia ſigna November
Præcipitat, cælo mox reditura ſuo.

& in Dodecaſticho ſignorum:

Scorpion hybernus præceps jubet ire November.

unde apparet *ſidera* hic non alia intelligi debere, quam Scorpii ſtellas, & Solem ipſum, dum in eo ſigno eſt, in quo jam breves admodum fieri dies incipiunt.

10. *Genialem hyemem.*] Virgilius lib. 1. Georg.

Invitat genialis Hyems,

hoc eſt, *convivalis & voluptuoſa*, inquit Servius. Decembri menſe Saturnalia Romæ celebrabantur, quibus convivia agitabantur, & indulgebatur genio.

Diſticha

Digitized by Google

Diſticha de iiſdem menſibus.

377 [1]JAne nove, primo qui das tua nomina menſi,
[2] Jane bifrons, ſpectans [3] tempora bina ſimul.
Poſt ſuperûm cultus, [4] vicino Februa menſe
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
[5] Martius & generis Romani præſul & anni,
Prima dabas Latiis tempora Conſulibus.
Æneadum genitrix vicino nomen Aprili
Dat Venus: eſt Marti namque Aphrodita comes.
Maïa dea, an major, Maï, te fecerit ætas,
Ambigo: ſed menſi eſt auctor uterque bonus.
Junius hunc ſequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Juno, ſive Juventa dedit.
Inde [6] Dionæo præfulgens Julius aſtro,
Æſtatis mediæ tempora certa tenet.

INTERPRETATIO.

O Jane recens, qui imponis nomen tuum primo menſi, Jane duplici facie, vides ſimul duo tempora. Poſt honorem Deorum, Numa inſtituit menſe proximo feſtum *Februorum*, ad mittendas *inferias umbris conſanguineorum.* Tu menſis *Martius caput generis, & anni Romani, exhibebas conſulibus Romanis tempus* ineundi Conſulatus. *Venus mater Æneadûm imponit nomen proximo* menſi *Aprili; quippè Venus eſt juncta Marti. Incertus ſum* utrum *Dea Maia dederit tibi nomen, ô Mai, an* vero *grandior ætas. At* ut ut res eſt, *uterque auctor eſt idoneus* ad nomen *menſi* dandum. *Excipit hunc Junius memorandus gemino titulo, ſive Juno impoſuit* ei *nomen, ſive Juventus. Poſt* hunc *Julius micans ſidere Venereo; obtinet certò ſpatium*

NOTÆ.

1. *Jane nove primo.*] Poſterior ſyllaba *nove* producitur ob mutam cum liquida ſequentem in voce *primo.*

2. *Jane bifrons.*] Ovid. lib. 1. Faſtorum:

Jane biceps anni tacitè labentis origo,
Solus de ſuperis qui tua terga vides.

3. *Tempora bina.*] Annum abeuntem, & annum novum.

4. *Vicino Februa menſe dat Numa cognatis Manibus, &c.*] Vide notas ad vocem *Februa* poëmatio ſuperiori; & ad verſus Ovidii illic laudatos adde hos ex eodem loco:

Menſis ab his dictus: ſectâ quod pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant: idque piamen habent.
Aut, quia placatis ſunt tempora pulchra ſepulcris,
Tunc cum ferales præteriere dies.

Ferales dies illi erant, quos Februario menſe mittendis inferiis, & placandis Manibus Numa dicaverat. Idem Ovid. initio lib. 1. Faſt.

At Numa nec Janum, nec avitas præteriit umbras.

5. *Martius, &c.*] De hoc diſticho, & duobus ſequentibus vide notata ad ſuperius carmen.

6. *Dionæo præfulgens Julius aſtro.*] Stella crinita, quæ in funere Cæſaris Romæ, die medio, apparuiſſe dicitur menſe Quintili, qui inde Cæſari conſecratus, & *Julius* appellatus eſt. *Dionæum* aſtrum dicitur à Διώνη *Dione*, quod Veneris nomen eſt, ad quam Julia gens per Julum & Æneam originem ſuam referebat. Virg. eclg. 9.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

[1] Auguſtus ſequitur, cognatum à Cæſare nomen:
Ordine ſic anni proximus, ut generis.
Nectuntur poſt hos, numerumque ex ordine ſignant:
September, Bacchi munere præla rigans:
Et qui ſementis per tempora, fenore lætus,
October, cupidi ſpem fovet agricolæ:
Quique ſalo mergens ſollemnia ſigna November
Præcipitat, cœlo mox reditura ſuo.
Concludens numerum, [2] genialia feſta December
Finit, ut [3] à bruma mox novus annus eat.

INTERPRETATIO.

æſtatis mediæ. Auguſtus menſis *ſequitur*, *nomen* habens *ab* Auguſto *cognato* Julii *Cæſaris*: *proximus* Julio menſi *ſerie temporis*, *quemadmodum ſtirpis. Poſt illos junguntur*, *& indicant* nomine ſuo *quoti ſint ordine* anni menſes: *September madefaciens torcularia vini liquore*: *& October*, *qui gaudens emolumento*, *per tempus ſationis*, *nutrit ſpem avidi coloni*: *& November qui tingens mari ſidera conſueta*, *præcipitat ea*, *brevi reverſura in ſuum cælum. December claudens ſeriem* menſium, *finem imponit feſtis voluptatis*, *ut ſtatim poſt ſolſtitium novus annus procedat.*

NOTÆ.

1. *Auguſtus ſequitur*] De hoc & ſequentibus vide notas carminis ſuperioris.

2. *Genialia feſta.*] Opalia, Sigillaria, & Saturnalia.

3. *A bruma.*] breviſſimâ anni die, quam hic Auſonius extremam Decembris fuiſſe innuit, alii aliter locant.

Præter Monoſticha & Diſticha de menſibus ſupra relata, ſunt & alia Monoſticha & Tetraſtica, quæ quanquam in Lugdunenſi codice inter cætera Auſonii opera non reperirentur, nec ejus eſſe viderentur, tamen reperta à ſe in alio vetuſto codice unà cum ſuperioribus illis, ob argumenti ſimilitudinem iiſdem inſeruit in editione ſuâ Vinetus, quæ quidem ut Auſonio tribuere non auſim, ita neç iis penitus velim fraudatum Lectorem. Itaque hic extra Auſoniani contextûs ſeriem, & aliis characteribus excudanda curavi. Sunt autem Monoſticha hæc:

Dira patet Jani Romanis Janua bellis.
Vota Deo Diti Februa menſis habet.
Incipe Mars anni felicia fata reduci.
Tunc Aries Veneri Lutea ſerta legit.
Dulcia, Maia, tuis lucent examina Nonis.
Arce poli Geminos Junius ecce locat.
Julius ardentis divertit lumina Solis
Aere. Flammigero cuncta Leone calent.
Poma legit Virgo maturi mitia Solis.
Fundit & October vina falerna lacis.
Aret tota ſoli ſpecies vi dura Nepai.
Inde December amat te, genialis Hyems.

Tetraſtica verò, quæ menſium ſimulacris ad explicationem ſubjecta fuiſſe videntur, ſunt hujuſmodi.

JANUARIUS.

Hic Jani menſis ſacer eſt. En aſpice, ut aris
Thura micent: fumant ut pia thura Lares.
Annorum, ſeclique caput, natalis honorum.
Purpureos faſtis qui numerat proceres.

FEBRUARIUS.

At quem cæruleus nodo conſtringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem jactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu Februa menſis habet.

MARTIUS.

Cinctum pelle lupæ promptum eſt cognoſcere menſem.
Mars olli nomen, Mars dedit exuvias.

Digitized by Google

NOTÆ.

Tempus Ver, hædus petulans, & garrula hirundo
Indicat, & ſinus lactis, & herba virens.

APRILIS.

Contectam myrto Venerem Veneratur Aprilis.
Lumen juris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus è dextra flammas diffundit odoras.
Balſama nec deſunt, queis redolet Paphie.

MAIUS.

Cunctas Veris opes, & picta roſaria gemmis
Laniger in calathis, aſpice, Maïus habet,
Menſis Atlantigenæ dictus cognomine Maia:
Quem merito multum diligit Uranie.

JUNIUS.

Nudus membra, dehinc ſolares reſpicit horas
Junius, ac Phœbum flectere monſtrat iter.
Idem maturas Cereris deſignat ariſtas.
Floraleſque fugas lilia fuſa docent.

JULIUS.

Ecce coloratos oſtentat Julius artus.
Crines cui rutilos ſpicea certa ligant.
Morus ſanguineos præbet gravidata racemos:
Quæ medio Cancri ſidere læta viret.

AUGUSTUS.

Fontanos latices, & lucida pocula vitro,
Cerne ut demerſo torridus ore bibat
Æterno regni ſignatus nomine menſis:
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

SEPTEMBER.

Surgentes acinos varios, & præſecat uvas
September, ſub quo mitia poma jacent,
Captivam filo gaudens religaſſe lacertam:
Quæ ſuſpenſa manu nobile ludit opus.

OCTOBER.

Dat prenſum leporem, cumque ipſo palmite fœtus
October. Pinguis das tibi ruris aves.
Jam Bromios ſpumare lacus, & muſta ſonare
Apparet. Vino vas calet ecce novo.

NOVEMBER.

Carbaſeo ſurgens poſt hunc indutus amictu
Menſis, ab antiquis ſacra deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer.
Devotuſque ſatis ubera fert humeris.

DECEMBER.

Annua ſulcata conjecta & ſemina terra
Paſcit Hyems. Pluvio de Jove cuncta madent.
Aurea nunc revocet Saturni feſta December.
Nunc ſibi cum domino ludere, verna, licet.

Quoteni dies ſint menſium ſingulorum.

378 IMplent tricenas per ſingula menſtrua luces
Junius, Aprilisque, & cum Septembre, November.
Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per ſeptem menſes, Jani Martiſque Calendis,
Et quas Maïus agit, quas Julius, Auguſtuſque,

INTERPRETATIO.

Julius, & Aprilis, & November, cum Septembre, habent triginta dies ſolidos per ſpatium, *quique* ſui *menſis. Adjice amplius unum* diem *triginta diebus per ſeptem menſes. Scilicet menſibus Januario, Martio, Maio, Julio, Auguſtoque, & Octobri, ac Decembri, qui collocatus*

Et quas Oɛtober, poſituſque in fine December.
[1] Unus erit tantùm duodetriginta dierum,
Quem Numa præpoſito voluit ſuccedere Jano.
Sic tercentenis decies accedere ſenos.
Quadrantemque, & quinque dies ſibi computat annus.

INTERPRETATIO.

eſt in fine anni. *Unus ſolùm* menſis *erit dierum octo, & viginti*, ille ſcilicet *quem Numa voluit ire poſt Januarium* ſibi *praeeuntem. Ita annus numerat* dies in ſe *ſexaginta, & quinque cum quadrante, ultra trecentos.*

NOTÆ.

1. *Unus erit, &c.*] Februarius dierum octo & viginti, quarto tamen quoque anno dierum eſt viginti novem.

De tribus menſtruis menſium

379 Bis ſenas anno [1] reparat Lucina Calendas:
Et totidem [2] medias dat currere Jupiter Idus.
[3] Nonarumque diem faciunt infra octo ſecundi.
Hæc ſunt Romano tantùm tria nomina menſi.
Cætera [4] per numeros ſunt cognomenta dierum.

INTERPRETATIO.

Juno renovat per annum Kalendas *duodecim: & Jupiter efficit, ut totidem Idus ſinant in medio* menſium. *Et duo* numeri pares *infra octonarium dant diem Nonarum. Romanus menſis habet ſolùm hæc tria nomina. Nomina reliquorum dierum exprimuntur numeris.*

NOTÆ.

1. *Reparat Lucina Calendas.*] Juno Calendarum Dea præſes Ovid. Faſt. 1.

> *Vindicat Auſonias Junonis cura Kalendas.*
> *Idibus alba Jovi grandior agna cadit.*
> *Nonarum tutela deo caret.*

2. *Medias.*] Non accuratè medias, quatuor enim quidem menſibus Idus ſunt die decimo quinto, at reliquis decimo tertio, ut infra fuſius explicabitur.

3. *Nonarumque diem faciunt infra octo ſecundi.*] Nihil hîc videre ſe prorſus fatetur Vinetus. Non tamen adeo profundæ ſunt tenebræ. Poſtquam medias dixit in menſibus eſſe Idus, quo die Nonæ ſint exponit, dicendo numeros *duos* infra octo (qui Iduum numerus eſt) poſitos, eique ſimiles & pares, nempè ſenarium, & quaternarium facere Nonas. Eæ quippe menſibus Martio, Maio, Julio, & Octobri contingunt ſexto poſt Calendas die, cæteris menſibus quarto, juxta illud tritum:

> *Sex Maïus Nonas, October, Julius, & Mars;*
> *Quattuor at reliqui: dabit Idus quilibet octo.*

Et illud noſtri infra:

> *At Nonas modo quarta aperit, modo ſexta refert lux.*

4. *Per numeros.*] A ſequentibus Calendis, Nonis, aut Idibus denominatos: puta *quarto Nonas: ſeptimo Idus, decimo Calendas*, &c.

Digitized by Google

Quo menſe quotæ Nonæ, vel Idus ſint.

380 AT Nonas modo [1] quarta aperit, modo ſexta refert lux.
Sexta refert Maïi, Octobris, Martiſque recurſu,
Et qui ſolſtitio ſua tempora Julius infert.
Cætera pars [2] menſum quartis eſt prædita Nonis.
Omnes verò Idus [3] octava luce recurrunt.

INTERPRETATIO.

Verùm nunc quartus dies profert Nonas, nunc ſextus dies *reducit* illas. *Sextus dies reducit* nonas, *cum redeunt Maius, October, & Martius, ac Julius, qui ſubjungit ſuum tempus ſolſtitio. Reliqui menſes habent nonas quarto* die. *Omnes autem Idus redeunt octavo die.*

NOTÆ.

1. *Quarta, modo ſexta.*] Poſt Calendas ſcilicet, quæ eſt menſis quinta, aut ſeptima.

2. *Menſium.*] Duabus tantum ſyllabis. Vel lege *menſum*, ut in hoc Ovid. 5. Faſtorum.

Nec tu dux menſum, Jane biformis, eras.

3. *Octava luce.*] Octavo die poſt Nonas, qui dies in quatuor prædictis menſibus decimus quintus eſt, in reliquis decimus tertius, ut jam monuimus.

[1] *Quotæ Calendæ ſunt menſium ſingulorum.*

381 POſt Idus, quas quiſque ſuas habet ordine menſis,
Diverſæ numero redeunt variante Calendæ:
[2] Dum rurſumque iterumque * vocantur,
Ut tandem oblati procedant temporis ortus.
[3] Ter ſenis, unoque die genialia feſta
Porrigit, ut Janum arceſſat nova bruma morantem.

INTERPRETATIO.

Poſt Idus, quas ſinguli menſes habent proprias ex ordine, varii dies à Calendis nominati recurrunt diverſo numero: dum illi *appellantur iterum atque iterum* à nomine menſis proximi, *ut demùm dies capitis* proximarum Calendarum *adveniat. Nova bruma extendit feſta Saturnaliorum per dies novemdecim, ut adducat* Calendas *Januarias morantes. Poſt eundem*

NOTÆ.

1. *Quota Calendæ ſint, &c.*] Hoc eſt quot dies denominentur à Calendis ſequentibus in uno quoque menſe.

2. *Dum rurſumque, &c.*] Mutilum hunc verſum ſic ſupplet Gronovius:

Dum rurſumque, iterumque ſequenti à menſe vocantur.

Quod in interpretatione ſequutus ſum.

3. *Ter ſenis unoque die.*] Hoc eſt December, in quo bruma eſt, numerat novemdecim dies, ante Calendas Januarii, per quos dies celebrantur genialia feſta, Opalium, Sigillariorum & Saturnaliorum, ut jam obſervatum ſupra. Ut porrò & hæc, & quæ ſequuntur de Calendis facilius intelligantur, notandum 1°. Uniuſcujuſque menſis dies qui Idus ſequuntur, denominari à Calendis menſis ſequentis, puta XIX. aut XVIII. aut XVII. *Calendas Januarias*, hoc eſt *ante Calendas*, &c. Notandum 2°. Ex ſupradictis menſes Martium, Maium, Julium & Octobrem Idus ſuas habere die decimo quinto, ſicque à decimo ſexto duntaxat die incipere à Ca-

Hoc numero [1] menſiſque Numæ redit, Autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus.
[2] Julius, & Maïus, poſituſque in fine December,
Octoberque die revocatur tardius uno.
[3] Inde die redeunt minus uno, quattuor ultra,
Quos numero adjiciam, Sextilis, Junius, atque
Aprilis, poſt quos pænultima meta November.
[4] Ter quinis, unoque die [5] Junonie Mavors,
Ut redeas, referaſque exordia prima, cieris.
Hoc numero, ad plenum vertens reparabitur annus.

INTERPRETATIO.

numerum dierum à Calendis appellatorum, *menſis Numæ revertitur, & September nutritor Bacchi reducens initium Autumni. Julius, & Maius & December locatus in fine anni, atque October reducuntur tardius uno die. Poſtea quatuor numero menſes, quos ſubjungam, recurrunt minùs uno die, nempè Julius, Junius, & Aprilis, & poſt eos November penultimus* anni *terminus. O Mars, Junonis fili, vocaris per ſexdecim dies, ut revertaris, & reducas* tuum *initium. Hoc numero* Nonarum, Iduum & Calendarum *annus recurrens plenè renovabitur.*

NOTÆ.

lendis menſis ſequentis dies denominare, reliquos verò menſes à decimo quarto incipere numerare Calendas menſis proximi, quia Idus habent die decimo tertio. Notandum 3°. menſium quoſdam eſſe dierum triginta, quoſdam triginta & unius, Februarium verò viginti octo tantùm, aut ad ſummum, in Biſſextilibus annis, viginti novem. Et pro numero illo dierum uniuſcujuſque menſis, variare numerum dierum qui in eo à Calendis proximis nominantur. His obſervatis, ad ſingula veniamus. Decimo quarto Decembris die, qui poſtridie Idus eſt, dicitur XIX. Cal. Januarii, quia cum December habeat dies 31. ſuperſunt à 13°. qui Iduum dies eſt ad finem ejus dies octodecim, quibus ſi diem ipſum Calendarum proximarum adjicias (ut fit in ejuſd. Calend. Nonarum, & Iduum numerationibus,) fiet XIX. Cal. Jan. Eadem eſt ratio Calendarum Februarii & Septembris, quoniam menſes Januarius, & Auguſtus qui eas præcedunt, dierum etiam ſunt 31. & habent Idus die etiam decimo tertio.

1. *Menſiſque Numæ.*] Februarius. Vide notas ſupra.

2. *Julius & Maius, &c. die revocatur tardius uno.*] Hoc eſt in menſibus præcedentibus hos menſes, remotiſſimus ab horum Calendis dies, Idus illorum ſequens, numeratur tantùm XVIII. Cal. Maii, Julii, Octobris, & Decembris. Ratio eſt quod menſes eos præcedentes Aprilis, Junius, September & November, dierum ſint tantùm 30.

3. *Inde die redeunt minus uno.*] Ita ut numeretur tantùm XVII. Cal. April. Jun. Auguſt. & Novembris. Ratio eſt quia menſes præcedentes ſcilicet Martius, Majus, Julius, & October dies quidem habent 31. ſed decimo ſexto tantùm die incipiunt dies ſuos à Calendis proximis denominare, cum Idus habeant die 15. ut jam præmonui.

4. *Ter quinis unoque die, &c.*] Id eſt dies Februarii decimus quartus, qui poſtridie Idus eſt, numeratur tantùm XVI. Cal. Martii Ratio eſt quod Februarius eſt dierum tantùm 28. Nec refert quod quarto quoque anno ſit dierum 29. Tunc enim non ideo die 14. numeratur XVII. Cal. Mart. ſed bis dicitur VI. Cal. Mart. diebus ſcilicet 24. & 25. Atque hinc biſſextilis nomen deductum, quod bis eo anno dicatur ſexto Cal. Martias.

5. *Junonie Mavors.*] Martem ſcilicet exiſtimarunt ex veteribus non pauci Junonis ſolius filium eſſe, quæ cum per vireta vagaretur, ex contactu & olfactu florum quorumdam eum conceperit.

Digitized by Google

[1] *In quo menſe quod ſignum ſit ad curſum Solis.*

382 [2] PRincipium Jani ſancit tropicus Capricornus.
Menſe Numæ in medio ſolidi ſtat ſidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Piſces.
Reſpicis Apriles, Aries Phryxee, Calendas.
Maius [3] Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius æquatos cœlo videt ire [4] Laconas.
Solſtitio ardentis Cancri fert Julius aſtrum.
Auguſtum menſem Leo fervidus igne perurit.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.
Æquat & October ſementis tempore Libram.
[5] Scorpion hibernus præceps jubet ire November.
Terminat Arcitenens medio ſua ſigna Decembri.

INTERPRETATIO.

Capricornus in quo reverſio ſit Solis, *conſtituit initium Januarii. Signum Aquarii plenum eſt in medio menſe Numæ. Gemini Piſces progrediuntur in tempus* menſis *Martii. O Aries* vector *Phryxi, ſpectas ad Calendas Apriles. Maius ſuſpicit cornua Tauri Agenorei. Junius videt gradientes ſimul per cœlum gemellos Spartanos. Julius adducit ſidus Cancri flagrantis per ſolſtitium. Leo ardens torret menſem Auguſtum* ſuo *ardore. O Virgo, September tumefacit Bacchum* ſub *tuo aſtro. Et October* adducit *tempore ſationis Libram æquantem* dies noctibus. *November hyemalis præcipitem agit Scorpium. Sagittarius definit ſuum ſidus medio Decembri.*

NOTÆ.

1. *In quo menſe, &c.*] Hoc dodecaſtichon ait Vinetus inveniſſe ſe ſine titulo inter carmina & alia ſcripta Fortunati Epiſcopi Pictavienſis, & in libro Bedæ de temporum ratione.

2. *Principium Jani, &c.*] Si bruma ſit poſtremus dies Decembris, rectè primum Capricorni gradum aſſignaverit Januariis Calendis. Sed hæc non ita ſtrictè accipienda ſunt, quaſi primis ipſis menſium diebus in ſigna illa Sol intret, ſed Solem tunc in illis eſſe ſignis, quæ nominantur, in quæ revera aliquot ante diebus menſis prioris ſit ingreſſus.

3. *Agenorei.*] Qui rapuit Europam filiam Agenoris, & in Cretam avexit.

4. *Laconas.*] Geminos, Caſtorem & Pollucem Lacedemoniæ Ledæ filios.

5. *Scorpion hybernus præceps jubet ire November.*] Supra in Monoſtichis de menſibus:

Sidera præcipitas pelago, intempeſte November;

ubi vide notata.

[1] Q. Ciceronis verſus eo pertinent, ut quod ſignum quo tempore illuſtre ſit, noverimus. Quod ſuperius quoque noſtris verſibus expeditur.

*383 FLumina verna cient [2] obſcuro lumine Piſces.
Curriculumque Aries æquat noctiſque [3] diique.
Cornua quem [4] condunt florum prænuncia Tauri.
Aridaque æſtatis Gemini primordia pandunt.
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificuſque Leo proflat ferus ore calores.
Poſt, [5] modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reſerat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis diſpenſo ſidere Libra.
[6] Et fetos ramos dinudat [7] flamma Nepai.

INTERPRETATIO.

Piſces ſtellis ſuis *obſcuris excitant pluviaſ veris. Et Aries æquat curſum noctis, & diei. Quem abſcondunt cornua Tauri promittentia flores. Et Gemini aperiunt ſicca initia æſtatis. Et Cancer præfulgidus incipit abbreviare longos dies. Et Leo morbos ferens exhalat ferociter æſtus ore ſuo. Poſtea Virgo exorta paulum abigit calorem,* cum *ventilans. Libra aperit Autumni valvas, & exæquat ſpatium diei* ſpatio *noctis, aſtro* ſuo *æqualiter poſito. Sidus Scorpii ſpoliat* foliis *arbores*

NOTÆ.

1. *Q. Ciceronis verſus, &c.*] Ex Lugdunenſi libro excuſi ſunt hi verſus Quinti Ciceronis titulum præ ſe ferentes, cujus quidem nulla uſquam extant alia carmina. Et mirum unde hæc in Auſonii ſchedas pervenerint, ſi tamen pervenerunt, ac non alius quis excerptor inſeruit, quod in medium relinquo.

2. *Obſcuro lumine Piſces.*] Quorum ſtellæ parvæ & tertiæ tantum magnitudinis, quæ in iis maximæ.

3. *Diique.*] Vel *dieque* ut apud Virg. Georg.

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas

Id eſt *diei*.

4. *Condunt.*] Sic Scaliger. *Nam conditur Aries*, inquit, *veniente Tauro.*

5. *Modicum quatiens, &c.*] Vinetus ſuſpicabatur reponendum *modium* vel *ſpicum*, quod utrumque Virgini, quam Cererem eſſe frugum Deam nonulli crediderunt, optimè conveniat. *Spicum* enim pro *ſpicâ* dictum probat verſu Ciceronis ex Arato lib. 2. de Naturâ Deorum, & ſtella eſt in eo ſidere quæ dicitur *ſpica Virginis*. *Modium* autem quis neſcit menſuram eſſe tritici, ſalis, &c. Ego nihil mutato opus eſſe exiſtimo, & ſenſum eruo non abſurdum, quem in interpretatione expreſſi.

6. *Et fetos ramos.*] Mavult Tollius *effætos*, hoc eſt fructu ſuo jam ſpoliatos. Quod amplexus ſum in interpretatione.

7. *Flamma Nepai.*] Sidus Scorpii. Paulus Feſto conjunctus: *Nepa Afrorum lingua ſidus, quod Cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, Scorpius.* Plautus: *Dabo me ad parietem, imitabor Nepam*, & melius Nonius Marcellus: *Nepam quidam Cancrum putant ob illud Plauti: Retroverſum cedam, imitabor Nepam. Et illud aliud: aut cum Nepa eſſet. Dubium in utroque. Nam vere Nepa Scorpius dicitur.* M. Tull. de finibus bonorum, & malorum l. 5. *Serpere anguiculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus uti videamus boves, Nepas aculeis, ſuam denique cuique naturam eſſe ad vivendum ducem.*

Pigra

Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare ſpirat Capricorni.
Quam ſequitur nebulas rorans liquor altus Aquarî :
[1] Tenta ſupra, circaque vigent ubi flumina mundi.
[2] At dextra, lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, & Lunæ ſimulacra feruntur.
[3] Squamma ſub æterno conſpectu torta [4] Draconis
Eminet. Hunc inter fulgentem [5] ſidera ſeptem
[6] Magna quatit ſtellans : quam ſervans ſerus [7] in alta
Conditur Oceani ripa [8] cum luce Bootes.

INTERPRETATIO.

qua depoſuerunt fructum ſuum. *Sagittarius vibrat in terras frigus iners. Bruma conſtringens glacie, flat ſub ſigno Capricorni. Quam excelſus humor Aquarii excipit ſtillans nubes : ubi ſcaturiunt orbis fluenta extenſa ſupra, & circa. Verùm dextrorſum & ſiniſtrorſum currus micans ſolis peragit curſum ſuum mobilem, &* diverſæ *facies Lunæ* illac *errant. Squamma incurvata perpetuùm apparet* ſub *aſpectu Draconis. Hunc micantem inter ſeptem aſtra valde concutit major* urſa *ſtellis diſtincta : quam cuſtodiens Bootes mergitur tardè in ſummâ ripâ Oceani*, penè *ſervans lumen* ſuum.

NOTÆ.

1. *Tenta ſupra, &c.*] Si ſanus hic locus, quod vix puto, innuere vult fluvios, & humorem omnem mundi originem ducere ab Aquario cœleſti.

2. *At dextra, lævaque, &c.*] Borealem verſus & Auſtralem mundi partem. Zodiacus enim circulus ab æquatore in duas æquales partes ſectus, ſigna ſex habet ad Septentrionalem plagam vergentia, & ſex ad Auſtralem. Porrò dextra poëtis occaſum ſpectantibus eſt ad boream ; ſiniſtra vero ad auſtrum. Quo ſenſu dixit Lucanus :

> *Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,*
> *Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.*

3. *Squamma ſub æterno, &c.*] Hæc intricata, & obſcura admodùm ſunt, fortaſſe etiam non omninò ſana. Ex his ſenſum elicui qualem potui in interpretatione.

4. *Draconis.*] Qui urſam utramque diſcriminat corpore ſuo, & ſpiris quodammodo involuit. Vide Hyginum.

5. *Sidera ſeptem.*] Septentriones.

6. *Magna.*] Supplendum *urſa* procul dubio. Hæc *ἅμαξα*, id eſt plauſtrum etiam dicta eſt, & *arctophylax*, ſeu cuſtos urſæ, etiam *Bootes* ſeu bubulcus, plauſtri boves agens.

7. *In alta.*] Verti *ſummâ*, hoc eſt *extimâ*, non autem profundâ. Parum enim mergitur Bootes, ac brevi poſt emergit.

8. *Cum luce.*] Intelligo, ita ut etiam conditi lux adhuc aliqua appareat.

A Solſtitio in æquinoctium ratio.

384 SOl profectus à teporo veris æquinoctio,
Poſt ſemidiem poſtque totos nonaginta & quattuor,

INTERPRETATIO.

Sol procedens à tepido æquinoctio veris, quatiens lora ardentia peragit curſum æſtatis poſt

Fervidis flagrans habenis [1] pulſum æſtivum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo & octoginta [2] goeris, & ſuper trihorio.
*   *   *   *   *   *   *   *   *   *   *
[3] Inde floridum reflexis ver reviſit [4] oreis
Additis [5] ad hos priores goeros geminis orbibus.

Interpretatio.

ſolidos dies nonaginta quatuor, & diem dimidium. Poſtea Autumnus menſurans æqualiter ſpatium noctis, & diei peragit curſum ſuum *octoginta & octo circuitibus & tribus horis inſuper.* * * * * * * *Poſtea ver florens redit* ad nos *frænis reflexis, adjectis duobus circuitibus ad circuitus ſuperiores.*

Notæ.

1. *Pulſum æſtivum.*] Gronovius reponebat *curſum*: ſed jam ſupra hoc eodem ſenſu uſurpavit *pulſum*, ut obſervavimus.

2. *Gœris.*] *Gyris.* Sic in Gripho *cœbus* pro *cubus*. Sic *mœrus* pro *murus*. Sic apud Lucretium *fera mœnera militiai* pro *munera*. Fuit hæc veterum quorumdam librariorum ſcribendi ratio.

3. *Inde floridum, &c.*] Præcedere debuit verſus de hyeme ſed hic intercidit

4. *Oreis.*] Feſtus: *Oreæ, fræni, quod ori inſeruntur, &c. Cœlius pro ſe ad populum, Equuſque mihi ſub feminibus occiſus erat: Oreas detraho inſpectante Lucio Stertinio.*

5. *Ad hos priores gœros.*] Ad gyros quos, in verſu qui deſideratur, hyemi tribuerat numero (ut ratione inità patet) nonaginta cum aliquot horis.

[1] *De Feriis Romanis.*

385 NUnc & [2] Apollineos Tiberina per oſtia ludos,
Et [3] Megaleſiacæ matris [4] operta loquar.
[5] Vulcanique dies Autumni exordia primi,
[6] Quinquatruſque Deæ Pallados expediam:

Interpretatio.

Jam dicam & ludos Apollinares qui fiunt *in oſtiis Tiberis, & ſecreta magnæ Matris* Deorum. *Et explicabo dies* feſtos *Vulcano*, qui ſunt *initium Autumni incipientis, & Quin-*

Notæ.

1. *De feriis.*] Hoc eſt *Feſtis*.

2. *Apollineos.*] Ludos Apollinares, ex carmine Marci Vatis, perplexo ſcripturæ genere concepto, victoriæ de hoſtibus reportandæ ergò inſtitutos. De his vide Livium lib. 25. & Roſin. Antiq. Rom. lib. 5. cap. 17. ad III. Non. Quintiles ſtatuta eſt ludorum illorum dies, quæ prius incerta erat.

3. *Megaleſiacæ matris operta.*] Ludos Megalenſes, Græcis *μεγαλησίους*, in Cybeles magnæ Deorum matris honorem inſtitutos, cum ea ab urbe Peſſinunte Romam eſt advecta. Hi per dies ſex magnâ pompâ celebrabantur in Palatio, à pridie ſcilicet Nonas Apriles ad V. Idus ejuſdem menſis.

4. *Operta.*] Eaque turpiſſima. De quibus vide D. Auguſtinum lib. 2. de Civitate Dei cap. 5.

5. *Vulcanique dies, &c.*] *Vulcanalia* in Vulcani honorem celebrari ſolita menſe Auguſto, teſte Columella lib. 2. de Re Ruſtica, X. ſcilicet Cal. Septemb. Eo die populus animalia pro ſe in ignem mittebat, teſte Varr. lib. 5 de lingua Latina.

6. *Quinquatruſque.*] Et *Quinquatria* Palladis feſtum à quinque dierum, per quos

Digitized by Google

Et medias [1] Idus, Maïi, Auguſtique recurſu,
Quas ſibi Mercurius, [2] quaſque Diana dicat.
[3] Matronæ quæ ſacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi cum rediere dies.
[4] Feſta Caprotinis memorabo celebria nonis,
Quum ſtola matronis dempta teget famulas.
Quattuor illa etiam diſcretis partibus anni
Solſtitia, & luces nocte, dieque pares.

Interpretatio.

quatrus Deæ Minervæ: & Idus medias redeuntes *Maïo & Auguſto redeuntibus, quas Mercurius, & quas Diana ſibi conſecrant. Quænam feſta matronæ celebrent in honorem conjugum* ſuorum, *quum primi dies* menſis *Martii recurrerunt. Dicam feſta ſolemnia Nonis Caprotinis, quando ſtola ablata matronis operiet ancillas.* Dicam *quoque illa quatuor* notabilia tempora *quæ diſcriminant anni partes, ſolſtitia nempe, & æquinoctia. Neque poſſum tacere Regifugium,*

Notæ.

celebrabatur, numero ſic dictum. Celebrari incipiebant Quinquatrus XIV. Cal. Aprilis qui 19. Martii dies eſt, & eæ dicebantur Majores, nam aliæ erant Quinquatrus Minuſculæ Idibus Junii, tibicinum Feſtum. Varro lib. 5. de lingua Latina: *Quinquatrus Minuſculæ dicta Juniæ Eidus, ab ſimilitudine Majorum, quod tibicines tum feriati, per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* Similia habet Feſtus.

1. *Idus Maii quas ſibi Mercurius, &c.*] Idus Maii feſtus erat dies mercatorum, quod eo die Mercurii ædes dedicata eſſet. Eo die è Mercurii fonte ad portam Capenam mercatores aſpergebant ſe laureo termite immerſo, ut ſibi perjuria Mercurius remitteret, ut uberiorem quæſtum fortunaret. Vid. Ovid. lib. 5. Faſtorum. Eodem etiam die Argeorum ſcirpea ſimulacra & oſcilla de ponte Sublicio per Virgines Veſtales in Tiberim præcipitabantur quotannis.

2. *Quaſque Diana dicat.*] Auguſti Idus Dianæ ſacræ. Mart. lib. 12. epig. 68.

Majæ Mercurium creaſtis Idus.
Auguſtis redit Idibus Diana.

Eo die mulieres voti damnatæ, ab urbe in nemus Aricinum, ubi Diana religioſiſſimè colebatur, ardentes faces ferebant. Ut & Venatores, qui canes quoque ſuos morbo aut ſcabie affectos, infulis velatos Deæ ſiſtebant, omneque inſtrumentum venatorum ante eam collocabant, ut ex Propertio, Ovidio, & Gratio poëtis, probat Roſinus.

3. *Matronæ quæ ſacra colant, &c.*] Matronalia Cal. Martiis celebrari ſolita. De quibus vide Ovid. lib. 3. Faſt.

4. *Feſta Caprotinis, &c.*] Macrob lib. 1. Saturnal. cap. 11. *Nonis Juliis diem feſtum eſſe ancillarum tam vulgo notum eſt, ut nec origo, nec cauſa celebritatis ignota ſit. Junoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter, ancillæque ſacrificant ſub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ in ancillarum animis pro conſervatione publicæ dignitatis apparuit*, &c. Narrat deinde quo pacto poſt ſedatum Gallicum tumultum, Fidenatibus ſuperbè poſcentibus à Senatu Romano, ut ſi Romæ reliquias ſalvas vellent, matres familias omnes & Virgines ſibi dederent, ancillæ, duce quâdam Tutelâ, ſeu Philoti nomine, ad hoſtes pro matribus familias tranſierint, iiſque, feſti cujuſdam obtentu, vino ſepultis, ſignum Romanis ex caprificu caſtris proximâ dederint, ad quod illi repentinâ incurſione interfectis Fidenatibus, ancillas manumiſerunt, & dotem aſſignarunt ipſis de publico, Nonaſque Caprotinas in facti memoriam conſecrarunt,

Digitized by Google

Nec [1] Regifugium pulſis ex urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.
* Viſne [2] Opis ante ſacrum, vel Saturnalia dicam,
[3] Feſtaque ſervorum, quum famulantur heri?
[4] Et nunquam certis redeuntia feſta diebus,
Compita per vicos quum ſua quiſque colit?
Aut [5] duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conſo conſiliiſque vocant?
[6] Feſta hæc, navigiis aut quæ celebrata quadrigis,
[7] Jungunt Romanos finitimoſque duces?

Interpretatio.

diem jucundum Romanis, quo ſcilicet *tyranni ejecti ſunt ab urbe* Româ. *Viſne prius memorem feſtum Opis, an Saturnalia* quæ ſunt *feſta ſervorum, quibus* ſcilicet *heri iis miniſtrant? Et Feſta recurrentia diebus nunquam certis, quando unuſquiſque frequentat compita in vicis ſuis? Vel Feſtum gemino* inſignitum nomine, *quod appellant Neptunalia, &* quod *nominant* Conſualia *à Conſo, & Conſiliis? Hæc* ſcilicet *feſta quæ celebrata* certaminibus *navalibus, aut curulibus, junxerunt* fœdere *duces Romanos, & vicinos* eorum? *Addam feſta & ſacra Deorum*

Notæ.

1. *Regifugium.*] Feſtus: *Regifugium ſacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit è Roma.* Celebrabatur die Februarii 24. qui erat VI. Cal. Mart. De hoc Ovid. lib. 2. Faſt.

> *Nunc mihi dicenda eſt Regis fuga. Traxit ab illa*
> *Sextus ab extremo nomina menſe dies, &c.*

2. *Opis ante ſacrum.*] Opalia in Opis Deæ Saturni uxoris honorem XIV. Cal. Jan. unà cum Saturnalibus primum celebrabantur. Deinde adjectis à Julio Cæſare Decembri menſi duobus diebus, Saturnalia XVI. Calend. Jan. fieri cœpta, triduumque durare, cujus tridui ultimus dies opalibus dicatus. Sed additus poſtea Sigillarium dies, & ad ſeptem omninò dierum numerum Saturnalia protracta ſunt, teſte Macrobio.

3. *Feſtaque ſervorum.*] Ipſa ſcilicet Saturnalia, per quæ epulantibus ſervis heri miniſtrabant, ut ancillis Dominæ, Nonis Caprotinis.

4. *Et nunquam certis, &c. Compita, &c.*] Hujuſmodi Conceptivas ferias appellarunt. Macrob. l. 1. Saturn. c. 16. *Conceptivæ ſunt, quæ quotannis à Magiſtratibus, vel Sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos: ut ſunt Latinæ, Paganalia, Sementinæ, Compitalia.* Formulam, quâ Compitalia à Prætore concipi ſolebant, vide apud A. Gellium Noct. Attic. lib. 10. cap. 24. in honorem fiebant Larium, & Maniæ eorum matris in compitis, hoc eſt, ut ait Varro, *ubi viæ competunt*, id eſt, *concurrunt.* De his vide Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 7. & Dionyſium Halicarn. lib. 4.

5. *Duplicem cultum, quem Neptunalia, &c.*] Neptunus idem & Conſus. Neptunalia tamen menſe Julio, X. ſcilicet Cal. Sextiles in honorem Neptuni. Conſualia autem in honorem Conſi, quem deum putabant Conſilii, & quem Neptunum Equeſtrem fuiſſe ait Livius lib. 1. à Romulo inſtituta, & in iis Sabinæ raptæ: fiebant in Circo menſe Auguſto XII. Cal. Septemb.

6. *Feſta hæc navigiis, &c.*] Conſualia nempè, quæ, ut dixi, in Circo celebrabantur, idque naumachiis & aurigationibus.

7. *Jungunt Romanos finitimoſque.*] Reſpicit ad Conſualia à Romulo celebrata, in quibus raptæ Virgines quæ Romam ex finitimis civitatibus venerant, cauſa fuere belli primum, deinde pacis & fœderis arctiſſimi.

Digitized by Google

Adjiciam cultus, peregrinaque ſacra deorum,
[1] Natalem Herculeum, [2] vel ratis Iſiacæ:
[3] Nec non laſcivi Floralia læta theatri,
[4] Quæ ſpectare volunt, qui voluiſſe negant.
Nunc etiam veteres celebrantur [5] Equiria ludi.
[6] Prima hæc Romanus nomina Circus habet.
Et [7] Dionyſiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quæ ſibi vota dicat.

INTERPRETATIO.

Romam *peregrè invecta*, Diem *Natalem Herculis*, *vel* Feſtum *Cymbæ Iſidis : & Floralia læta* quæ celebrantur *laſcivè in theatro, qua* illi ipſi *cuperent vidiſſe, qui negant* ſe *cupere. Fiunt quoque nunc ludi antiqui* dicti *Equiria. Hoc nomen eſt ludorum qui primi editi ſunt in circo Romano. Roma quoque celebrat ſub nomine Latino* Liberalium *ludos Dionyſiacos, quos Bacchus*

NOTÆ.

1. *Natalem Herculeum.*] Herculi Græco Heroi magnus Romæ honos habitus, erecta ara maxima, ædes multæ, ſacerdotes inſtituti. Ad ejus aram per numen ipſius confirmata pacta & promiſſa. Decimæ ei bonorum à multis votæ, & perſolutæ. Quonam autem die Natalis ejus celebraretur non invenio.

2. *Vel ratis Iſiacæ.*] Calendarium Vetus VII. Id. Januar. habet: *Iſidis ἄφιξις id eſt acceſſus. Plut.* Reſpicit procul dubio ad Iſidis pompam quam fusè deſcribit Apuleius lib. Metamorph. 11. & cujus tempus, & cauſam ſibi ſic narrantem ipſam Iſidem inducit: *Diem, qui dies ex ſedatis hybernis tempeſtatibus, & lenitis maris procelloſis fluctibus navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant mei Sacerdotes.* De Iſide Hyginus: *Veliſicia primùm invenit Iſis. Nam dum quærit Harpocratem filium ſuum, rate veliſicavit.*

3. *Nec non laſcivi Floralia, &c.*] Hi Ludi in fine Aprilis & Maii initio fiebant in Floræ Deæ florum honorem, ut cuncta bene defloreſcerent, non ſine obſcœnis Meretricum nudarum ſaltationibus. Vide Ovid. lib. 5. Faſt. Eorum turpitudinem ludorum exagitarunt D. Auguſtinus, Arnobius, & Lactantius Firmianus. Inſignis in Catonis honorem extat de his ludis locus apud Val. Maximum lib. 2. cap. ultimo: *Eodem,* (M. ſcilicet Portio Catone.) *Ludos Florales, quos Meſſius Ædilis faciebat, ſpectante, populus, ut Mimæ nudarentur, poſtulare erubuit: quod cum ex Favonio amiciſſimo ſibi unà ſedente cognoviſſet, diſceſſit è theatro, ne præſentiâ ſua ſpectaculi conſuetudinem impediret: quem abeuntem ingenti plauſu populus proſecutus, priſcum morem jocorum in ſcenam revocavit; confeſſus plus ſe majeſtatis uni tribuere, quam univerſo ſibi vindicare.* Inſtituti ſunt hi ludi anno U. C. DXVI. teſte Plin. DXXC. à L. Poſthumio Albino, & & M. Papilio Lænate Coſſ. teſte Ovid. A Flora meretrice inſtitutos auctor eſt Scholiaſtes Juvenalis ad verſ. 249. Sat. 6.

4. *Quæ ſpectare volunt, &c.*] Malignè hoc in fictos Catones dictum.

5. *Equiria.*] Feſtus: *Equiria ludi, quos Romulus Marti inſtituit per equorum curſum, qui in campo Martio exercebantur.* Bina fuere Equiria in Campo Martio, aut, ſi Tiberis inundaſſet, in monte Cœlio, loco, cui propterea nomen erat *Campo Martialo*, teſte Feſto: altera menſe Februario III. Cal. Mart. altera pridie Idus Martii; & præterea die 18. Aprilis, qui eſt XIV. Cal. Maii, Equiria in Circo Maximo, cum Vulpium combuſtione.

6. *Prima hæc Romanus nomina Circus habet.*] Hoc eſt hæc prima ſpectacula fuerunt, quæ in circo exhiberentur.

7. *Dionyſiacos, &c.*] Liberalia in Liberi patris honorem, die Martii 17. qui eſt XVI. Cal. April. Horum ritus & cauſas vide apud Ovid. lib. Faſt. 3 Sed cave ne Liberalia cum Bacchanalibus confundas.

Digitized by Google

Ædiles plebeii etiam, ædileſque curules
[1] Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.
Et gladiatores funebria prœlia notum
Decertaſſe foro : nunc ſibi harena ſuos
Vendicat : extremo qui jam ſub fine Decembris,
[2] Falcigerum placant ſanguine Cœligenam.

INTERPRETATIO.

ſibi votos conſecrat. Ædiles quoque plebeii, & Ædiles Curules celebrant ſacra appellata nomine Sigillorum. Notum quoque eſt omnibus *gladiatores edidiſſe in foro certamina in funeribus : jam vero mancipati ſunt Arenæ* Amphitheatri : *atque ii circa finem extremum* menſis *Decembris cruore ſuo litant filio Cæli falce armato.*

NOTÆ.

1. *Sacra Sigillorum nomine.*] *Sigillaria* quæ poſtridie Opalium celebrabãtur menſe Decembri. De his jam ſupra egimus.

2. *Falcigerum placant, &c.*] Reſpicere videtur ad antiquum morem Saturno humanas hoſtias mactandi. Pro quo cereos accenſos poſtea ſubſtituerunt, ut monui cum de Sigillariorum feſto agerem. Nam exhibitos Saturnalibus gladiatorios ludos non memini me legere.

[1] *De luſtralibus agonibus.*

386 [2] QUattuor antiquos celebravit Achaïa ludos.
Cœlicolûm duo ſunt, & duo feſta hominum.
[3] Sacra Jovis, [4] Phœbique, [5] Palæmonis, [6] Archemorique:
[7] Serta quibus [8] pinus, [9] malus, [10] oliva, [11] apium.

INTERPRETATIO.

Quatuor ludi celebrabantur olim in Achaiâ Duo fiebant in honorem deorum & duo in honorem hominum. Sacra nempe *erant Jovis, & Apollinis, Palæmonis, & Archemori : atque in his coronæ erant ex pinu, lauro, oleaſtro, & apio.*

NOTÆ.

1. *De luſtralibus agonibus.*] Hoc eſt de ludis Quinquennalibus qui quinto quoque anno redirent. Πενταετηρικοῖς dictis apud Græcos. Iſthmia tamen, & Nemea triennalia fuiſſe ex Pindaro & ejus veteribus commentatoribus apparet.

2. *Quatuor antiquos.*] Deſumpta hæc ex Antholog. lib. 1. epigrammate 1. quod vide.

3. *Sacra Jovis.*] Olympia Piſæ in Elide prope Alphæum fluvium.

4. *Phœbi.*] Pythia in Pythone urbe Delphorum ad Parnaſſum.

5. *Palæmonis.*] Iſthmia in Iſthmo prope Corinthum. Vide infra notas in carmen proximum.

6. *Archemori.*] Nemea in Nemea Peloponneſi regione inter Argos, & Corinthum.

7. *Serta.*] Coronæ quæ victori præmia ſunt.

8. *Pinus.*] In Iſthmiis certaminibus.

9. *Malus.*] In Pythiis lauru coronabatur victor, ſed & mala quædam ex templo Apollinis Sacerdotes victoriæ præmium propoſuiſſe ex Luciani dialogo de Gymnaſiis cognoſcimus. Ad quæ reſpexit auctor Græci epigrammatis ſupra citati, & reſpexiſſe hujus auctorem, illius interpretem, minimè dubito. Quanquam paulò minus proprie *malus* poſuerit pro *malum*, vel *mala*. Nam ut *mali* nomine ſignificatione latiori intelligendam *laurum* exiſtimem, non poſſum in animum mihi ducere.

10. *Oliva.*] In Olympiis coronâ oleagineâ victor coronabatur.

11. *Apium.*] Corona ex Apio, in Nemeis.

De locis agonum.

387 PRima Jovi magno celebrantur Olympia Piſæ.
[1] Parnaſſus [2] Clario ſacravit Pythia Phœbo.
Iſthmia [3] Portuno [4] bimaris dicàt acta Corinthi.
[5] Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

INTERPRETATIO.

Prima certamina *Olympica fiunt Piſa*, in honorem *Magni Jovis. Parnaſſus conſecravit Pythia Apollini Clario. Littus Corinthi duo maria ſpectantis conſecrat Iſthmia Palæmoni. Thebæ celebrant ludos funebres Archemori* ſub nomine *Nemeaorum.*

NOTÆ.

1. *Parnaſſus.*] Vide ſupra not. ad vocem Phœbi.

2. *Clario.*] A monte Aſiæ cui nomen *Claros*, ubi Phœbi oraculum fuit, dictus eſt *Clarius Appollo.*

3. *Portuno.*] Melicertæ, quem cum mater Ino, Athamantis conjugis furorem fugiens unà ſecum in mare præcipitem dediſſet, ambo in marina numina mutati ſunt, atque ipſa quidem *Leucothea* Græcis, *mater Matuta* Latinis dicta; Melicerta verò Græcis *Palæmon*, Latinis *Portunus*, Iſthmiaque certamina *Portunalia.*

4 *Bimaris dicat acta Corinthi.*] Sic Tolliana editio; optimè quoad ſenſum. Fiebant enim Iſthmia ad maris littus quod Græcis ἀκτὴ unde *acta*, quæ vox legitur etiam apud Virg. lib. 5. Æneid. At cujus codicis auctoritate ſic repoſuerit non liquet. Erat enim in membranis Lugdun. mendosè, *dicata Corinthos*, unde probabiliter ſatis reſtituebat Vinetus *dicat alta Corinthos*, vel *dicat Acro Corinthos*, (ſic Corinthi arcem àppellabant.) *Bimaris* hic *Corinthus*, dicitur ut apud Horat. Od. 7. lib. 1. quia inter duos ſinus, Cirrhæum, & Saronicum, in medio Iſthmo poſita, è duobus portubus Cenchreis, & Lecheo in Ionium, & Ægæum maria naves mittit.

5. *Archemori, &c.*] Hic etiam Opheltes dictus infans, Lycurgi Nemeæ regis filius ab Hypſipile nutrice, dum Achivis, qui ad Thebarum obſidionem proficiſcebantur, ſitientibus Langiam fontem oſtenderet, in herba depoſitus, ſerpentis morſu interiit. At Achæi principes, Manium ejus placandorum causâ, ludos ei funebres inſtituerunt, Nemeaque appellarunt. Et fons ille, ac fluvius ab eo manans dictus eſt Archemorus, ut ex Apollodoro, Hygino, & Statio dicere eſt. Sunt tamen qui Nemea in honorem Herculis inſtituta dicant, ob interfectum ab eo Nemeæ ſylvæ Leonem. Quin & infra noſter, eorum auctorem facit ipſum Herculem.

De auctoribus agonum.

388 PRimus Olympiacæ ſacravit feſta coronæ
[1] Juppiter Argivi [2] ſtadia ad longiſſima Circi.

INTERPRETATIO.

Jupiter primus inſtituit ad longiſſimum ſtadium circi Argivi certamina Olympiaca palmæ.

NOTÆ.

1. *Juppiter.*] De Olympiorum auctore mira varietas. Alii Jovem faciunt eorum auctorem, alii Herculem, alii alios. Inſtauravit certè eos Iphitus, à cujus tempore numerari Olympiades cœperunt.

2. *Stadia ad longiſſima.*] Aliis Græciæ ſtadiis longiora. Circus enim ille ſeu ſtadium Elæum, ab Hercule metatum, ſexcentos ejus habuit pedes. At cum ii cæterorum hominum pedibus eſſent longiores, ſtadium etiam illud cæteris ſtadiis quibus ſexcenti quoque hominum pe-

Proximus [1] Alcides Nemeæ ſacravit honorem.
Hæc quoque temporibus [2] quinquennia ſacra notandis.
[3] Iſthmia Neptuno data ſunt : & [4] Pythia Phœbo,
[5] Ancipiti cultu divorum hominumque ſepultis.

INTERPRETATIO.

Poſt eum Hercules conſecravit ludos Nemeæos. Ea quoque certamina *quinquennalia dicata* fuerunt *deſignandis temporibus. Ludi Iſthmici tributi fuerunt Neptuno* auctori , *Pythici verò Apollini* , atque ii omnes ludi inſtituti ſunt *in duplicem honorem* , *deorum* ſcilicet , *&* *hominum mortuorum.*

NOTÆ.

des erant , longius fuit. Unde comparatione illius cum aliis , Herculis magnitudinem conjeciſſe Pythagoram ex Plutarcho refert A. Gellius Noct. Attic. l. 1. c. 1.

1. *Alcides Nemeæ , &c.*] Juxta quorumdam opinionē , qui , ut jam monui, inſtituta ab Hercule in Jovis honorem poſt interfectum Nemeæ Leonem , Nemea volunt ; cum alii dicant in honorem Archemori infantis ea fuiſſe primum inſtituta. Videndus Statius lib. Theb. 5. & 6. & veteres Pindari Scholiaſtæ.

2. *Quinquennia ſacra*] Olympiaca certamina quinquennalia fuiſſe , hoc eſt , 5°. quoque anno redire ſolita & ab iis numeratas fuiſſe Olympiadas , notum omnibus. Pythia novennalia primùm , deinde quinquennalia fuere. Plinius quoque lib. 4. quinquennalia facit Iſthmia. At Nemea facit tantùm triennalia Statius in fine lib. 4. Thebaid.

Cum triſtem Hypſipilen ducibus ſudatus Achivis
Ludus , & atra ſacrum recolit trieteris Ophelten.

3. *Iſthmia Neptuno , &c.*] Iſthmiorum auctorem alii Siſyphum , alii Theſeum Neptuni filium , alii alios faciunt.

4. *Pythia Phœbo.*] Qui , ut habet Ovid. lib. 1. Metam.

Inſtituit ſacros celebri certamine ludos ,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

5. *Ancipiti cultu , &c.*] Vide verſus mox ſequentes.

Quod iidem, qui ſacri agones ſunt , & funebres ludi habeantur.

389 [1] TAntalidæ Pelopi mœſtum dicat Elis honorem.
Archemori [2] Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
Iſthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.
Pythia placando Delphi ſtatuere [3] Draconi.

INTERPRETATIO.

Elis conſecrat funebres ludos Pelopi filio Tantali. Thebæ celebrant ludos *Nemeæos quinquennales* in honorem *Archemori. Notum eſt Iſthmicos* ludos eſſe *factos ob mortem Palæmonis. Delphi inſtituerunt* certamina *Pythica , ad placandum Draconem.*

NOTÆ.

1. *Tantalidæ Pelopi.*] Is Herculis maternus atavus erat , atque in ejus honorem inſtitutum ab Hercule Olympicum certamen tradunt Hyginus, Solinus , & alii.

2. *Nemeæa colunt quinquennia.*] Triteridem tamen tantùm Nemeæis aſſignat Statius loco ſupra laudato.

3. *Draconi.*] Innuit inſtituta Pythia , quaſi ludos in Draconis funere , placandorum ejus Manium causâ. Quod alibi non memini me legere.

V41
155312

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google